COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE

AUCTORE
CHRISTIANO PESCH S. J.

TOMUS IV
DE SACRAMENTIS

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG.
ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXIV
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI, S. LUDOVICI AMERICAE

Chr. Pesch S. J. «Compendium theologiae dogmaticae», tomus IV: De Sacramentis

Imprimi potest

Paulus de Chastonay S. J.
Vice-Provincialis

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 17 Novembris 1913

‡ Thomas, Archiepp̃s

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae

INDEX PARTIUM.

TRACTATUS I.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS II.
DE BAPTISMO.

TRACTATUS III.
DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS IV.
DE EUCHARISTIA.

PARS I.
DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.

CAPUT I.
DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN EUCHARISTIA.

CAPUT II.
DE MODO REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN EUCHARISTIA.

PARS II.
DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

PARS III.
DE SACRIFICIO MISSAE.

TRACTATUS V.
DE SACRAMENTO PAENITENTIAE.

PARS I.
DE EXSISTENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

PARS II.
DE MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

CAPUT I.
DE CONTRITIONE.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

PARS III.

DE FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

PARS IV.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PAENITENTIAE.

PARS V.

DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PARS I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

PARS II.
DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

PARS III.
DE MINISTRO ET SUBIECTO SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

TRACTATUS VII.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

PARS I.
DE EXSISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

PARS II.
DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

PARS III.
DE MINISTRO ET SUBIECTO SACRAMENTI ORDINIS.

TRACTATUS VIII.
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PARS I.
DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

PARS II.
DE VINCULO MATRIMONIALI.

PARS III.
DE UNITATE MATRIMONII.

PARS IV.
DE ECCLESIAE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII.

APPENDIX.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PRAENOTANDA.

1. *Sacramenta sunt ritus quidam sacri,* quibus Deus merita et satisfactiones Christi hominibus applicat ad eos sanctificandos. Potuit quidem Deus sanctificare homines nullo adhibito signo externo, sed maluit ad hunc finem eligere ritus externos, quia naturae humanae convenit per corporalia duci ad spiritualia (cf. *S. Thomas* 3, q. 61, a. 1). Hoc tam verum est, ut *S. Augustinus* dicat: «In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur» (Contra Faustum l. 19, c. 11).

2. Quia in omni religione, etiam gentili, quaedam eiusmodi signa inveniuntur, nostra aetate *non defuerunt, qui dicerent sacramenta ab ecclesia e paganismo recepta esse.* Hanc assertionem non aliter probabant nisi ostendendo quamdam similitudinem externam inter certos ritus gentilium et christianorum et inter quasdam appellationes sacrales, e. g. quod utrimque habebantur lotiones sacrae. Sed manifeste vana sunt talia argumenta. Nam cum quaedam signa sensibilia natura sua aptissima sint ad quosdam effectus supersensibiles significandos, mirum non est in variis religionibus *similes* ritus sacros usurpari ad similes effectus indicandos. Ideo a ratione alienum est affirmare haec signa ex alia in aliam religionem migrasse, nisi firmis argumentis probatur; nam non est recurrendum ad explicationes longe quaesitas, quoties res ex internis et propriis rationibus sufficienter explicatur. Tantum autem abest, ut illa assertio ullis argumentis probetur, ut certis argumentis excludatur. Nam religio christiana statim ab initio sua sacramenta habuit, ut constat ex evangeliis et epistulis paulinis. Atqui ea aetate illi cultus gentiles, ad quos praecipue provocant, ut *mithracismus,* inter iudaeos ignoti erant, quippe qui tertio fere vel quarto tantum post Christum saeculo maiorem propagationem acceperint. Ergo ex iis sacramenta sumpta non sunt. Praeterea tam iudaei quam veteres christiani hos cultus maximo horrore abominabantur (cf. Rom 1, 22 sq; 1 Cor 8, 4 sq; Gal 5, 19 sq; Eph 4, 17 sq; 1 Petr 1, 18; 4, 3 sq).

S. Iustinus M. gentilibus, qui a christianis turpia fieri in conventibus suis obiciebant, respondet: Si ita esset, nonne possemus nos defendere per vestros ipsorum ritus? «Saturni mysteria a nobis peragi dicentes, cum hominem necamus, ac dum sanguine, ut vulgo dicunt, implemur, caerimoniam esse similem vestrae in illud simulacrum religioni, quod non pecudum modo sed hominum etiam sanguine proluitis, hominum occisorum sanguinem clarissimo apud vos et nobilissimo viro libante. . . . Sed quia et ab his institutis et ab eiusmodi facinorum auctoribus et imitatoribus refugiendum suademus, id quod etiam hac in oratione contendimus, propterea variis modis oppugnamur» (Apol. II, n. 12). Similes existimationes de cultibus gentilium saepe apud veteres scriptores christianos leguntur, ut apud *Tertullianum* (Apol. c. 8), *Tatianum* (Adv. Graecos n. 29), *Theophilum Antiochenum* (Ad Autol. 3, 8), alios. Atqui prorsus improbabile est christianos recepisse sacramenta sua e cultibus, quos adeo abominabantur.

Tandem *sacramenta christianorum sunt ritus sacri, quibus homo cum Christo iungitur eiusque meritorum et satisfactionum particeps fit.* Nihil autem simile est in mysteriis gentilium. Ergo ab his sacramenta christianorum quam maxime differunt. Quodsi utrimque similia nomina occurrunt, hoc saepe nulla indiget explicatione, ut si lotio vocatur lotio, unctio vocatur unctio, matrimonium vocatur matrimonium. Alia nomina christianae religioni saltem secundum specialem sensum sunt exclusive propria, ut eucharistia, ordo, paenitentia. Interdum quidem scriptores ecclesiastici, alloquentes gentiles, utuntur terminis in cultu falsorum deorum adhiberi solitis, sed ideo solum, ut facilius a gentilibus intellegantur, quemadmodum de se ipso testatur *Clemens Alex.* (Cohort. c. 12; *M.* PG 8, 239). Si vero probari potest aliquas caerimonias accidentales vel appellationes decursu saeculorum e gentilium ritibus esse mutuatas, non est ratio mirandi; nam potuit ecclesia, arte paedagogica utens, formis veteribus novum spiritum infundere. Et satis quidem de his; si plura desideras, lege e. g. *J. B. Allo,* L'Évangile en face du syncrétisme païen, Paris 1910; vel *Jos. Bloetzer,* Das heidnische Mysterienwesen und die Hellenisierung des Christentums: Stimmen aus Maria-Laach LXXI (1906) et LXXII (1907).

3. Cum Christus ecclesiam societatem visibilem instituerit ad homines sanctificandos, huic visibili societati visibilia quoque sanctificationis instrumenta tradi oportebat, quae sunt sacramenta, non minus *perenniter instituta* quam societas, cuius sunt sacramenta.

Nomen sacramenti, cui graece respondet μυστήριον, in S. Scriptura aut est *res sacra et occulta* (Sap 2, 22. Eph 1, 9. Col 1, 27. 1 Tim 3, 16) aut est *signum alicuius rei sacrae et occultae* (Dan 2, 18 30. Apoc 17, 5 7). Eadem duplex significatio apud SS. Patres habetur. Ita sacra doctrina a *Tertulliano* vocatur sacramentum (Praescr. c. 20). Sanctus vero *Augustinus* ait: «Signa, cum ad res divinas pertinent,

sacramenta appellantur» (Epist. 138, n. 7). Haec latissima significatio vocis sacramenti usque ad tempora medii aevi mansit in usu ecclesiae, sed inde a saeculo XII magis et magis disparuit.

Invenitur iam apud SS. Patres restrictior vocis significatio, qua *sacramenta dicuntur certa quaedam signa hominum sanctificationem significantia et efficientia.* Ita *S. Augustinus* dicit sacramenta novae legis esse efficaciora quam sacramenta veteris legis (Contra Faustum l. 19, c. 13). Haec restricta significatio paulatim facta est exclusiva. Ergo si nunc sine addito loquimur de sacramentis ecclesiae, semper intellegimus *signa efficacia sanctificationis.* Sacramenta sic intellecta sunt obiectum huius nostrae inquisitionis. Suntque numero septem: baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium. Sed tractatibus de singulis sacramentis praemitti solet tractatus de sacramentis in genere, quo exponuntur ea, quae vel ad plura vel ad omnia sacramenta communiter pertinent.

Baptismus, confirmatio, eucharistia instituta sunt ad bonum spirituale singulorum hominum; idem est finis paenitentiae et extremae unctionis, sed supposito peccato personali. Ordinis vero et matrimonii finis est bonum communitatis christianae.

PARS I.
DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTORUM ECCLESIAE.

Cf. *Petrus Lombardus,* Sent. l. 4, dist. 1 sqq; *S. Thomas* 3, q. 60 sqq, eorumque commentatores; *Suarez, Bellarminus, Canus, De Lugo,* De sacramentis; *Franzelin,* De sacramentis in genere [4], Romae 1888; *A. de Augustinis,* De re sacramentaria [2], Romae 1889; *Ioan. B. Sasse,* De sacramentis ecclesiae, Friburgi Brisg. 1897; *L. Billot,* De ecclesiae sacramentis [4], Romae 1907; *P. Pourrat,* La théologie sacramentaire [3], Paris 1908; *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique VII, Paris 1905; *Nic. Gihr,* Die heiligen Sacramente der katholischen Kirche [2], Freiburg 1902; *I. Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III [5], Paderborn 1912; *G. van Noort,* De sacramentis I, Amstelodami 1910.

Prop. I. In ecclesia Christi semper fuerunt septem sacramenta, i. e. signa gratiae efficacia.

4. ***Stat. quaest.*** Statim ab initio in ecclesia Christi adhibitos esse ritus quosdam sensibiles ad conferenda hominibus interna gratiae dona nemo negare potest, nisi qui plurima Scripturae dicta inter fabulas relegat. Propterea non sola ecclesia sed etiam omnes sectae christianae sacramenta admittunt, etsi acatholici tum quoad numerum tum quoad efficaciam sacramentorum et ab ecclesia et inter se dissentiunt. *Lutherus* modo septem, modo tria, modo duo sacramenta admittenda esse statuebat. *Melanchthon* in prima editione «Locorum» duo habebat sacramenta, in posterioribus editionibus placebat ei addere quaedam alia. *Zwinglius* duo, *Calvinus* duo vel tria, eorum discipuli duo sacramenta admittunt: baptismum et cenam, qui numerus binarius paulatim

communiter receptus est inter protestantes (cf. *Bellarminus,* De sacram. l. 2, c. 23).

Secundum *modernistas* sacramenta orta sunt ex quadam necessitate animae religiosae, quae conatur intimos suos sensus exprimere formis quibusdam sensibilibus, praesertim quia societas religiosa talibus signis indiget; sed quae *concilium tridentinum* docet de septem sacramentis statim ab initio religionis christianae institutis, veritate historica destituuntur (cf. *Denz.*[1] n. 2039 sq 2089). Modernistarum doctrinam de sacramentis exponit et refutat *Iul. Bessmer,* Philosophie und Theologie des Modernismus, Freiburg 1912, 365 sqq.

Thesis nostra est de fide. Nihilominus sub hac forma non fuit semper in explicita professione ecclesiae. Neque enim in S. Scriptura neque apud SS. Patres legitur; sed per multa saecula sacramenta erant in practico usu, antequam per modum abstractionis scientificae formaretur tractatus de sacramentis in genere. SS. Patres interdum de uno alterove sacramento quaedam exponunt, prout occasio postulat, sed integra theoria sacramentaria exculta non est nisi a theologis scholasticis.

Quia in tractatibus de singulis sacramentis ostendendum est, quid fontes theologici de iis doceant, hic pauca tantum indicanda sunt, ut appareat, quae fuerint initia et progressus huius doctrinae.

5. *Arg. 1.* **Ex S. Scriptura.**

In S. Scriptura de sacramentis haec legimus: Recipiuntur homines in ecclesiam et spiritualiter regenerantur per *baptismum.* «Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti» (Act 2, 38).

Post baptismum dabatur Spiritus Sanctus per orationem et manus impositionem, quae erat caerimonia diversa et separabilis a baptismo. «Cum autem audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum Sanctum» (Act 8, 14 sqq). Hoc sacramentum postea vocatum est *confirmatio.*

Christiani conveniebant ad celebrandam cenam dominicam seu *eucharistiam* (1 Cor 11, 20), de qua apostolus ait: «Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?» (1 Cor 10, 16.)

Haec tria sacramenta ex primaria Christi intentione debuerant sufficere ad sanctificandos singulos homines. Quia tamen praeviderat

[1] *H. Denzinger,* Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum, ed. *Cl. Bannwart.*

futurum, ut homines post iustificationem rursus peccarent, dixit apostolis: «Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; et quorum retinueritis, retenta sunt» (Io 20, 22 sq). Usus huius potestatis fit per *sacramentum paenitentiae,* quo remittuntur aut retinentur peccata.

Fructus peccati est infirmitas corporalis et spiritualis, qua maxime premitur homo tempore mortis. Ut igitur huic infirmitati succurreret, Christus instituit *sacramentum extremae unctionis.* «Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei» (Iac 5, 14 sq). — Haec igitur sunt quinque sacramenta, quae proxime spectant salutem singulorum hominum.

Ut autem provideretur bono communitatis spiritualis a se fundatae, Christus instituit sacerdotium, quod confertur per *sacramentum ordinis,* i. e. per impositionem manuum episcopi cum correspondente oratione. «Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum» (2 Tim 1, 6). Quia Timotheus debebat hoc sacramentum aliis conferre, admonet eum apostolus: «Manus cito nemini imposueris» (1 Tim 5, 22).

Ad bonum societatis naturalis promovendum pertinet matrimonium, quod quidem Christus non instituit, ut est res ordinis naturalis; sed contractui matrimoniali christianorum addidit specialem dignitatem et vim sanctificandi coniuges, et hoc sensu instituit *sacramentum matrimonii.* «Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Hoc sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia» (Eph 5, 31 sq). Ergo respectu Christi et ecclesiae matrimonium est magnum mysterium, i. e. signum illius mysticae unionis, qua per vinculum gratiae ecclesia seu communitas fidelium unitur cum Christo. Atqui si inter christianos matrimonium hoc modo est signum sacrum gratiae, indoles novi testamenti postulat, ne sit nudum signum, sed ut etiam efficiat, quod significat. Hanc esse indolem novae legis in oppositione ad veterem legem, colligitur ex iis, quae S. Paulus docet in epistulis ad galatas (Gal 3, 19 sqq) et ad hebraeos (Hebr 10, 1 sqq). De qua re plura postea videbimus.

Ergo patet per septem sacramenta provisum esse omni statui et condicioni hominum.

6. ***Arg. 2.*** **Ex traditione.**

a) Etiam SS. Patres enumerant septem sacramenta, etsi non omnia simul, sed occasione accepta modo haec modo illa. Ita *Tertullianus* scripsit librum De baptismo, in quo etiam de confirmatione loquitur: «Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina. . . . Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans

et invitans Spiritum Sanctum» (De bapt. c. 7 sq). De eucharistia ait: «Caro [christianorum] corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur» (De resurr. c. 8). Idem de paenitentia scripsit libellum, in cuius altera parte (c. 7 sqq) ostendit etiam post baptismum lapsos, si debita paenitentia functi sint, per ecclesiam reconciliandos esse. De matrimonio ait: «Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem illius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio» (Ad uxor. l. 2, c. 9). Sacramentum ordinis indirecte tantum indicat, quatenus testatur in ecclesia esse plures ordines. Baptismum «dandi quidem ius habet summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate» (De bapt. c. 16). Quomodo ordines conferantur, non dicit. De extrema unctione nihil habet. De hac generatim SS. Patres paucissima dicunt, inter quae praecipuum est testimonium *Innocentii I,* quo exponitur doctrina de ministro et subiecto huius sacramenti (*Denz.* n. 99).

Simili modo possunt septem sacramenta colligi ex aliorum Patrum scriptis. Ita e. g. *S. Augustinus,* quando inducit sacerdotem «deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur» (De bapt. l. 5, c. 20, n. 28), commemorat quattuor sacramenta. Aliis locis commemorat alia. E. g. comparans ordinem cum baptismo ait: «Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari» (Contra epist. Parmen. l. 2, c. 13, n. 28). Alio loco baptismum et paenitentiam comparat: «Si a catechumeno factum est [crimen], baptismate abluitur; et si a baptizato, paenitentia et reconciliatione sanatur» (De coniug. adult. l. 2, c. 16, n. 16). Item matrimonium cum ordine comparat: «Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti. . . . Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis» (De bono coniug. c. 24, n. 32).

Haec exempli causa sint dicta, ut ostendatur, quomodo SS. Patres loquantur de septem sacramentis. Plura suis locis videbimus.

b) *Aliud argumentum pro septem sacramentis ex consensu ecclesiarum orientalium* petitur. Ecclesiae graecae schisma sub Photio saeculo IX incohatum, et sub *Michaele Caerulario* initio saeculi XI perfectum est. Monophysitae saeculo V haeretici facti sunt. Omnes illi schismatici vel haeretici orientales, tot saecula iam separati, ecclesiam latinam et in specie eius ritus sacros maxime aversantur. Quare certe ab ea non receperunt sacramenta neque doctrinam sacramentariam. Atqui omnes istae ecclesiae vel sectae habent eadem septem sacramenta atque ecclesia latina. Ergo haec sacramenta aderant ante separationem. Orientales quidem non magis quam occidentales ante

tempora excultae theologiae systematicae diserte de numero septenario sacramentorum loquuntur, sed sacramenta ipsa habebant.

Ritus coptorum, syrorum, armenorum collegit *Henr. Denzinger* «Ritus Orientalium» (2 vol. Wirceburgi 1863 sq), ex quo opere apparet eorum doctrina de septem sacramentis. Similiter ex opere *Arnaldi* »Perpétuité de la foi» (III, l. 8, c. 18 sqq). Alia apud *Assemani* in tomo II Bibliothecae Orientalis, in dissertatione praevia de monophysitis n. V, et apud *Bollandistas* (tom. V Iunii 140 sqq). Ritus graecorum collegerunt *Eusebius Renaudot* «Liturgiae orientales», et *Goar* «Euchologion graecorum». Theologorum graecorum doctrinam exhibent *Arcadius* (De concordia eccl. occid. et oriental. l. 1, c. 2) et *Schelstrate* (Acta orient. ecclesiae I 125 139 262 273 etc.). Ubique cernitur eadem doctrina de septem sacramentis. Ergo habetur pro hac doctrina certum et evidens praescriptionis argumentum.

Mirum igitur non est in conciliis unionum *lugdunensi II* et *florentino* ex parte graecorum nullam umquam difficultatem motam esse quod attinet ad septem sacramenta (cf. *Denz.* n. 465 695). E contra quando protestantes saeculo XVI studebant graecis persuadere doctrinam suam, patriarcha *Ieremias* a. 1576 eorum sententiam repudiavit longa epistula, in cuius c. 7 ait: «Sacramenta vero ritusque in hac ipsa catholica recte sentientium christianorum ecclesia sunt septem: baptisma. . . .» In alia autem epistula a. 1581 ait: «E sacramentis quaedam admittitis, sed cum errore . . . quaedam vero ne sacramenta quidem esse dicitis . . . indeque vosmet theologos vocatis» (*Schelstrate* l. c. 151 sqq 246 sq). Etiam variae synodi graecae, ut *constantinopolitana* a. 1642, eandem doctrinam de septem sacramentis proponunt (cf. *Mansi,* Collect. Concil. XXXIV 1634 et *Schelstrate* l. c. 504).

c) Prima certa et *explicita enumeratio septem sacramentorum* legitur in vita *S. Ottonis,* pomeranorum apostoli (edita ante a. 1168), qui abiens reliquit fidelibus breve doctrinae compendium, in quo inter alia ait: «Discessurus a vobis, trado vobis quae tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem scilicet sacramenta ecclesiae. . . . Ista ergo septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet: baptismum, eucharistiam, confirmationem, infirmorum unctionem, lapsorum reconciliationem, coniugium et ordines. . . . Docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes« (*M* 173, 1360). Eandem doctrinam tradunt *Gregorius,* episcopus bergamensis (1133—1146), de quo vide Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1878, 800; auctor opusculi, quod inscribitur «Sententiae divinitatis» (ed. *B. Geyer,* Muenster 1909, 108* sq, qui censet illud esse scriptum ante a. 1147); magister *Rolandus* (Bandinellus, postea Alexander III) in «Sententiis», quas circa a. 1150 scripsit (ed. *A. M. Gietl,* Friburgi 1891, 154 sqq 194 sq); *Petrus Lombardus* (Sent. 4, dist. 2, n. 1), et deinceps alii plurimi.

In professione fidei waldensibus praescripta a. 1208 *Innocentius III* non quidem numerum septenarium effert, sed doctrinam de septem sacramentis proponit (*Denz.* n. 424). Post multa concilia provincialia et post *concilium constantiense* (*Denz.* n. 665 sqq) tandem doctrinam definivit *concilium tridentinum* sess. 7, can. 1: «S. q. d. sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, paenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S.» (*Denz.* n. 844). Cum vero modernistae hanc definitionem vilifecissent, dicentes: «Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent» (*Denz.* n. 2039), haec propositio damnata et sub poena excommunicationis interdicta est.

7. *Obi. I.* Neque S. Scriptura neque SS. Patres umquam loquuntur de numero septenario sacramentorum. Atqui si Christus instituisset septem sacramenta, hoc debuit clare dici. Ergo Christus non instituit septem sacramenta.

Resp. *Dist. mai.:* In S. Scriptura et apud SS. Patres non explicite effertur numerus septenarius sacramentorum, *conc. mai.;* non indicantur singula septem sacramenta, *neg. mai. Dist. min.:* Si Christus instituit septem sacramenta, debuerunt singula sacramenta ab initio tradi in ecclesia, *conc. min.* Debuit numerus septenarius explicite efferri, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Inanitas huius obiectionis inde patet, quod S. Scriptura et SS. Patres neque loquuntur de numero binario vel ternario sacramentorum, neque ullum omnino numerum indicant. Sufficit iis res ipsas sacramentarias proponere. Quaestio de numero septenario pertinet ad theologiam systematicam, quae postea tantum exculta est.

Praeterea obliviscendum non est *vocem sacramenti apud veteres eandem latam significationem habuisse, quam nunc adhuc habet vox mysterii,* et ad res valde diversas applicatam esse. Ergo sicut nunc quis in angustum veniret, si respondendum esset ad quaestionem: Quot sunt mysteria in ecclesia catholica? ita olim non potuit poni et solvi quaestio: Quot sunt sacramenta in ecclesia catholica? antequam haec vox acciperet restrictam illam significationem, quam nunc habet. Quando theologi primum formaliter efferebant septem esse sacramenta, addendum erat hoc valere de «principalibus sacramentis», ut ait *concilium londinense* a. 1273 (*Mansi,* Collect. conc. XXIII 448), non de omnibus, quae dicebantur sacramenta; vel agi de sacramentis a Christo institutis; vel alia limitatio addenda erat. E. g. *Gregorius Bergamensis* in opusculo «De veritate corporis Christi» ait: «Verum ne quis occasione dictorum existimet tot esse sacramenta, quot sunt, quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus ea solum esse ecclesiae sacramenta, a servatore nostro Iesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuere, et haec numero adimplentur septenario.»

Tandem temporibus SS. Patrum *disciplina arcani* obstabat doctrinae sacramentariae ex integro litteris tradendae. Nam si e. g. *Innocentius I* ad

Decentium episcopum scribit de forma confirmationis: «Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere» (*Denz.* n. 98), multo magis eadem religio impediebat, ne omnia proponerentur in libris communi usui destinatis. Attamen satis diversa videtur fuisse haec disciplina aliis locis et temporibus.

8. *Obi. II.* Inter ritus a Christo institutos est etiam lotio pedum (Io 13, 14). Ergo haec non minus quam ritus supra recensiti inter sacramenta referenda est.

Resp. *Dist. antec.:* Christus commendavit lotionem pedum ut exercitium humilitatis, *conc. antec.;* instituit eam ut ritum sacramentalem ad certas gratias hominibus conferendas, *neg. antec.* Quid Christus illa caerimonia significare voluerit, ipse clare indicat. «Si ego lavi pedes vestros, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes» (Io 13, 14). Certe his verbis non instituit sacramentum, quod alter alteri indiscriminatim, quoties liberet, administraret. «Non ergo ad sacramentum tamquam mundationis pertinebat, quod lavit iis pedes, sed ad exemplum humilitatis» (*S. August.,* In Ps. 92, n. 3).

Sic ecclesia semper intellexit hoc dictum et factum Christi. In ecclesia mediolanensi baptizatis pedes lavabantur. De qua caerimonia ait *S. Ambrosius:* «Planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur» (De mysteriis c. 6, n. 32). Quo loco «hereditaria peccata» non idem est ac peccatum originale, sed intellegitur concupiscentia post baptismum in homine remanens. Ita auctor librorum «De sacramentis» (qui diu Ambrosio tribuebantur) ait: Quare baptizati pedes lavantur? Respondet: Baptismo tollitur quidem culpa, «sed quia Adam supplantatus est a diabolo, et venenum eius effusum est super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis» (De sacram. l. 3, c. 1, n. 7). Ibidem (n. 5) dicit hanc caerimoniam in ecclesia romana non esse in usu. Certe ecclesia mediolanensis non putabat se habere sacramentum, quod aliae ecclesiae non haberent. *S. Bernardus* caerimoniam lotionis pedum, quae observatur in hebdomada sancta, enumerat quidem cum aliis sacramentis (Serm. in cena Domini n. 4), sed hoc nullius est momenti, quia nomen sacramenti ea aetate etiamtum latiore sensu accipiebatur.

9. *Obi. III.* Si sacramenta significant gratiam, sufficiebat unum sacramentum instituere, sicut una specifice est gratia. Ergo superflua sunt septem sacramenta.

Resp. *Dist. antec.:* Si sacramenta nihil significant nisi gratiam sanctificantem nude in se consideratam, sufficiebat unum sacramentum, *conc. antec.;* si significat gratiam cum certis relationibus ei annexis, sufficiebat unum sacramentum, *neg. antec.*

Baptismus significat gratiam, qua homo abluitur a peccato originali et fit membrum ecclesiae; confirmatio significat gratiam militis Christi; eucharistia significat gratiam spiritualis refectionis animae; paenitentia significat gratiam liberationis et conservationis a peccatis propriis; extrema unctio significat gratiam confortationis in ultimo agone; ordo significat gratiam sacerdotalem, matrimonium significat gratiam vitae coniugalis. Ideo suas quodque sacramentum dicitur significare et efficere gratias sacramentales, de qua re

postea. Immo singulis sacramentis proxime convenit propria significatio, qua inter se differunt, et hanc rem significatam pleraque sacramenta producunt, etsi propter indispositionem subiecti gratia sanctificans non infunditur.

Hac de causa *sacramenta possunt recipi valide et infructuose.* Ita potest aliquis esse valide baptizatus vel ordinatus, etsi nullam per sacramentum recepit gratiam sanctificantem. Hoc magis certum est quoad ea sacramenta, quae iterari non possunt, quam quoad cetera, ut suis locis videbimus. Itaque singula sacramenta proxime significant aliquem effectum, qui ex intentione Christi debet quidem iunctus esse cum gratia, potest tamen exsistere separatus a gratia, sicut potest esse aliquis christianus, vel sacerdos, vel matrimonio iunctus, etsi gratia caret.

Sacramenta, sicut significant sanctificationem hominis, etiam significant causam efficientem et meritoriam huius sanctificationis, quae est Christus, qui passione sua gratiam meruit, qui sacramenta instituit, qui gratiam in anima producit; significant causam formalem sanctificationis, quae est gratia cum virtutibus; significant causam finalem, quae est vita aeterna (*S. Thomas* 3, q. 60, a. 3).

Aliam obiectionem vide I, n. 208; cf. ibid. n. 224 sqq.

Schol. 1. Num fuerint sacramenta ante Christum.

10. a) *Concilia florentinum et tridentinum,* cum doceant sacramenta novae legis multum differre a sacramentis veteris legis (*Denz.* n. 695 845), manifeste supponunt fuisse in lege mosaica sacramenta, quae saltem analogice conveniant cum sacramentis novae legis; nam aliter comparari non possunt. Haec est etiam doctrina SS. Patrum, ut *S. Augustini* (Contra Faustum l. 19, c. 13), et theologorum, ut *S. Thomae* (3, q. 61, a. 3).

Quae fuerint sacramenta veteris legis, non tam certum est. Convenit inter omnes *circumcisionem fuisse sacramentum.* Haec erat a Deo instituta in signum foederis, quod inierat cum Abraham et posteris eius (Gn 17, 11 sq. Lv 12, 3. Ios 5, 3 sqq), quo signo masculus admittebatur ad populum Dei et segregabatur a gentibus (Gn 17, 14. Ex 12, 44 48; 19, 5 sq. Rom 9, 4 sq). Significabat futuram gratiam messianicam, quia eam significabant omnes caerimoniae veteris legis, quae sunt «exemplaria caelestium», «umbra futurorum bonorum» (Hebr 9, 23; 10, 1). Quare *Eugenius IV* ait: «Non causabant gratiam, sed per passionem Christi dandam esse figurabant» (*Denz.* n. 695). In specie circumcisio praefigurabat baptismum, qui vocatur circumcisio spiritualis (Col 2, 11 sq; cf. Dt 10, 16; 30, 6). *S. Augustinus:* «Circumcisio fuit illius temporis sacramentum, quod praefigurabat nostri temporis baptismum» (De anima l. 2, c. 11, n. 15). *S. Thomas:* «Circumcisio per remotionem carnalis pelliculae in membro generationis factam significabat spoliationem vetustae generationis, a qua quidem vetustate liberamur per passionem Christi» (3, q. 37, a. 1 ad 1). Conferebat autem circumcisio legalem sanctificationem, quia omnia sacramenta veteris legis sanctificabant «ad emundationem carnis» (Hebr

9, 13), i. e. hominem participem reddebant cultus veteris legis, a quo arcebatur per certas legales immunditias, et maxime arcebatur omnis incircumcisus (Ex 12, 43 sqq 48).

Itaque *sacramentum veteris legis fuit signum a Deo perenniter institutum ad significandam futuram gratiam Christi et ad conferendam sanctificationem legalem.* Inter sacramenta veteris legis numerantur agnus paschalis (Ex 12; cf. 1 Cor 5, 7), panes propositionis (Lv 24, 5 sqq), varia baptismata et aliae caerimoniae, quae referuntur Lv 12 et Num 19 sqq; cf. Hebr 9, 9 sq. Brevem quandam expositionem singulorum dat *S. Thomas* (1, 2, q. 102, a. 5).

b) Alia quaestio est, *num etiam fuerit sacramentum ante legem mosaicam vel extra legem mosaicam,* in statu legis naturae, ut theologi loqui solent. Respondent theologi fuisse certe remedium, quo parvuli morientes salvari possent, plerique etiam censent fuisse aliquod signum externum, quo a parentibus vel aliis nomine infantis fieret professio fidei in Deum remuneratorem, et hoc saltem sensu in futurum Messiam. Idem valet de puellis iudaeis, quia soli pueri circumcidebantur. Provocant ad verba *Innocentii III:* «Absit, ut universi parvuli pereant, quorum cotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem» (*Denz.* n. 410). Quae ratio universalis omnibus infantibus omnium temporum convenit. Iam *S. Augustinus* scripserat: «Nec credendum est et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat mediatoris fides, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis» (Contra Iul. l. 5, c. 11, n. 24). Similiter alii Patres. *S. Thomas* etiam magis generaliter docet: «Oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta» (3, q. 61, a. 3). In statu autem originalis iustitiae, etiamsi hic status perseveraturus fuisset, censet non fuisse sacramenta (ibid. a. 2).

Schol. 2. De materia et forma sacramentorum ecclesiae.

11. *Eugenius IV* in Decreto pro armenis docet sacramenta perfici »rebus tamquam materia, verbis tamquam forma» (*Denz.* n. 695). Similiter *concilium tridentinum* loquitur de materia et forma sacramentorum (*Denz.* n. 895).

Hic modus loquendi introductus est a theologis medii aevi, sed res invenitur iam apud SS. Patres et in S. Scriptura. Baptismus administratur per infusionem aquae et verba: ego te baptizo etc.; ideo dicitur «lavacrum aquae in verbo vitae» (Eph 5, 26). De qua re *S. Augustinus* ait: «Et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum» (In Io tract. 80, n. 3).

In rebus physicis distinguitur materia, ex qua res est, et forma, qua res talis est. Haec igitur scholastici transferentes ad sacramenta,

analogo quodam loquendi modo id quod est in sacramentis minus determinatum, ut e. g. est aqua in baptismo, vocarunt materiam, id vero quo perficitur significatio, ut verba: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vocarunt formam. *S. Thomas:* «In sacramentis verba se habent per modum formae, res autem per modum materiae» (3, q. 60, a. 7). Omnes theologi hunc modum loquendi receperunt, qui ex operibus theologicis transiit in decreta conciliorum et usum liturgicum, ut patet ex *Rituali Romano,* in quo legitur e. g. instructio «De materia baptismi, De forma baptismi.» (Cf. *Catech. Rom.* pars II, c. 1, n. 15 sqq.) Res, quae applicatur in sacramentis, vocatur *materia remota,* ut aqua in baptismo; applicatio rei vocatur *materia proxima,* ut infusio aquae.

Sed cessat theologorum consensus, si quaeritur, num omnia signa sacramentalia *intrinsecus constituantur* materia et forma. Nam e. g. eucharistia non videtur constitui ullis verbis, paenitentia non videtur constitui ulla materia. Ideo scotistae et alii theologi dicunt omnia quidem sacramenta *perfici* rebus ut materia et verbis ut forma, non vero omnia intrinsecus constitui materia et forma. Sed *S. Thomas* (3, q. 90, a. 2) et thomistae docent omnia sacramenta intrinsecus constitui materia et forma. Ecclesia nihil de hac disputatione definivit, et ideo argumentis res decidenda est, quae proponuntur in tractatibus de singulis sacramentis.

In sacramentis legis mosaicae non videtur fuisse ulla forma verborum sed sola actio quaedam, ut circumcisio, esus agni paschalis etc. Ita saltem communius censent theologi (cf. *S. Thomas* 3, q. 60, a. 6 ad 3).

PARS II.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM ECCLESIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 62 sq; *Bellarminus,* De sacramentis liber II; *De Lugo,* De sacramentis in genere disp. 4; *De Augustinis,* De sacramentis I² 273 sqq 294 sqq 308 sqq; *Van Noort,* Tractatus de sacramentis I, c. II; *Sasse,* De sacramentis ecclesiae I, sect. IV; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III⁵ 37 sqq; *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique VII 39 sqq; *De Bellevue,* La grâce sacramentelle, Paris 1900; *O. Laake,* Der sakramentale Charakter, Muenster 1903; *F. Brommer,* Die Lehre vom sakramentalen Charakter in der Scholastik bis Thomas von Aquin inklusive, Paderborn 1908.

Prop. II. Sacramenta producunt gratiam ut causae instrumentales ex opere operato.

12. ***Stat. quaest.*** a) Cum sacramenta sint signa efficacia gratiae, quaeritur, quomodo gratiam producant. Gratia est ens supernaturale, quod solus Deus ut *causa principalis* producere potest, quia ipse solus efficere potest, ut homo fiat filius Dei adoptivus et heres vitae aeternae. Ita docet *Concilium tridentinum* sess. 6, c. 7: Iustificationis causa efficiens est «misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus heredi-

tatis nostrae» (*Denz.* n. 799). Nihilominus Deus salutem hominum non per se solum efficit, sed utitur creaturis ut ministris et instrumentis suis, tam personis quam rebus. Inter res autem, quas Deus elegit ut instrumenta sua ad sanctificandos homines, praecipuae sunt sacramenta. Haec igitur dicuntur *causa* gratiae, quia ex institutione divina aliquid conferunt ad gratiam producendam. Indigent institutione divina, quia nulla res naturalis per se significat gratiam, multo minus producit gratiam. Sub hoc igitur respectu sacramenta non sunt signa naturalia sed signa ad placitum. Consequenter sacramenta sunt *causa instrumentalis,* quia causa instrumentalis est ea, quae non per se producit effectum sed solum sub influxu seu motione altioris agentis.

Sicut «causa instrumentalis», ita «opus operatum» est terminus technicus, introductus a theologis scholasticis et receptus ab ecclesia. Legitur primum apud *Petrum Pictaviensem* (Sent. l. 5, pars 5, c. 6). *S. Thomas* ait: «Ipsum sacramentum dicitur a quibusdam opus operatum» (In 4, dist. 1, q. 1, a. 5). Postea omnes ita loquuntur. Illud «operatum» sumitur sensu passivo. Ergo *opus operatum est ipsum signum sacramentale rite positum,* e. g. infusio aquae in caput baptizandi simul cum verbis: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Distinguitur opus operatum ab opere operantis, i. e. a meritis ministri sacramentum administrantis et a meritis subiecti sacramentum recipientis. Sensus igitur propositionis est: Quando homo debito modo sacramentum suscipit, gratiam sanctificantem accipit vi signi a Christo instituti, quamquam potest simul mereri gratiam ex opere operantis.

Per opus operatum non excluduntur actus ministri et suscipientis adulti. Nam minister debet rite applicare materiam et formam, et homo adultus debet velle suscipere sacramentum et debet se per actus fidei et alios actus, praesertim si in peccatis est, per actus paenitentiae disponere ad accipiendam gratiam sanctificantem. Defectus dispositionis, quo quis incapax est gratiae accipiendae, vocatur *obex* (cf. *S. August.* ep. 98, n. 10). Ideo sacramenta dicuntur conferre gratiam «non ponentibus obicem» (*Denz.* n. 849). Obex est voluntarius defectus dispositionis, non quaevis incapacitas, ut ineptitudo mulieris ad suscipiendos sacros ordines.

b) Secundum *protestantes,* docentes sola fide fieri iustificationem, sacramenta nihil sunt nisi caerimoniae quaedam, quibus excitatur fides, quatenus iis annexa est promissio et praeceptum Dei. Ita *Lutherus* (e. g. in serm. «Contra caelestes prophetas» a. 1525). Simili fere modo *Calvinus* (Inst. l. 4, c. 14). *Zwingli* (De vera et falsa religione) docet sacramenta esse caerimonias, quibus homo coram ecclesia profiteatur fidem suam, sed nullam habere efficaciam. In *Apologia confessionis augustanae* (art. 13, n. 18) haec leguntur: «Damnamus totum populum scholasticorum doctorum, qui docent, quod sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato sine bono motu utentis.»

Secundum *modernistas* «sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam» (*Denz.* n. 2041; cf. 2089).

Thesis nostra est de fide definita.

13. *Arg. 1.* **Ex S. Scriptura.**

a) S. Scriptura, quoties de efficacia sacramentorum loquitur, hanc efficaciam non tribuit fidei, sed fide supposita dicit *per sacramenta homines accipere remissionem peccatorum et infusionem gratiae.* Ita iudaei iam credentes interrogant, quid debeant facere ad salutem assequendam. Respondet Petrus: «Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti» (Act 2, 37 sq). Qui baptizantur, renascuntur «ex aqua et Spiritu Sancto» (Io 3, 5). Christus «salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti» (Tit 3, 5). Per impositionem manus apostolorum dabatur Spiritus Sanctus (Act 8, 17 sq). Christus sanctificat ecclesiam, «mundans lavacro aquae in verbo vitae» (Eph 5, 26). «Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum» (2 Tim 1, 6). «Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo» (Io 6, 56 sq). His et aliis locis causalitas sacramentorum in producenda gratia sanctificante manifeste exprimitur.

b) *S. Scriptura essentialem differentiam statuit inter sacramenta veteris et novae legis et inter baptismum Ioannis et baptismum Christi.* Atqui si sacramenta novae legis sunt nuda signa, quae valent solum ad excitandam fidem, nulla est essentialis differentia inter sacramenta Christi et priora sacramenta; id quod *Lutherus* (Serm. de adoratione sacramenti corporis Christi a. 1523) et *Calvinus* (Instit. l. 4, c. 14, § 23) expresse concedunt.

Prob. mai. Ioannes de suo baptismo ait: «Ego quidem baptizo vos in aqua in paenitentiam; qui autem post me venturus est . . . ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni» (Mt 3, 11 sq; cf. Io 1, 24 sq; Act 19, 3 sqq).

S. Paulus, qui toties praedicat efficaciam baptismi, effert et inculcat caerimonias inefficaces ad sanctificandum in sola vetere lege a Deo praeceptas fuisse; galatas igitur stulte agere volentes iterum redire ad tales caerimonias. «Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo . . . sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre. Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum . . ., ut adoptionem filiorum reciperemus. . . . Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?» (Gal 4, 1 sqq.) Illae enim sunt caerimoniae, «quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem

solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis» (Hebr 9, 9 sq).

Haec Pauli argumentatio esset plane inefficax, si Deus etiam in nova lege instituisset et praecepisset «infirma et egena elementa», quae non possent hominem «iuxta conscientiam perfectum facere». Nam galatae non reiciebant sacramenta novae legis, sed iis solum volebant addere circumcisionem et alia sacramenta veteris legis; et contra hoc S. Paulus inter alia argumentatur ex infirmitate horum sacramentorum. Ergo in nova lege omnia sacramenta, a Deo instituta et praecepta, sunt efficacia gratiae.

14. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

SS. Patres gravissimis verbis laudant efficaciam sacramentorum. Eorum dicta de singulis sacramentis postea audiemus. Sufficiat interim audire, quomodo de baptismo loquantur. *Tertullianus:* »Nonne mirandum est lavacro dilui mortem? . . . Supervenit Spiritus de caelis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt» (De bapt. c. 2 4). *S. Cyrillus Hieros.:* »Eodem momento et mortui et nati estis, illaque unda salutaris et sepulchrum vobis et mater effecta est» (Catech. myst. 2, c. 4). *S. Ioannes Chrysost.:* «Quod est matrix embryoni, hoc est aqua fideli; in aqua enim fingitur et formatur. . . . Animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit» (In Io hom. 25, al. 26, n. 1). Eadem similitudine utuntur alii Patres. *S. Augustinus* de sacramentis novae legis in genere ait: Alia atque in vetere lege «sunt instituta, virtute maiora, utilitate meliora, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei, iugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat» (Contra Faustum l. 19, c. 13). Quodammodo iam dat definitionem efficaciae ex opere operato, loquens de baptismo: «Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem» (Contra Crescon. l. 4, c. 16, n. 19).

Eadem est doctrina theologorum. *S. Thomas* ait: In vetere lege multae erant caerimoniae a Deo determinatae. «Sed lex nova, quae est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet, sed est contenta praeceptis moralibus naturalis legis et articulis fidei et sacramentis gratiae; unde et dicitur lex fidei et lex gratiae propter determinationem articulorum fidei et efficaciam sacramentorum» (Quodl. 4, a. 13; cf. 1, 2, q. 108, a. 1; 3, q. 62, a. 1 et 6).

15. *Arg. 3.* **Ex definitionibus ecclesiae.**

Concilium tridentinum, sess. 6, c. 7 enumerans omnes causas gratiae, per quas homo in baptismo iustificatur, ait: causa «instrumen-

talis: sacramentum baptismi». Sess. 7, c. 5: «S. q. d. haec sacramenta [novae legis] propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, A. S.» Can. 6: «S. q. d. sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S.» Can. 7: «S. q. d. non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, A. S.» Can. 8: «S. q. d. per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S.» (*Denz.* n. 799 848 sqq). Ergo secundum concilium tridentinum sacramenta sunt causa instrumentalis iustificationis, quia gratiam continent ut causa effectum, et quia per ea infallibiliter confertur gratia ex opere operato omnibus rite suscipientibus. Ergo nulla est ratio dubitandi, quin concilium sacramentis attribuat causalitatem instrumentalem proprie dictam. Neque tempore concilii neque post concilium de hac re erat disputatio inter theologos, sed disputabatur et adhuc disputatur, utrum haec causalitas sit physica an moralis, de qua re ecclesia nihil definivit.

Ceterum multo ante concilium tridentinum ecclesia in *Symbolis* profitebatur: »Credo unum baptisma in remissionem peccatorum» (*Denz.* n. 9 86). *Concilium milevitanum II* can. 2: «Parvuli . . . ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt» (*Denz.* n. 102; cf. n. 324 539 695 741).

16. *Obi. I.* Plurima sacramenta novae legis exigunt, ut homo sit in statu gratiae sanctificantis. Ergo hanc gratiam non conferunt.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Non omnia sacramenta conferunt primam gratiam, *conc. conseq.;* non omnia conferunt aut primam gratiam aut secundam gratiam seu augmentum gratiae sanctificantis, *neg. conseq.* Ideo distinguuntur *sacramenta mortuorum:* baptismus et paenitentia, quae possunt licite et fructuose suscipi a peccatoribus paenitentibus, et *sacramenta vivorum,* quae non possunt licite et fructuose suscipi ab eo, qui scit se esse in statu peccati mortalis.

17. *Obi. II.* Si sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ad iustificationem non requiritur bonus motus ex parte hominis. Atqui hoc est contra S. Scripturam. Ergo sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato.

Resp. *Dist. mai.:* Non requiritur bonus motus, qui mereatur gratiam, *conc. mai.* Non requiritur bonus motus ut dispositio praevia ad recipiendam gratiam per sacramenta, *neg. mai. Dist. min.:* Contra S. Scripturam est dicere hominem adultum sine ullo bono motu posse iustificari, *conc. min.;* contra S. Scripturam est negare gratiam sanctificantem unice dari propter meritum hominis, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Concilium tridentinum sess. 6, c. 6 describit, quibus bonis motibus homines disponantur ad iustificationem (*Denz.* n. 798), et sess. 14, c. 1 docet: «Fuit paenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria» (*Denz.* n. 894).

Calumnia est, quod quidam protestantes dicunt Scotum et alios theologos docuisse ad iustificationem non requiri ullum bonum motum ex parte hominis. *Scotus* ait: Sacramentum iustificat, si recipitur «cum displicentia peccati commissi et cum proposito abstinendi a peccato» (In 4, dist. 14, q. 1, n. 22). «Deus requirit dispositionem de congruo ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per sacramentum. . . . Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam paenitentiae oportet suscitari [peccatorem a peccato] vel simpliciter, et tunc per paenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quae infuit, augetur; vel suscitari secundum quid, scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero . . . et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum» (ibid. q. 4, n. 6 et 9). Ex his intellegitur, quo sensu Scotus dicat: «Sacramentum novae legis ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi bonus motus interior, qui *mereatur* gratiam, sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem» (In 4, dist. 1, q. 6, § «De potentia» in fine).

18. Obi. III. *S. Augustinus* ait: «Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?» (In Io. tract. 80, n. 3.) Ergo secundum S. Augustinum verba sacramentalia eatenus tantum habent vim sanctificandi, quatenus excitant fidem suscipientium.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam*, quia haec conclusio est contra expressam doctrinam Augustini (cf. supra n. 11 14). Secundum S. Augustinum verba baptismi, non ut sunt materialis sonus, sed ut sunt confessio Trinitatis, consecrant aquam, ut fiat baptismus; et hoc etiam fit, si proferuntur ab haeretico, qui non habet rectam fidem. «Si evangelicis verbis ‚in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti' Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis eius fides sub iisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra sed fabulosis falsitatibus inquinata» (De bapt. l. 3, n. 20).

Verba sacramentalia dupliciter sunt consecratoria: a) quatenus consecrant materiam et eam determinant, ut sit perfectum signum sacramentale; b) quatenus sunt principalis pars causae instrumentalis iustificationis. Signa sacramentalia possunt etiam excitare fidem, at haec non est efficacia, quae iis convenit, in quantum sacramenta sunt. Quomodo fides se habeat ad iustificationem, dictum est in tractatu de gratia (III, n. 308 sqq). In susceptione sacramentorum fides est dispositio necessaria, sine qua fructum gratiae nemo percipere potest.

19. Obi. IV. Materialibus rebus tribuere vim ad sanctificandas animas hominum nihil aliud est quam iis tribuere vim magicam. Atqui non est vis magica statuenda. Ergo sacramenta dicenda non sunt efficacia gratiae ex opere operato.

Resp. *Dist. mai.:* Magia est quibusdam signis tribuere vim ad producendos certos effectus propter interventionem aliquorum spirituum quibusdam

adiurationibus invocatorum, *conc. mai.*; magia est tribuere sacramentis vim sanctificandi, quatenus sunt instrumenta Dei, ab ipso ad sanctificandos homines electa et instituta, *neg. mai.*

Illa morologia *Calvini* (Antid. conc. trid. ad sess. 6, can. 5) et aliorum protestantium, etiam recentium, per se non meretur responsum, quia talibus conviciis quaestiones theologicae non deciduntur (cf. *Bellarm.*, De sacram. 1, 20).

Schol. 1. De gratiis sacramentalibus.

20. Unum idemque sacramentum rite susceptum producit quidem semper gratiam sanctificantem, maiorem tamen aut minorem pro meliore aut minus bona dispositione suscipientis. Ita *concilium tridentinum* sess. 6, c. 7 docet unumquemque in iustificatione accipere iustitiam «secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem» (*Denz.* n. 799). Ergo ubi dispositio est eadem, ut in infantibus, aequalis infunditur gratia.

Sed *sacramenta specie diversa diversas dant gratias sacramentales*. Ita docent communiter theologi, ut *S. Thomas* (3, q. 62, a. 2) et *Suarez* (De sacram. disp. 7, sect. 3, n. 1). Ratio est, quia diversa sacramenta ad diversos fines sunt instituta et diversas significationes proximas habent (cf. supra n. 5 et 9); ergo ut fines suos attingant et ut causent, quod significant, oportet iis conferri diversas gratias sacramentales.

Gratiae diversae sacramentales non sunt diversi gradus gratiae sanctificantis, etsi probabile est dignioribus sacramentis produci ceteris paribus maiorem gradum gratiae. Sed gradus gratiae, quia dependet a dispositione suscipientis, potest maior esse in eo, qui suscipit minus sacramentum, quam in alio, qui suscipit maius sacramentum. Ergo in diversitate gradus gratiae non consistunt diversae gratiae sacramentales. Neque consistunt in specialibus habitibus infusis; nam virtutes et dona supernaturalia simul cum gratia infunduntur et augentur. Ergo gratiae sacramentales explicandae sunt per gratias actuales seu per ius ad has gratias.

Secundum communiorem theologorum doctrinam *gratiae sacramentales sunt ipsa gratia sanctificans, quatenus tali sacramento collata annexum habet ius ad specialia auxilia divina fini huius sacramenti correspondentia.* Ita baptismo datur ius ad auxilia conducentia, ut quis agat vitam christiano nomine dignam, per ordinem vel matrimonium conferuntur auxilia ad recte implenda officia sacerdotalia vel matrimonialia. Quae auxilia propter sacramenta dantur, quoties occasio postulat (cf. *S. Thomas* 3, q. 62, a. 2; *Suarez*, De sacram. disp. 7, sect. 3, n. 4).

Schol. 2. Num circumcisio contulerit gratiam ex opere operato.

21. Quidam theologi negant circumcisione deletum esse peccatum originale puerorum iudaeorum. Ita *Bellarminus* (De sacram. l. 2,

c. 17) et alii. Quidam dicunt circumcisione deletum esse peccatum originale ex opere operato. Ita *Mastrius* (De sacram. disp. 1, q. 2, a. 2, n. 86) et alii scotistae, qui dicunt verba concilii florentini (*Denz.* n. 695) de inefficacia sacramentorum mosaicorum non referri ad circumcisionem, cum haec iam fuerit ante Moysen. Tertia sententia est circumcisionem fuisse quidem remedium peccati originalis, non tamen ex opere operato. Ita *Suarez* (De sacram. disp. 5, sect. 1) et alii. Haec tertia sententia videtur praeferenda.

Itaque *in circumcisione remittebatur peccatum originale.* Gn 17, 14 dicitur: «Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.» Quae verba explicans *Innocentius III* ait circumcisionem tum fuisse necessariam masculis iudaeis ad salutem consequendam, sicut nunc omnibus necessarius est baptismus; esse tamen differentiam inter utrumque sacramentum, «quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum caelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum» (3 decret., tit. 42, c. 3 «Maiores» de bapt.). *S. Thomas* ait: «Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur» (3, q. 70, a. 4). *Scotus:* «Supponendum tamquam certum, quod per circumcisionem peccatum originale delebatur» (In 4, dist. 1, q. 6, § «Hic supponendum est»). Idem iam indicant SS. Patres, ut ostendit *De Augustinis* (De sacram. I 44 sq).

Ex altera parte *circumcisio non iustificabat ex opere operato.* Secus S. Paulus non potuit dicere: «Circumcisio nihil est» (1 Cor 7, 19). Neque ipsa Abrahamum iustificavit, sed erat signum tantum iustitiae antea acceptae (Rom 4, 9 sqq). *S. Augustinus:* «Si discernimus duo testamenta, vetus et novum, non sunt eadem sacramenta. . . . Sacramenta novi testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem» (In Ps. 73, n. 2). *S. Thomas:* «Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei iustificantis» (3, q. 62, a. 6). Haec sententia nunc ab omnibus fere theologis admittitur.

Itaque pro pueris iudaeorum *circumcisio assignata erat condicio, sine qua non remittebatur peccatum originale.* Videlicet hoc signum ponebatur in infantibus tamquam externa professio fidei in futurum Messiam. Proximus effectus erat, ut infans reciperetur in populum Dei electum, et intuitu huius receptionis delebatur peccatum originale. Itaque circumcisio erat instrumentum aggregationis ad populum Dei, et aggregatio ad populum Dei erat condicio sanctificationis. *S. Augustinus:* Peccatum originale «significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est sacramento Mediatoris in carne venturi, quia per eandem

fidem venturi in carne Christi . . . etiam iusti salvabantur antiqui» (De nupt. et concup. l. 2, c. 11, n. 24). *S. Thomas:* «In circumcisione conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio» (3, q. 70, a. 4). *Franzelin:* «Aggregatio infantis ad populum Dei fiebat signo visibili sacramentali; in hac aggregatione fides ecclesiae applicabatur infanti ita, ut hic etiam coram Deo iam inter fideles reputaretur; haec fides dispositio erat sufficiens ex divinis promissis ad sanctificationem per merita futura Christi impertiendam» (De sacram. 27).

Prop. III. Sacramenta baptismi, confirmationis, ordinis imprimunt animae indelebilem characterem, ratione cuius iterari non possunt; quo charactere homo speciali modo conformatur Christo sacerdoti et deputatur ad cultum divinum.

22. **Stat. quaest.** a) *Character* (χαράσσειν, incidere, imprimere) apud veteres dicebatur nota animali vel homini incisa vel inusta, qua distingueretur ab aliis. Hanc appellationem *S. Augustinus* a milite transtulit ad christianum. Ita loquens de homine «militari nota» signato, qui habet «militiae characterem in corpore suo», facit hanc applicationem: «An forte minus haerent sacramenta christiana quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per paenitentiam redeuntibus non restituitur; et ideo amitti non posse iudicatur?» (Contra epist. Parmen. l. 2, c. 13, n. 29.) Vel sicut ovis errans ex charactere inusto cognoscitur, cuius sit, ita docet characterem baptismalem manere in haeretico: «etiam ovem, quae foris errabat, et characterem a fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianae unitatis salutem, ab errore corrigi . . . characterem tamen dominicum in ea agnosci» (De bapt. l. 6, c. 1, n. 1).

Hanc terminologiam a S. Augustino recepit ecclesia, sed res ipsa iam multo ante docebatur sub nomine signi, signaculi vel sigilli. Quod nomen theologi retinent, cum characterem definiunt: *Character est signum spirituale, animae indelebiliter impressum.* Dicitur «signum», quatenus anima obiective signatur ut pertinens ad ordinem cultorum Dei. Est signum «indelebile», quatenus non potest per ullum peccatum ex anima deleri, sicut potest primarius effectus sacramentorum, quae est gratia sanctificans.

Characterem negant omnes protestantes. Doctrina catholica definita est: per tria illa sacramenta characterem indelebilem animae imprimi, ideoque ea iterari non posse. Quae de indole huius characteris quaeri possunt, pertinent ad disputationes theologicas.

b) Tribus locis S. Scripturae (2 Cor 1, 21 sq. Eph 1, 13; 4, 30) dicuntur fideles signati esse Spiritu Sancto. Hos locos iam quidam SS. Patres exponunt de effectu baptismi. Ita *S. Ambrosius:* «Si qua in aqua gratia, non ex natura aquae sed ex praesentia est Spiritus Dei.» Citat dein illos textus, et concludit: «Spiritu signamur, ut splen-

dorem atque imaginem eius tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum» (De Spiritu Sancto l. 1, c. 6, n. 77 sqq). Similiter loquitur *S. Ioannes Chrysost.* (In Eph. hom. 2, n. 1). *S. Thomas* (3, q. 73, a. 1) et posteriores theologi ad illos textus provocant, ut probent characterem, item *Catechismus Rom.* (Pars II, c. 1, n. 30). Certum tamen argumentum biblicum ex illis dictis Pauli peti non potest, quia ea aliam bonam explicationem admittunt et aliter ab aliis explicantur. Probatio igitur e traditione petenda est.

23. *Arg. 1.* Ex SS. Patribus.

Prima mentio huius rei videtur esse, quando SS. Patres baptismum vocant signum vel sigillum, ut in secunda, quae dicitur, epistula *Clementis Rom.* (c. 8, n. 6): «Sigillum immaculatum», vel in *Didascalia* et *Constitutionibus Apost.:* «Sigillum infragile» (L. 3, c. 16; ed. *Funk,* Paderbornae 1905, I 210). Iam in testimonio, quod provenit ex saeculo II, haec res ita exponitur: «Quandoquidem et muta animalia per signaculum ostendunt, cuius sit unumquodque, et ex signaculo videtur, sic et anima fidelis, quae veritatis sigillum accepit, stigmata Christi portat» (Eclogae ex *Theodoto* apud *Clem. Alex.* n. 86; *M* PG 9, 698).

Distinguunt SS. Patres hoc signum a gratia sanctificante, cum maneat etiam in peccatore. *S. Ioannes Chrysost.:* «Quemadmodum nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, ut si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Iudaei enim signi loco circumcisionem habent, nos autem pignus Spiritus» (In 2 Cor hom. 3, n. 7). Inhabitatio Spiritus Sancti per gratiam cessat, si quis ordinem Christi deserit; ergo a gratia distinguitur illa nota, quae manet. *S. Augustinus* de peccatore baptizato ait: «Characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur» (In 1 Io tract. 5, n. 6).

Hoc signum est prorsus indelebile, ideoque semel tantum imprimitur. S. Basilius: «Sigillum, quod nullo conatu frangi potest» (Hom. in bapt. n. 5). *S. Cyrillus Hieros.:* «Signaculum sanctum indissolubile», «Spiritus Sancti signaculum indelebile in saecula» (Procat. n. 16 sq). Baptismum semel rite collatum repeti non posse semper in confesso erat apud christianos. Cur non? cum gratia per baptismum collata amitti possit. *S. Augustinus:* «Baptizatus ecclesiae, si fuerit desertor ecclesiae, sanctitate vitae carebit . . . sicut desertor militiae caret legitima societate, non caret regio charactere» (Serm. 8, n. 2). «An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota» militis? (Contra epist. Parmen. l. 2, c. 13, n. 29.) Ideo baptismum et ordinem «non licet iterari» (ibid. n. 28).

Character est signum, quo homines signantur ut pertinentes ad familiam Christi. S. Hippolytus eum vocat «signaculum a Christo datum fidelibus», sicut Antichristus asseclis suis signum bestiae dabit (De Christo et Antichr. n. 6). Acta *S. Theclae* (c. 8): Est «signaculum in Christo muniens contra tentationes». In eclogis ex *Theodoto*

apud *Clem. Alex.:* In numismate est imago et superscriptio Caesaris, «sicut et fidelis inscriptionem habet per Christi nomen, Spiritum autem velut imaginem». Baptizatus «stigmata Christi portat» (n. 86; *M* PG 9, 698). *S. Cyrillus Hieros.:* Eum, qui hoc sigillo munitus est, angeli «ut cognatum et domesticum observantia prosequuntur» (Catech. 1, n. 3). *S. Basilius:* «Agnoscet te nemo, nosterne sis an hostium, nisi mysticis symbolis exhibeas domesticitatem . . . Quomodo angelus te iuvabit? quomodo eripiet hostibus, nisi recognoscat sigillum»? (Hom. in s. bapt. n. 4.) Huc pertinet, quod dicunt hac nota signari oves Christi, ut *S. Gregorius Naz.* (Orat. 40, n. 4) et *S. Ephraem* (apud *Assemani,* Bibl. orient. I 94). *S. Augustinus* docet omnes baptizatos habere «dominicum characterem» (Epist. 98, n. 5).

24. *Arg. 2.* **Ex constitutionibus ecclesiae.**

Initio saeculi XIII archiepiscopus arelatensis interrogaverat, num etiam dormientibus, si baptizarentur, imprimeretur character. Respondet *Innocentius III:* Affirmative, dummodo prius habuerint propositum suscipiendi baptismum. «Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem» (*Denz.* n. 411). Illa igitur doctrina de charactere sacramentali erat iam universaliter nota et recepta, neque ab *Innocentio III* excogitata est, ut affirmat *Chemnitius* (Examen concilii trid., ed. francoford. 1578, 27 sqq). *Eugenius IV* in decreto pro armenis: «Inter haec sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, i. e. spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non iterantur. Reliqua vero quattuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt» (*Denz.* n. 695). *Concilium tridentinum* can. 9 de sacram.: «S. q. d. in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S.» (*Denz.* n. 852; cf. 960 964). *Leo XIII* damnavit prop. 28 *Rosmini* dicentis Verbum divinum ipsum esse characterem, qui in baptismo imprimatur (*Denz.* n. 1918).

25. *Arg. 3.* **Explicatio theologorum.**

a) Inde ab initio theologiae scholasticae omnes theologi catholici docent tribus sacramentis imprimi characterem, ut iam testatur *S. Thomas:* «Characterem in sacramentis quibusdam imprimi omnes moderni confitentur, sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt, et partim conveniunt» (In 4, dist. 4, q. 1, a. 1). Neque scotistae neque nominales neque ullus alius theologus umquam hanc doctrinam negarunt aut in dubium vocarunt. *Hic consensus est efficax argumentum ad probandam veritatem characteris.* Etiam omnes docent characterem esse indelebilem et esse rationem, cur illa sacramenta iterari non possint.

b) Si iam quaeritur de ulteriore explicatione, *character non est nuda relatio rationis vel denominatio externa,* quia per eam non explicatur doctrina Patrum et conciliorum de charactere animae impresso. *Neque est sola relatio realis sine fundamento absoluto,* quia relatio realis et accidentalis sine accidente absoluto est contradictio in terminis. Accidens autem absolutum, quo anima fit qualis, est qualitas. Quare inter theologos sine ulla fere opinionum diversitate convenit *characterem esse qualitatem spiritualem animae impressam* (cf. *Suarez,* De sacram. disp. 11, sect. 2 sq).

c) *Hac qualitate homo conformatur Christo,* ut iam SS. Patres indicant (supra n. 23). In baptismo «induunt homines Christum», etiamsi gratiam non accipiunt (*S. August.,* De bapt. l. 5, c. 23, n. 33). *S. Thomas:* «Sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur, hoc modo illi, qui deputantur ad cultum christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est character Christi» (3, q. 63, a. 3 ad 2), non quasi Christus habeat accidentalem characterem, sed quod ipse habet per naturam suam, hoc participant fideles eius per characterem (ibid. a. 5). Secundum similitudinem filiationis ad Deum, homines configurantur Christo per gratiam, qua sunt filii Dei adoptivi; sed secundum similitudinem muneris religiosi homines configurantur Christo per characteres, quibus deputantur ad cultum divinum. «Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio fideles configurantur secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae» (*S. Thomas* 3, q. 63, a. 3). Videlicet per baptismum homines deputantur ad *suscipienda* sacra, per confirmationem *ad publice profitenda et defendenda sacra* quasi ex officio, per ordinem *ad conficienda et administranda sacra* (ibid. q. 72, a. 5). Hoc sensu potest dici character esse quaedam potentia circa sacra, intellegendo potentiam moralem, qua homo fit aptus ad sacra aut omnino aut debito modo recipienda vel agenda. Nam confirmatus vel diaconus nihil physice potest, quod alii non possunt.

d) *Characterem manere saltem in hac vita* patet ex doctrina ecclesiae definientis characterem esse signum indelebile. Plerique theologi censent eum *etiam in altera vita manere. S. Thomas:* «Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui victi sunt, ad poenam» (3, q. 63, a. 5 ad 3). Haec sententia magis cohaeret cum doctrina conciliorum, quae sine ulla limitatione dicunt characterem esse indelebilem; et magis congruit cum ratione, quia character non destruitur moraliter per peccatum, ut gratia, neque aliud contrarium habet, quo destruatur.

e) In hac vita *character moralem quandam relationem habet ad gratiam,* quatenus convenit, ut cultores Dei sint in statu gratiae, et quatenus Deus ex sua parte paratus est ad dandas iis, quibus certa munera contulit, gratias, quibus haec munera rite implere possint. Sed utrum character hunc effectum obtineat necne, pendet ex voluntate hominis, qui potest charactere bene et male uti; unde character non est habitus proprie dictus.

26. *Obi. I.* SS. Patres, quando loquuntur de signo, sigillo, signaculo baptismi, nihil aliud intellegunt nisi ritum baptismalem. Ita *S. Augustinus* de verbis «in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» ait: «Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent iis, quos congregabant castris suis, praecepit dicens: Ite, baptizate gentes in nomine Patris...» (Sermo ad plebem caesar. n. 2; *M* PL 43, 692). Similiter alii Patres. Ergo ex eorum verbis probari non potest character, qualem posteriores docuerunt.

Resp. Dist. antec.: SS. Patres etiam ritum baptismalem vocant characterem vel sigillum, *conc. antec.* Solum ita vocant ritum, non etiam effectum ritus sacramentalis in anima, *neg. antec.* Ritus est sigillum imprimens, character spiritualis est sigillum impressum, sicut in communi vita tam instrumentum ad sigillandum quam forma instrumento impressa vocatur sigillum. SS. Patres loqui etiam de sigillo passive sumpto patet ex iis, quae supra (n. 23) citata sunt.

27. *Obi. II.* Deus non facit inutilia. Atqui signum animae impressum est inutile, quia neque Deus neque angeli indigent tali signo, ut cognoscant hominem esse christianum vel sacerdotem; homines autem non percipiunt illud signum, ideoque nihil ex eo possunt cognoscere vel distinguere. Ergo tale signum animae non imprimitur.

Resp. Conc. mai. Neg. min. et conseq.: Ad rationes additas dico: Deus posset homines ad finem supernaturalem ducere non infundendo illis ulla dona permanentia in hac vita; sed mavult illis talia dona conferre, ut eorum operationes supernaturales conaturaliter procedant ex actu primo. Unde sicut infundit gratiam et virtutes, ut homines sint apti ad conaturaliter ponendos actus internos meritorios, ita infundit characteres, ut homines sint conaturaliter dispositi ad colendum Deum cultu supernaturali externo. Haec igitur est obiectiva signatio, quae primario intenditur in charactere (*S. Thomas* 3, q. 63, a. 1 sq).

Hanc obsignationem esse angelis specialem rationem succurrendi hominibus ita signatis audivimus SS. Patres dicentes. In beatitudine character erit specialis gloria eorum, qui eo insigniti sunt, sicut insignia militaria sunt gloria militum, qui victoriam obtinuerunt.

In hac vita characterem homines non immediate quidem vident; quatenus tamen certi sunt aliquem esse baptizatum, confirmatum, ordinatum, etiam certi sunt eum habere characterem. Gratia perdi potest, character non potest. Ergo qui ordinatus est sacerdos, manet sacerdos, etiamsi pessime vivit, et valide ponere potest omnes actus, quorum valor pendet e charactere. Sic etiam christianum semper a gentili intrinsecus differre, subesse legibus ecclesiasticis, et alia scimus, quia scimus eum habere characterem baptismalem.

28. *Obi. III.* Non tria tantum sacramenta sed omnia sacramenta pertinent ad cultum religiosum. Ergo si cultus religiosus ratio est, cur character imprimatur, omnia sacramenta dicenda sunt imprimere characterem.

Resp. *Nego suppositum argumentationis:* Non a priori statuimus tribus sacramentis et tribus tantum imprimi characterem, sed quia hoc traditione catholica docetur (supra n. 24). Neque argumentati sumus tribus sacramentis imprimi characterem, quia pertineant ad cultum divinum, sed quia per ea homo speciali modo deputetur ad cultum divinum (n. 25 *c*), quod non valet de ceteris sacramentis. Paenitentia et extrema unctione homo liberatur a peccatis et reliquiis peccatorum, per eucharistiam spiritualiter nutritur, per matrimonii sacramentum sanctificatur officium aliquod naturae; ergo in his quattuor sacramentis non est specialis deputatio ad cultum divinum.

Ceterum in omnibus sacramentis aliquid inveniri potest, quod sub certo respectu simile est characteri. Sacramentum baptismi e. g. est sacrum quoddam signum, quod proxime in anima producit aliquam rem seu effectum, qui vocatur character; hic autem character iterum est signum significans gratiam (supra n. 25 *e*); gratia autem est solum effectus seu res, non vero signum. Distinguunt igitur theologi *sacramentum tantum:* externum signum sacramentale; *rem et sacramentum:* characterem; *rem tantum:* gratiam. Dein student simile quid in omnibus sacramentis invenire, i. e. et sacramentum tantum, et rem tantum, et aliquid, quod est simul res et sacramentum, ut vinculum matrimoniale inter christianos, corpus Christi in eucharistia, ius liberationis a reatu in paenitentia (cf. *Denz.* n. 896), ius alleviationis et confortationis in extrema unctione (cf. *Denz.* n. 909). Manet tamen essentialis differentia inter characteres et alia, quae dicuntur res et sacramentum, quia characteres sunt aliquid physicum, alia sunt entia pure moralia.

Schol. Quomodo sacramenta producant gratiam.

Etsi omnes theologi concedunt sacramenta esse veras causas instrumentales gratiae sanctificantis, tamen est controversia inter eos, quomodo sacramenta producant gratiam, de qua controversia ecclesia nihil definivit; quare licet sequi eam explicationem, quae melior videtur. Haec quaestio potest etiam poni de productione characteris, sed solutio erit eadem fere. Iuverit igitur breviter indicare varias sententias cum suis rationibus et difficultatibus.

29. **De causalitate physica.** Plerique thomistae, item *Bellarminus* (De sacram. l. 2, c. 11), *Suarez* (De sacram. disp. 9, sect. 2, n. 14), alii docent sacramenta causalitate physica seu immediate producere gratiam; ergo quando in baptizandum effunditur aqua et pronuntiantur verba: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, illa infusio aquae et haec verba, in quantum simul constituunt unum signum sacramentale, physica sua virtute producunt in anima qualitatem supernaturalem, quae est gratia sanctificans. Utique haec virtus physica non est in sacramentis naturaliter, sed a Deo iis ut instrumentis suis supernaturaliter confertur, quando materia et forma rite applicantur. Alii dicunt eam esse qualitatem fluentem, alii dicunt esse solum supernaturalem motionem.

Haec valent de ceteris sacramentis praeter eucharistiam, in qua Christus, auctor gratiae, permanenter est.

Rationes huius explicationis sunt: a) *S. Scriptura* dicit homines renasci *ex* aqua, salvos fieri *per* lavacrum, mundari lavacro *in* verbo vitae (supra n. 13*a*). Atqui hi modi loquendi indicant causalitatem physicam. — At hoc argumentum infirmum est, quia istae locutiones adhibentur etiam de causis moralibus (e. g. Rom 5, 10; 1 Cor 4, 15; Iac 1, 18; 1 Petr 1, 23).

b) SS. Patres valde mirantur efficaciam sacramentorum (cf. supra n. 14). Atqui nulla esset causa huius admirationis, si sacramentis moralis tantum causalitas conveniret. — Sed neque hoc argumentum videtur magni momenti; nam etsi sacramenta moraliter tantum sunt causa gratiae, hoc est valde admirandum, quod sunt tantae efficaciae, ut quantum est ex ipsis, infallibiliter impetrent gratiae collationem. SS. Patres satis aperte quidem significant sacramenta, in quantum in iis insit omnipotentia divina, physice producere gratiam. Et eadem ratione quidam defensores causalitatem physicam explicant (e. g. *Viva,* Curs. theol. pars 7, disp. 2, q. 2, n. 5), considerantes Deum et sacramenta ut unam moraliter causam. Sed sic non solvitur quaestio, quomodo signa sensibilia ut causae instrumentales gratiam producant. SS. Patres, ad quos provocant, saepe diserte dicunt, quid signo et quid Spiritui Sancto attribuendum sit. *S. Augustinus:* «Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae, et Spiritus intrinsecus operans beneficium gratiae . . . regenerant hominem» (Ep. 98, n. 2). *S. Gregorius Nyss.:* «Hoc beneficium non aqua largitur . . . sed Spiritus . . . accessus. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem» (Serm. in bapt. Christi; *M* PG 46, 582). Eodem modo etiam alii Patres physicam productionem gratiae soli Deo adscribunt.

c) Provocant etiam ad *S. Thomam* (3, q. 62, a. 4), qui manifeste attribuit sacramentis veram causalitatem instrumentalem; sed utrum physicam an moralem, disputatur, quia variis locis varia dicit (infra n. 30*b*).

Difficultates huius explicationis: a) Nihil potest physice agere, quando physice non exsistit. Atqui quando effectus sacramentorum producitur, sacramentale signum physice non iam exsistit. Ergo tunc physice non potest agere. Quando e. g. homo baptizatur, gratia producitur, si pronuntiatum est verbum «Sancti»; tunc autem cetera verba physica non iam exsistunt, et tamen non hoc unum verbum vel ultima eius syllaba producit effectum. — Respondetur: *Sacramenta gratiam significando causant;* ergo in illo instanti, in quo significatio est perfecta. Sed hoc responso relinquitur causalitas physica, tum quia significatio ut talis non est ens physicum sed morale et moraliter tantum agens, tum quia in instanti, in quo effectus producitur, totum ens physicum transiit et solum ens morale significationis remanet.

b) Praeterea *sacramenta possunt reviviscere,* i. e. quando cum obice malae dispositionis suscipiuntur et ideo effectu gratiae carent, postea

remoto obice gratiam producunt. Atqui tunc sacramentum physice non iam exsistit. Ergo tunc physice gratiam non producit. Idem valet, si quis hodie confessus, cras sensibus destitutus absolvitur, quia secundum defensores causalitatis physicae confessio ut pars materialis paenitentiae cooperatur ad conferendam gratiam. Simile quid valet in matrimonio, in quo elementa contractus, qui est sacramentum, tempore et loco distare possunt. — Alii aliter student hanc difficultatem solvere; sed unicum responsum vere acceptabile, quod e. g. dant *Suarez* (De sacram. disp. 9, sect. 2, n. 20) et *Gonetus* (disp. 3, a. 3, § 2, n. 81), est hoc, quod in his casibus sacramenta non physice sed moraliter causant gratiam. Hoc autem ipso conceditur causalitatem moralem sufficere ad explicandam efficaciam sacramentorum. Si hoc ita est, non videtur admittenda causalitas physica, quae est res difficillima et valde obscura, ut omnes fatentur. Immo magnis theologis, ut *Scoto* (In 4, dist. 1, q. 5) et *Vazquez* (disp. 132, c. 3 sq), haec causalitas videtur res intrinsecus repugnans.

30. ***De causalitate morali.*** Causalitas moralis in eo consistit, quod sacramenta vi institutionis per Christum sunt Deo ratio, ut ob eorum dignitatem instrumentalem in hominibus, quibus applicantur, ipse physice producat gratiam. Hanc dignitatem ritus sacramentales non habent a se sed a Christo eorum institutore, qui merita sua per sacramenta offert Patri caelesti pro homine, cui sacramenta administrantur, ut sacramenta quodammodo contineant merita Christi, et sint obiectiva quaedam petitio Christi, qua homini impetratur gratia. Ideo dicuntur *causa moralis instrumentalis.* Supponimus hic Christum esse et institutorem et principalem administratorem sacramentorum. Hoc ab omnibus conceditur, et postea probabitur.

Hanc explicationem plurimi theologi defendunt, etsi modum causalitatis moralis non omnes eadem ratione exponunt. Ita omnes fere scotistae, quidam thomistae, ut *Canus* (Relect. de sacram. pars 4) et *Bartholom. Ledesma,* praeterea *Vazquez* (disp. 132, c. 3), *De Lugo, Lessius, Tournely,* plurimi recentes, ut *Pohle* (Lehrbuch der Dogmatik III⁵ 83 sqq). Neque illi, qui docent causalitatem physicam, ideo omnes negant causalitatem moralem, sed utramque admittunt, ut *Suarez, Gonetus,* alii.

Rationes huius explicationis sunt hae: a) *S. Scriptura* docet Christum per sacramenta applicare hominibus passionem suam ad eorum sanctificationem. Atqui passio Christi est causa moralis gratiae. Ergo etiam applicatio passionis Christi est causa moralis. «Christus dilexit ecclesiam suam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae» (Eph 5, 25 sq). S. Petrus ait: «Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi» (1 Petr 3, 21). Sensus probabilissime est hic: Baptisma operatur salutem, non

quia est remotio sordium corporalium, sed quia est petitio obiectiva, qua per merita Iesu Christi petitur a Deo bona conscientia, a peccatis libera. «Interrogatio» graece est ἐπερώτημα. Ἐπερωτᾶν potest significare rogare (cf. Mt 16, 1) et interrogare. Sed quia «interrogare» hic non efficit bonum sensum, remanet, ut explicetur «rogare», quod optime quadrat in contextum. Verba «conscientiae bonae» sumenda esse ut genetivum obiecti patet per oppositionem ad illud «depositio sordium». Si textus cum multis theologis et exegetis ita explicatur, indicat causalitatem moralem baptismi.

b) SS. Patres varia docent, quibus causalitas moralis sacramentorum indicatur. Audiamus *S. Augustinum:* Christus administrat sacramenta. Christus est, «qui baptizat, nec sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit» (Contra litt. Petil. l. 3, c. 49, n. 59). Noluit enim apostolis dare potestatem instituendi sacramenta; «ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate a Domino, sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit» (In Ioan. tract. 5, n. 7). Reposuit autem Christus in sacramentis merita passionis suae, quare sacramenta dicuntur manasse ex latere Christi (ibid. tract. 15, n. 8), et rubere sanguine Christi (ibid. tract. 11, n. 4). Similia leguntur apud alios Patres, ex quibus recte colligitur causalitas moralis sacramentorum. Eadem docet *S. Thomas:* «Sacramenta ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum, in cuius signum de latere Christi in cruce pendentis fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta» (3, q. 62, a. 5). Sacramenta vim suam habent ex ordinatione Dei, ex institutione et benedictione Christi (ibid. a. 4; De verit. q. 27, a. 4); et significando causant, «sicut in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis» (3, q. 62, a. 4 ad 1). Haec omnia significant causalitatem moralem. Num S. Thomas praeterea docuerit causalitatem physicam, disputant theologi.

Difficultates huius explicationis: 1. Minus bene videtur explicari in hac sententia, quomodo sacramentum sit causa instrumentalis, quia causa instrumentalis est media inter causam principalem et effectum, sacramentum autem ut causa moralis non est medium inter Deum et gratiam. — Haec obiectio confundit causam instrumentalem physicam cum causa instrumentali morali. Ita minister regis est causa instrumentalis actionis, quam nomine regis fieri iussit, etsi non est medius inter causam physicam et effectum. Sacramentum est instrumentum Christi, quatenus moraliter est actio eius et continet merita eius. Eo ipso est etiam instrumentum Dei, quatenus humanitas Christi et ea, quae ab hac humanitate ad salutem hominum fiunt, sunt instrumentum Dei; ergo Deus, sicut per Christum nos redemit, ita per sacramenta nos sanctificat.

2. Sacramenta non sunt physice actio Christi sed solum moraliter. Atqui actiones, quae solum sunt moraliter alicuius personae, ab hac persona non dignificantur. — Sed minor huius obiectionis videtur manifeste falsa, quia e. g. actio vel epistula legati regii ut legati participat de dignitate regis, ut eam parvi pendere sit offensio regis. Similiter sacramentales ritus, ut docent SS. Patres et theologi, sunt moraliter actiones Christi, et ut tales habent dignitatem a Christo eas efficiente, idque eo magis, quatenus Christus secundum divinitatem praesens est et operatur in sacramentis, quia ea instituendo cum illis speciali modo coniunxit omnipotentiam suam. — Alia vide apud *Sasse* (De sacram. I 63 sqq).

31. Breviter saltem commemoranda est sententia eorum, qui ut *Billot* (De sacram. I, thes. 7, § 3) dicunt *virtutem sacramentorum esse intentionalem,* quatenus sacramenta in recipiente moraliter efficiunt *titulum gratiae,* qui a Deo exigit infusionem gratiae. Sic sacramenta vi institutionis *indirecte* seu *dispositive* causant gratiam, quatenus producunt illum titulum seu ornatum animae (cf. *S. Thomas* in 4, dist. 1, q. 1, a. 4); physice vero gratia producitur a solo Deo. — Revera haec theoria nihil statuit nisi causalitatem moralem, quia titulus, qui est ipse aliquod ens morale, et qui moraliter exigit gratiam, non excedit limites causalitatis moralis. A communi explicatione causalitatis moralis haec sententia eo tantum differt, quod directa et propria causalitas respectu ipsius gratiae negatur, et sola indirecta et impropria relinquitur.

PARS III.

DE AUCTORE SACRAMENTORUM.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 64, a. 2 sqq; *Bellarminus,* De sacram. l. 1, c. 21 23; *Suarez,* De sacram. disp. 2; *De Lugo,* De sacram. disp. 7; *Franzelin,* De sacram. thes. 14; *Sasse,* De sacram. thes. 20 sqq; *Van Noort,* De sacram. 74 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5], 55 sqq; *P. Pourrat,* La théologie sacramentaire, Paris 1907, 277 sqq.

Prop. IV. Christus homo omnia sacramenta immediate instituit, quatenus eorum materiam et formam substantialiter immutabilem determinavit.

32. ***Stat. quaest.*** a) *Sacramenta, cum non sint signa naturalia sed signa ad placitum, indigent auctore seu institutore.* Cumque nemo cum ritibus externis coniungere possit collationem gratiae nisi solus Deus, *auctor principalis sacramentorum Deus est (S. Thomas* 3, q. 64, a. 2). Ergo *Christus ut Deus* sacramenta instituit. Ipse tamen etiam *ut homo,* seu secundum humanam naturam ut instrumentum cum divinitate coniunctum, est auctor sacramentorum *α*) quatenus passione sua eorum virtutem meruit, *β*) quatenus ritus sacramentales determinavit. De hac ultima re loquimur in thesi.

Quia circa sacramenta solus Deus habet *potestatem auctoritatis* seu supremam, potestas humanitatis Christi est ministerialis, quae tamen a potestate aliorum ministrorum essentialiter differt. Ideo vocatur *potestas excellentiae*. «Quae quidem consistit in quattuor: primo quidem quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis . . . secundo . . . quod in eius nomine sacramenta sanctificantur . . . tertio . . . quod ipse potuit instituere sacramenta . . . quarto . . . quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriore sacramento conferre» (*S. Thomas* 3, q. 64, a. 3).

b) Medio aevo quidam theologi censebant, nonnulla sacramenta ab apostolis vel ab ecclesia ex revelatione Spiritus Sancti esse instituta, ut *Alexander Halensis* (Sum. 4, q. 9, membr. 1) et *S. Bonaventura* (In 4, dist. 7, q. 1, a. 1; dist. 23, a. 1, q. 2). Haec sententia nunc prorsus relicta est. — Protestantes ii, qui admittunt duo sacramenta baptismi et eucharistiae, dicunt ea esse a Christo instituta. Rationalistae negant ulla sacramenta esse a Christo instituta. Similiter modernistae, secundum quos Christus neque ecclesiam neque sacramenta instituit, sed communitas christiana evolvit ea ex certis doctrinis Christi.

De fide est septem sacramenta esse a Christo instituta; sed definitum non est, utrum institutio fuerit immediata, an mediata per apostolos. Defendimus institutionem immediatam.

33. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Etsi argumentum efficax ex sola S. Scriptura fieri non potest quoad omnia sacramenta, omnino tamen per eam suadetur doctrina de immediata institutione sacramentorum per Christum facta. Nam imprimis Christus per se instituit baptismum (Mt 28, 19), eucharistiam, sacerdotium (1 Cor 11, 23 sqq), paenitentiam (Io 20, 22 sq). Apostoli statim ab initio adhibent baptizatis ritum impositionis manuum ita, ut appareat hunc fuisse determinatum ritum ad communicandum Spiritum Sanctum (Act 8, 17); ergo videtur etiam hic ritus apostolis a Christo esse praescriptus.

Cum praeterea apostolus adeo efferat: «Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei» (1 Cor 4, 1), ergo non ut institutores, hoc imprimis valere dicendum est de sacramentis, quae sunt praecipua mysteria ab apostolis dispensanda; idque eo magis, quia S. Paulus inculcat neminem in nomine alicuius apostoli baptizari, sed in nomine Christi (1 Cor 1, 13), unde dicendum non esse: ego sum Petri, ego sum Pauli, ego sum Apollo. Haec argumentatio multum ponderis perderet, si potuissent apostoli sacramenta instituere, quia tunc cum quadam veri specie homines dixissent: ego recepi sacramentum Pauli, ego vero Petri. Hoc est illud ipsum, quod apostolus excludere vult. Ergo S. Scriptura non solum nullum sacramentum ad apostolicam institutionem refert, sed etiam quaedam docet, quae talem institutionem excludere videntur.

34. *Arg. 2.* Ex traditione.

SS. Patres numquam dicunt ullum sacramentum esse ab apostolis institutum, sed quoties de hac re loquuntur, Christum auctorem sacramentorum praedicant. Ita vulgatus *Ambrosius:* «Sacramentorum auctor quis est nisi Dominus Iesus?» (De sacram. l. 4, c. 4, n. 13.) *S. Augustinus:* «Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto . . . pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi . . . constituerunt» (De vera relig. c. 17, n. 33). Christus potuit apostolis dare potestatem instituendi sacramenta, sed «hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo» (In Ioan. tract. 5, n. 7).

Similiter theologi, si tres vel quattuor veteres excipias, unanimiter docuerunt sacramenta omnia esse a Christo instituta, non ab apostolis. *S. Thomas:* «Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet iis constituere aliam ecclesiam, ita non licet iis tradere aliam fidem neque instituere alia sacramenta» (3, q. 64, a. 2 ad 3). «Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae ecclesiae ministris communicare sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in ecclesia oriretur, sicut apud illos, qui dicebant: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ut dicitur 1 Cor 1, 12» (ibid. a. 4 ad 1). Cf. *Suarez,* De sacram. disp. 12, sect. 1.

Saeculo XVI per *concilium tridentinum* omnis controversia eatenus sublata est, ut omnia sacramenta dicenda sint a Christo instituta. Sess. 7, can. 1: «S. q. d. sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta . . . A. S.» (*Denz.* n. 844). Non dicit quidem concilium, utrum Christus instituerit sacramenta immediate per se ipsum, an mediate dando apostolis mandatum, ut ipsi instituerent. Sed menti concilii magis conforme est verba intellegere de immediata institutione, quia ubi de quorundam singulorum sacramentorum institutione loquitur, indicat institutionem immediatam. De eucharistia ait sess. 13, c. 2: «Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit» (*Denz.* n. 875). De paenitentia sess. 14, c. 1: «Dominus sacramentum paenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos» (*Denz.* n. 894). Sess. 14, can. 1 de extrema unctione: Extrema unctio est «sacramentum a Christo Domino institutum et a beato Iacobo apostolo promulgatum» (*Denz.* n. 926). Sess. 22, c. 1: In ultima cena Christus sacerdotium instituit (*Denz.* n. 938). Haec omnia satis clare ostendunt a concilio intellegi institutionem ab ipso Christo, non ab apostolis factam, etsi certo asseri nequit hanc rem esse a concilio definitam.

Cum *modernistae* dixissent hanc doctrinam concilii carere fundamento historico, eorum propositio damnata est, sicut et alia, qua

dicunt: «Sacramenta ortum habuerunt ex eo, quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus interpretati sunt» (*Denz.* n. 2039 sq). In encyclica «Pascendi» inter alia de modernistis haec exponuntur: «Ecclesia, inquiunt, et sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. . . . Attamen ecclesiam et sacramenta mediate a Christo fuisse instituta retinendum est.» Haec doctrina reicitur, utique sensu modernistico explicata, ut ibidem exponitur (*Denz.* n. 2088).

35. **Conclusio.** *Ergo Christus materiam et formam sacramentorum determinavit.* Nam cum sacramenta essentialiter constituantur vel perficiantur materia et forma, is sacramentum instituit, qui eius materiam et formam determinat. Eatenus de hac re nunc convenit inter theologos catholicos. Sed disputari potest, utrum Christus determinaverit materiam sacramentorum in individuo, an in specie, an in genere.

a) *Christus non determinavit ritus sacramentales in individuo,* i. e. non ita, ut in administrandis sacramentis nulli omnino sint ritus, ne accidentales quidem, quos ecclesia addere vel mutare possit, sed ut omnia usque ad minima sint iure divino determinata. Non ita determinata esse sacramenta a Christo, diserte docetur a *concilio tridentino* sess. 21, c. 2: «Declarat hanc potestatem in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, locorum varietate magis expedire iudicaret» (*Denz.* n. 931). Notum est variis locis et temporibus sacramenta cum variis caerimoniis administrata esse et administrari.

b) Alia extrema sententia, quae a multis theologis docetur, haec est: *Christum quoad quaedam sacramenta solum in genere ritus sacramentales determinasse.* Ita *De Lugo, Billuart, Hurter,* alii. Sed quia isti termini «in genere» et «in specie» aliter et aliter explicari possunt, saepe vix differentia cernitur inter sententiam eorum, qui defendunt determinationem genericam, et eorum, qui statuunt determinationem specificam. Studeamus igitur terminos accuratius circumscribere.

Itaque *Christus generice determinavit sacramenta, si ipse indicavit significationem seu rem significandam, et apostolis seu ecclesiae potestatem dedit eligendi aptos ritus significantes;* si e. g. dixisset: Volo, ut spiritualis emundatio a peccatis significetur apto ritu, et si apostoli vel ecclesia elegissent ritum baptismi. Omnes quidem theologi concedunt, non ita factum esse in baptismo, sed multi censent ita factum esse quoad sacramentum ordinis. Secundum hanc igitur sententiam Christus dixit: Eligite aptum signum, quo tradatur potestas sacerdotalis. Primum igitur elegerunt apostoli impositionem manuum cum conveniente oratione. Ad hunc ritum ecclesia latina postea ad-

didit traditionem instrumentorum ut partem essentialem, orientalis autem ecclesia solam impositionem manuum retinuit. Sed alii theologi negant talem mutationem esse factam, et omnia, quae ecclesia addidit, dicunt esse caerimonias tantum, non partes essentiales. De hac re videndum est in tractatu de sacramento ordinis.

Si ecclesia haberet potestatem mutandi essentialia sacramentorum, haec mutatio fieret per decretum summi pontificis aut concilii oecumenici. Atqui «gratis omnino et arbitrario fingitur, quod ecclesia ea [potestate] usa fuerit; dicant enim, ubi, quando, in quo concilio, a quo pontifice facta sit eiusmodi mutatio» (*Benedictus XIV,* De syn. l. 8, c. 10, n. 10). — Quae specifice constituunt sacramentum, sunt de substantia sacramenti, seu quod idem est, sunt causa instrumentalis gratiae. Atqui *concilium tridentinum* sess. 21, c. 2 docet posse quidem ab ecclesia statui varia de sacramentorum administratione, sed «salva eorum substantia» (*Denz.* n. 931). Ergo ecclesia non potest ritus sacramentales specifice mutare, seu aliquibus ritibus dare vel demere efficaciam producendi gratiam. *S. Thomas* ait: «Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificatur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis . . . oportet uti rebus a divina institutione determinatis» (3, q. 60, a. 5). Si hoc valet de materia, multo magis valet de forma (ibid. a. 7).

Ante paucos annos quidam postulabat, ut summus pontifex concederet, apud orientales consecrationem eucharistiae non effici solis verbis, quibus latini consecrant, sed requiri, ut addatur oratio illa, quae *epiclesis* vocatur. De hac re *Pius X* dedit litteras apostolicas ad archiepiscopos, qui in Oriente sunt legati apostolici, die 26 Dec. 1910, in quibus ait: «Nec intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimae eucharistiae sacramento, cum praefracte docetur sententiam suscipi posse, quae tenet apud graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa, quam *epiclesim* vocant, cum tamen compertum sit ecclesiae minime competere ius circa sacramentorum substantiam quidquam innovandi» (Acta apost. sedis 1911, 119). His verbis clare enuntiatur non posse ecclesiam ritui substantiali sacramentorum quidquam ita addere, ut sine hoc additamento ritus sacramentalis effectum suum non producat. Hoc autem est illud, quod defensores determinationis genericae in sacramento ordinis factum esse contendunt. Ceterum iam a. 1351 *Clemens VI* Catholico Armenorum hanc quaestionem proposuerat: «Decimo, si credidisti et adhuc credis romanum pontificem circa administrationem sacramentorum ecclesiae, salvis semper illis, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum, posse diversos ritus ecclesiarum Christi tolerare et etiam concedere, ut serventur» (*Denz.* 3019).

c) Ergo nihil videtur remanere, nisi ut dicamus *Christum in specie determinasse materiam et formam sacramentorum.* Aliis verbis, Christus

instituit certam materiam et certam formam, qua rite posita effectus sacramentorum semper et ubique producitur, ut nulla alia materia et forma sit valida, nihil umquam ratione materiae et formae praeterea requiratur. Quaecumque ecclesia addit, sunt accidentales caerimoniae, quae effectum sacramenti non producunt. Integer tamen ritus diligenter servandus est, tum quia etiam praecepta ecclesiae servari debent, tum quia non semper certo constat, quis ritus sit essentialis, quis vero accidentalis.

Ad diiudicandum, *quae materia et forma sit specifice eadem,* praeter ecclesiae definitionem, si quae adest, ut regula servit communis hominum aestimatio, quia sacramenta pro omnibus sunt instituta, non pro solis eruditis. Secundum hanc normam e. g. aqua calida et aqua frigida aequaliter sunt aqua; vinum gallicum et vinum hispanicum vel quodcumque vinum ex uvis praeparatum est vinum, etsi forte varia vina chimice satis differunt. Haec in singulis sacramentis magis in particulari consideranda erunt.

In forma verborum non materialis sonus sed sensus respiciendus est. Ergo quamdiu significatio theologica non essentialiter mutatur, forma est specifice eadem. Ita varietas idiomatum non mutat sensum, sive quis latina sive graeca sive alia lingua utitur. Sed etiam quoad formam varia statuenda sunt in variis sacramentis, quia interdum requiritur significatio omnino distincta et explicita, quemadmodum in baptismo non sufficit dicere «in nomine Trinitatis», sed requiritur distincta personarum divinarum expressio. Potest sensus mutari per additionem verborum, per subtractionem verborum, per corruptionem verborum. E. g. forma baptismi essentialiter mutatur, si subtrahitur verbum «Spiritus Sancti», si additur «in nomine Patris maioris et Filii minoris», si corrumpitur «baptizo» in «tapizo», quia hoc nullum sensum habet. Si ex mutatione forma fit ambigua, valor sacramenti fit incertus. Haec exempla interim sufficiant, quia multa de hac re quaeri possunt, quae vel ad singula sacramenta pertinent, vel potius sunt quaestiones morales quam dogmaticae (cf. *S. Thomas* 3, q. 60, a. 8).

36. *Obi. I.* Varia nunc censentur essentialia in sacramentis, quorum nullum vestigium invenitur neque in Scriptura neque in scriptis primorum saeculorum, ut e. g. benedictio chrismatis et olei infirmorum ab episcopo facta. Ergo lege vel usu ecclesiae mutata est essentia quorundam sacramentorum.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam:* Multo enim plura fuerunt in mundo, quam quorum memoria exstat in scriptis. Doctrina Christi non necessario traditur scriptis sed ore. Id clare apparet in hac ipsa re. Nam primum testimonium de necessitate consecrationis chrismatis est *Innocentii I* ex anno 416; summus autem pontifex de hac consecratione loquitur non ut de novo instituto sed ut de lege semper servata (*Denz.* n. 98). *S. Basilius* ait: «Benedicimus . . . oleum unctionis. . . . Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione?» (De Spiritu Sancto c. 27, n. 66.)

37. *Obi. II.* Christus non instituit materiam et formam sacramenti paenitentiae neque matrimonii. Ergo non omnium sacramentorum materiam et formam determinavit.

Resp. *Dist. antec.:* Christus in illis sacramentis non elegit substantiam physicam et certa verba ut signa sacramentalia, *conc. antec.* Materia et forma illorum sacramentorum non est ex natura rei vel ex iis, quae Christus instituit, substantialiter determinata, *neg. antec.* Nam Christus instituit sacramentum paenitentiae per modum iudicii; ad iudicium autem requiritur accusatio et sententia iudicialis. In matrimonio ipsum contractum matrimonialem evexit ad dignitatem sacramenti; contractus autem matrimonialis ex natura rei est substantialiter determinatus. Unde patet responsum ad *consequens.*

38. *Obi. III.* Ecclesia in matrimonio per impedimenta dirimentia et in paenitentiae sacramento per negationem vel limitationem iurisdictionis efficit, ut materia et forma per se valida fiat invalida. Ergo ecclesia sibi ascribit potestatem in substantiam sacramentorum.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Ecclesia in his casibus efficit, ut materia et forma rite posita non sortiatur effectum suum, *neg. conseq.;* efficit, ut desit condicio aliqua praerequisita ad hoc, ut materia et forma rite poni possit, *conc. conseq.* Contractus matrimonialis fieri non potest nisi ab iis, qui ad eum sunt habiles et formalitates debitas servant. Ecclesia autem quosdam reddit inhabiles, et quasdam formalitates contractus praescribit. Consequenter in certis hominibus deest aliquid, quod antecedenter ad administrationem sacramenti requiritur. Similiter ante sententiam iudicialem requiritur, ut aliquis sit iudex. Ergo qui ab ecclesia non est constitutus iudex in tribunali paenitentiae, vel saltem non est iudex quoad certa peccata, non magis potest sententiam iudicialem ferre, quam eucharistiam conficere potest is, qui ab ecclesia non est consecratus sacerdos.

PARS IV.
DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 64, a. 5 sqq; *Bellarminus,* De sacram. l. 1, c. 24 sqq; *Suarez,* De sacram. disp. 16; *De Lugo,* De sacram. disp. 8; *Franzelin,* De sacram. thes. 15; *Sasse,* De sacram. I, sect. 6; *Fr. Morgott,* Der Spender der heiligen Sakramente nach der Lehre des hl. Thomas, Freiburg 1886; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 92 sqq.

Prop. V. **Valor sacramentorum neque a fide neque a probitate ministri pendet.**

39. **Stat. quaest.** a) *Minister principalis sacramentorum est Christus homo.* Nam etsi ipse non ponit physice ritum sacramentalem, tamen voluntate sua confert ministris humanis potestatem administrandi sacramenta et efficit, ut sacramenta gratiam producant; alii vero ministri non suo nomine sed nomine Christi sacramenta administrant. «Sic nos existimet homo ut ministros Christi» (1 Cor 4, 1; cf. 3, 4; 2 Cor 5, 20). S. Ioannes Bapt. de Christo ait: «Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto» (Io 1, 33). Quae verba *S. Augustinus* sic explicat: «Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizet, hic est, qui

baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat; Iudas baptizet, hic est qui baptizat» (In Ioan. tract. 6, n. 7). Nemo enim nisi solus Christus potest nomine suo de meritis Christi disponere, sicut fit in sacramentis.

Ministri sacramentorum sunt, qui ad administranda sacramenta ab ecclesia ordinantur et deputantur. Neque enim omnes christiani, multo minus omnes homines possunt omnia sacramenta administrare, sed quibus ad hoc Christus per ecclesiam dedit potestatem. Id patet ex institutione et constitutione ecclesiae (cf. I, n. 204 sqq 270 sqq). Quare *concilium tridentinum* sess. 7, can. 10 de sacram. definivit: «S. q. d. christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.» (*Denz.* n. 853). Solum matrimonii sacramentum non administratur per ministros specialiter deputatos. Baptismus per se requirit speciales ministros, sed in casu necessitatis administrari potest ab iis quoque, qui non habent munus baptizandi. Qui vi muneris sacramenta administrant, sunt *ministri publici;* qui vero in casu necessitatis, non vi muneris, baptizat, non est proprie minister ecclesiae et Christi ad sacramentum administrandum, sed per exceptionem facit id, quod per se a ministris consecratis fieri debet.

b) *Quia minister in administratione sacramentorum personam Christi gerit, ab eo exigitur, ut hoc faciat secundum voluntatem Christi.* Voluntas autem Christi est, ut sancta sancte tractentur. Contra hoc praescriptum agit, qui ut minister publicus cum conscientia peccati mortalis sacramenta administrat, ut inculcatur in *Rituali Romano* in rubricis de sacramentis in genere. Ita docent SS. Patres, ut *S. Augustinus* (Contra ep. Parmen. l. 2, c. 10, n. 22), theologi, ut *S. Thomas* 3, q. 64, a. 6), summi pontifices (Decret. l. 1, tit. 11, c. 5 et 11).

Sed alia quaestio est, num sacramenta, si a ministris malis, vel etiam ab haereticis et infidelibus administrantur, ob defectum honestatis vel fidei in ministris fiant invalida. Quae quaestio eatenus ecclesiam multum agitavit a saeculo III usque ad saeculum V, quatenus ea aetate multi contendebant baptismum ab haereticis collatum nullum esse, ideoque homines ita baptizatos, si ad ecclesiam redirent, rebaptizandos esse. Sed haec opinio ab ecclesia reiecta et contraria doctrina definita est. Soluta autem quaestione de baptismo etiam de ceteris sacramentis quaestio soluta est, etsi sollemnes definitiones factae non sunt, et de quibusdam sacramentis disputatio diutius perseveravit.

Medio aevo *waldenses* et *wicklifitae* negabant a peccatoribus sacramenta valide administrari. Sed etiam hic error ab ecclesia damnatus est. Nostra aetate de utraque quaestione disputationes inter theologos non sunt nisi historicae.

40. *Arg. 1.* Ex historia rebaptismi.

Usque ad initium saeculi III in Africa, sicut in aliis partibus ecclesiae, non solebant rebaptizari ii, qui ab haereticis baptizati erant. Ea autem aetate coepta est ibi quaestio de hac re agitari. Multi epi-

scopi nolebant admittere rebaptismum, et dicebant «se in hoc veterem consuetudinem sequi» (*S. Cyprianus,* ep. 71, n. 1 sq; ed. *Hartel*). Sed *Agrippinus,* episcopus carthaginensis, anno 220 synodum convocavit et episcopis persuasit, ut baptismum ab haereticis collatum nullum esse declararent (ibid. n. 4). Cum postea revixisset disputatio, *S. Cyprianus,* Agrippini successor, annis 255 et 256 rursum synodos convocavit, et vehementer peroravit rebaptizandos esse haereticos, quod et episcopi decreverunt (Ep. 73). Concedebant consuetudinem esse contrariam, sed, inquit, «frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum» (ibid. n. 3).

De decreto ultimae synodi Cyprianus ad summum pontificem scripsit, et eius approbationem rogavit. Sed *S. Stephanus* papa decretum concilii reiecit, et contrariam praxim approbavit: «Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in paenitentiam. . . . Quaerendum non esse, quis ille sit, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti» (*Cyprianus,* ep. 74 et 75; cf. *Denz.* n. 46).

Cyprianus autem, cum rescivisset eandem quaestionem agitari in Asia minore, scripsit ad *Firmilianum,* episcopum caesariensem, qui epistula ad Cyprianum data (ep. 75) Cypriani sententiam approbat, et vehementissime contra Stephanum papam declamat. Sed Stephanus episcopis Asiae minoris sub poena excommunicationis indixit, ut a rebaptismo desisterent. Interveniente *S. Dionysio Alexandrino* res composita esse videtur (cf. *Euseb. H. E.* l. 7, c. 2 sqq). Quem progressum res proxime habuerit, non constat. *S. Hieronymus* scribit: «Illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos haereticos statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum» (Adv. lucifer. n. 23). Anno 348 vel 349 Carthagine sub Grato episcopo synodus celebrata est, quae rebaptismum prohibuit. Saeculo V in Africa donatistae etiamtum pergebant rebaptizare, contra quos *S. Augustinus* catholicam doctrinam et praxim defendit. Ita in libris De baptismo contra donatistas, ubi inter alia de vetere consuetudine non rebaptizandi haereticos ait: «Hanc consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit . . . verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, non corrigi» (L. 2, c. 7, n. 12). Doctrina et praxis romana paulatim ubique recepta est; et sic, ut ait *Vincentius Lirinensis,* sublatus est abusus, «contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra morem et instituta maiorum» introductus, «retenta est antiquitas, explosa novitas» (Commonit. c. 6).

Ex his thesis nostra ita probatur: Per duo circiter saecula ecclesia practice agnoverat baptismum esse independentem a fide et

probitate ministri, quae praxis per aliquod tempus et aliquibus locis impugnata, sed a summo pontifice approbata et ab universa ecclesia recepta est. Atqui hoc fieri non potuisset, si haec praxis falsa doctrina niteretur. Ergo vera est doctrina valorem baptismi a fide et probitate ministri esse independentem. Si hoc valet de baptismo, valet de ceteris sacramentis, quia eaedem sunt rationes. Una ratio a Cypriano et eius asseclis proferebatur, quod qui non habet Spiritum Sanctum, non posset eum dare; altera ratio quod unum esset baptisma verae ecclesiae, non plura baptismata extra ecclesiam. Si hae rationes non valent in baptismo, neque valent in ceteris sacramentis, excepta paenitentia, quatenus extra ecclesiam per se nemo habet iurisdictionem. Iam *S. Augustinus* urget parem esse rationem quoad baptismum et quoad ordinem et confirmationem (Contra ep. Parmen. l. 2, c. 13, n. 28).

41. *Arg. 2.* **Ex declarationibus conciliorum et summorum pontificum.**

Concilium arelatense I (a. 314) statuit: «De afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur» (*Denz.* n. 53). Erant enim haeretici, qui recta forma non utebantur in baptizando et sic invalide baptizabant. Ideo etiam *concilium Nicaenum I.* (a. 325) distinctionem facit. De novatianis ait can. 8: «De his, qui se nominant catharos, i. e. mundos, si aliquando venerint ad ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant.» Aliter autem de paulianistis can. 19: «De paulianistis ad ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis» (*Denz.* n. 55 sq). De his canonibus ait *Innocentius I:* «Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant, et novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant» (*Denz.* n. 77). Anno 385 *S. Siricius* papa de arianis ad ecclesiam redeuntibus ait: Eos denuo baptizare velle «non licet, cum hoc fieri et apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum ariminense concilium a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant». Novatianos confirmandos esse dicit, quia hoc sacramentum ipsi non dabant (*Denz.* n. 88). Omissis aliis tandem *concilium tridentinum* can. 4 de bapt. definivit: «S. q. d. baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.» (*Denz.* n. 860.)

In causa rebaptismi quaestio erat de haereticis vel schismaticis formalibus, qui Spiritum Sanctum dare non possent, quia eum non

haberent. Ergo statuta validitate baptismi eorum etiam statutum erat *posse a peccatoribus valide baptismum conferri.* Hoc interdum diserte effertur, ut a *S. Augustino:* «Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit; sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est, qui baptizat» (In Ioan. tract. 5, n. 18). *S. Zacharias* papa: «Quamvis sceleratissimus quisque haereticus vel schismaticus aut latro aut fur sive adulter hoc [baptisma] petenti ministraret, tamen Christi esset baptisma, verbis evangelicis consecratum» (*Denz.* n. 297). Contraria doctrina waldensium et wicklifitarum damnata est (cf. *Denz.* n. 424 488 584 634 672). *Concilium tridentinum* sess. 7, can. 12 de sacram. definivit: «S. q. d. ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S.» (*Denz.* n. 855; cf. 902 920).

42. **Obi. I.** Nemo potest aliis dare, quod ipse non habet. Atqui minister malus non habet gratiam. Ergo eam non potest aliis dare.

Resp. *Dist. mai.:* Nemo potest dare, quod ipse non habet, si sua bona distribuit, *conc. mai.;* si ut minister alterius bona distribuit, *neg. mai. Conc. min. Dist. conseq.:* Minister malus non potest suam gratiam aliis dare, *conc. conseq.* Non potest ut minister Christi gratiam conferre, *neg. conseq.* Neque bonus neque malus minister in sacramentis sua merita applicat neque sua dona supernaturalia distribuit, sed virtute passionis Christi et auctoritate Christi dona distribuit, quae Christus meruit. Quare ipse effectus sacramentalis ne maior vel melior quidem est, si sacramentum a sancto quam si a peccatore administratur. *S. Thomas:* «In forma sacramentorum non plus facit verbum a iusto quam a peccatore prolatum, quia non operatur ibi meritum hominis sed passio Christi et virtus Dei» (Opusc. 18 vel 22 De forma absolutionis c. 3).

43. **Obi. II.** Minister debet esse coniunctus cum Christo. Atqui peccator et a fortiori infidelis non est coniunctus cum Christo. Ergo peccator vel infidelis non potest producere effectum sacramenti.

Resp. *Dist. mai.:* Minister debet esse coniunctus cum Christo ut instrumentum, quo Christus effectum gratiae extra ministrum producit, *conc. mai.;* debet ita esse coniunctus cum Christo, ut effectus vitae spiritualis sit in ipso ministro, *neg. mai. Dist. min.:* Minister malus vel infidelis non est cum Christo coniunctus quoad effectum vitae spiritualis in ipso ministro, *conc. min.;* non est cum Christo coniunctus ut instrumentum ad producendum effectum extra ministrum, *neg. min.* Et *neg. conseq.* «Sic igitur Christus operatur in sacramentis et per bonos tamquam per membra viventia et per malos tamquam per instrumenta carentia vita» (*S. Thomas* 3, q. 64, a. 5 ad 2). Esse instrumentum vivum aut mortuum est praeter rationem instrumenti.

Ceterum concedendum est Christum absolute potuisse decernere, ut sacramenta a solis iustis vel saltem a solis fidelibus valide administrarentur. Ergo a priori haec quaestio non potest decidi sed solum ex doctrina revelata. Intellegimus autem, quam convenienter res sit aliter instituta, quia

interna sanctitas ministri est res nimis incerta. «Quomodo de istis securi sunt, si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos accepturi?» (*S. August.*, Contra litt. Petil. l. 1, c. 3, n. 1.)

44. *Obi. III.* *S. Fulgentius* dicit «extra ecclesiam baptizatis, si ad ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem» (De fide ad Petrum c. 36). Similiter alii Patres. Ergo haeretici saltem infructuose sacramenta administrant.

Resp. *Dist. antec.:* Hoc valet de iis, qui cum mala fide ab haereticis accipiunt sacramenta, *conc. antec.;* de iis, qui cum bona fide accipiunt, *neg. antec.* Et eodem modo *dist. conseq.* (*S. Thomas* 3, q. 64, a. 9 ad 2).

45. *Obi. IV.* *S. Basilius* concedit quidem baptismum aliorum haereticorum esse validum, sed docet baptismum invalide administrari ab iis, qui errent circa fidem Dei unius et trini (Ep. 118 seu 1 canonica ad Amphil. can. 1). Similiter alii quidam Patres. Ergo saltem ii, qui errant circa SS. Trinitatem, non possunt valide administrare sacramenta.

Resp. Conceditur ab omnibus S. Basilium errasse in hac re, quae postea tantum ab ecclesia definita est. Sed addendum est saepe utique accidere, ut haeretici falsas suas opiniones de Trinitate in ipso ritu sacramentali exprimant et ita formam corrumpant. Hanc ob causam baptismus a protestantibus liberalibus administratus saepe est invalidus aut saltem dubius, et ideo saltem sub condicione repetendus. De qua re agitur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II [11], n. 27 nota).

Prop. VI. Ad valide conficienda sacramenta minister debet saltem habere intentionem, eamque internam, faciendi, quod facit ecclesia.

46. ***Stat. quaest.*** a) Vidimus, quid ad valorem sacramenti non requiratur ex parte ministri; iam videndum est, quid requiratur. Dicimus requiri intentionem, i. e. *deliberatam voluntatem conficiendi sacramentum.* Hanc intentionem oportet esse aut actualem aut virtualem, quae vere influat in positionem actus. Non requiritur *intentio reflexa,* sed sufficit *intentio directa;* aliis verbis sufficit, ut minister velit sacrum ritum christianorum; non requiritur, ut intendat producere gratiam vel alium internum effectum in anima. Hoc solebant scholastici exprimere illis verbis: Debet saltem habere intentionem faciendi, quod facit ecclesia. Quam terminologiam concilia receperunt. Hoc dictum non eo redit, quasi requiratur in ministro fides verae ecclesiae, vel voluntas explicita se conformandi intentioni verae ecclesiae; sed habet hunc sensum: Debet habere intentionem adhibendi eum ritum, quem ecclesia adhibere solet. Idem est, si dicitur: Debet velle facere, quod Christus instituit; vel: Debet velle ritum non suo nomine sed nomine Christi ponere; vel: Debet velle uti potestate ministeriali. Haec enim omnia eundem sensum habent.

b) Veteres *protestantes* docebant nullam intentionem in ministro requiri, cum etiam sine hac intentione sacramenta possint effectum

obtinere, i. e. fidem suscipientium excitare. Occasione huius erroris ecclesia doctrinam veram, de qua antea numquam dubitatum erat, definivit.

Inter catholicos inde a saeculo XVI quidam docuerunt sufficere *intentionem externam*, quae vocatur externa non ratione actus sed ratione obiecti. Dicunt enim sufficere ad valorem sacramenti, ut minister velit serio ponere ritum externum, etsi non habeat intentionem ponendi ritum ut sacrum, vel faciendi quod facit ecclesia. Huius opinionis auctor solet dici *Ambrosius Catharinus* (De intentione ministri, Romae 1552; sed de eius mente disputant), maxime autem eam saec. XVII et XVIII in Gallia defenderunt *Serry, Farvaques, Juenin*, *Drouin,* alii. Ceterum est inter defensores huius sententiae sat magna varietas opinionum. Ita quidam postulant, ut ex adiunctis loci sacri, vestimentorum sacrorum vel similibus appareat peragi rem sacram. Haec sententia nunc ab omnibus theologis relicta esse videtur.

Ulterius processerat *Lutherus,* dicens valide conferri posse baptismum, etiamsi per manifestum iocum et mimice perficeretur, cum etiam sic valeret ad fidem excitandam. Haec doctrina ab ecclesia damnata est.

47. *Arg. 1.* **Ex auctoritate theologorum et ex ratione theologica.**

Quod theologi unanimiter per multa saecula ut certum docuerunt de re dogmatica, est admittendum, idque eo magis, si doctrinam suam solidis rationibus probarunt. Atqui docuerunt et probarunt necessitatem intentionis, et internae quidem, in ministro sacramenti. Ergo haec doctrina est admittenda.

Prob. min. Cum *Lombardus* dixisset: «In hoc [baptismate] et in aliis sacramentis, sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda» (Sent. 4, dist. 6, n. 5), omnes commentatores huius loci necessitatem intentionis docuerunt, ut *Albertus Magnus* (In 4, dist. 6, a. 11), *S. Bonaventura* (In 4, dist. 6, pars 2, a. 2, q. 1), *S. Thomas* (In 4, dist. 6, q. 1, a. 2, sol. 1), *Scotus* (In 4, dist. 6, q. 5, n. 4). Item omnes thomistae et scotistae. Neque *Durandus* vel nominales excipiuntur. De solo *Aureolo* dubitatur (cf. *Suarez,* De sacram. disp. 13, sect. 2, n. 6).

Duplici autem ratione potissimum doctrinam suam probant.

a) *Ex natura potestatis ministerialis. S. Thomas* ait: Cum minister sit instrumentum animatum «requiritur eius intentio, qua se subiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, et ecclesia» (3, q. 64, a. 8 ad 1). Minister enim est agens liberum, et potest aut suo nomine agere aut Christi nomine, prout vult. Atqui suo nomine non potest valide conficere sacramenta. Ergo debet velle agere nomine Christi, seu debet velle habere intentionem, et internam quidem, quia solum externum ritum potest etiam suo nomine ponere, sive serio sive iocose.

b) *Ex indole sacramenti. S. Thomas:* «Ad effectum sacramenti videmus multa concurrere, scilicet ministrum, formam verborum et materiam. Haec autem non possunt colligari ad invicem, ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque, et totum hoc ad sacramenti collationem, et ideo requiritur intentio baptizantis» (In 4, dist. 6, q. 1, a. 2, sol. 1; cf. 3, q. 64, a. 8). Instituit quidem Christus ritus sacramentales, sed ut ait *S. Bonaventura:* «Institutio, etsi verba ordinavit ad unum, non tamen artavit, quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur; et ideo ad hoc, quod ordinentur, necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare; vel saltem quod facit ecclesia, facere; vel saltem quod Christus instituit, dispensare. Alioquin verbum et elementum ut disiuncta vel ad aliud iuncta non faciunt sacramentum» (In 4, dist. 6, pars 2, a. 2, q. 1). Vides ex hac quoque ratione requiri intentionem internam.

48. *Arg. 2.* **Ex declarationibus auctoritatis ecclesiasticae.**

Cum iam *Martinus V* et *Eugenius IV* in ministro sacramenti postulassent praeter ritum sacramentalem etiam intentionem faciendi quod facit ecclesia (*Denz.* n. 672 695), *concilium tridentinum* sess. 7, can. 11 de sacram. definivit: «S. q. d. in ministris, dum sacramentum conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia, A. S.» (*Denz.* n. 854; cf. 860.) Ergo in omnibus his declarationibus non solum exigitur, ut minister conficiat sacramentum, i. e. adhibeat materiam et formam, sed etiam, ut habeat intentionem faciendi quod facit ecclesia, i. e. ut habeat intentionem internam. Hoc etiam magis elucet ex aliis verbis eiusdem concilii sess. 14, c. 6: «Non debet paenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi . . . sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum» (*Denz.* n. 902). Quibus verbis proxime reicitur Lutheri doctrina de valore sacramenti iocose collati (cf. *Denz.* n. 752); sed ex iis aliud quoque colligere licet. Nam illud incisum «et vere absolvendi» aut addit aliquid ad illud «animus serio agendi», aut est solum eius explicatio. Si est explicatio, serio agere est idem atque habere animum absolvendi. Si addit aliquid, praeter animum serio agendi requiritur intentio absolvendi. Ergo in utroque casu docetur necessitas intentionis internae. Praeterea *Alexander VIII* damnavit hanc propositionem: «Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi servat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit ecclesia» (*Denz.* n. 1318). Qua damnatione, inquit *Benedictus XIV*, «negari non potest grave vulnus praefatae opinioni inflictum» (De syn. l. 1, c. 4, n. 8).

His argumentis ostenditur sententiam de sufficientia intentionis pure externae carere probabilitate, et oppositam esse certam. Plura vide apud *Sasse* (De sacram. I 148 sqq).

49. Obi. I. *S. Augustinus* docet valere baptismum, etsi minister fallaciter det et subiectum fallaciter accipiat (De bapt. l. 7, c. 53, n. 101). Atqui minister fallax ibi intellegitur, qui habet solam intentionem externam. Ergo S. Augustinus docuit sufficientiam intentionis externae.

Resp. *Neg. mai., min. et conseq.* Nam S. Augustinus solum quaestionem proponit, et concludit: «Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata sunt» (l. c. n. 102). Ministri vero fallacis nomine intellegit eum, qui se fingit bonum christianum, cum non sit. Nam «simulatio etiam in catholica esse potest in his utique, qui saeculo verbis et non factis renuntiant» (l. c. c. 39, n. 77). Eodem modo saepe ibi fallaciam explicat.

50. Obi. II. *S. Thomas* ait: «Minister sacramenti agit in persona totius ecclesiae, cuius est minister. In verbis autem, quae profert, exprimitur intentio ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum» (3, q. 64, a. 8 ad 2). Ergo secundum S. Thomam sufficit intentio externa.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam:* Alius est enim sensus verborum S. Thomae. Hic constanter docet requiri in ministro praeter positionem materiae et formae etiam intentionem faciendi quod facit ecclesia, seu intentionem conficiendi sacramenta. Sed addit in quibusdam sacramentis intentionem clare exprimi ipsis verbis formae, ut e. g. verbis «ego te baptizo», et in his non requiri mentis intentionem verbis non expressam; in aliis autem sacramentis non exprimi verbis ipsis intentionem ut e. g. verbis eucharisticis: «Hoc est corpus meum», in his ergo requiri intentionem verbis non expressam, et sic «ex ipsa intentione proferentis possunt verba formae [eucharisticae] ad personam Christi referri, etiam verbis aliis non praemissis, si sacerdos verba praedicta in persona Christi dicere intenderet» (In 4, dist. 8, q. 2, a. 4, sol. 3 ad 2). Haec doctrina nihil iuvat ad stabiliendam sufficientiam solius externae intentionis.

51. Obi. III. *Innocentius IV* (In Decret. l. 3, tit. 42, c. 1) docet: «Non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere quod facit ecclesia, immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare minister intendat.« Ergo hic claris verbis summus pontifex docet sufficientiam intentionis externae.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam:* Imprimis haec non sunt verba alicuius decretalis summi pontificis, sed verba sumpta ex commentariis, quae Innocentius ante pontificatum in libros decret. edidit. Dein vero illis verbis negat necessitatem intentionis reflexae, non intentionis internae. Ipse verba sua sic explicat: «Non videtur necesse quoad effectum baptismi, quod sciat, quid sit baptismus, vel quod infundatur gratia. . . . Unde si aliquis vadat ad Sarazenum et dicat: baptiza me, et doceat eum formam, et

ille Sarazenus . . . intendat eum baptizare vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, ut baptismus operetur, quidquid operari potest, et ipse baptizans tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizatus est.» Hic igitur potius docetur, non negatur necessitas intentionis internae.

52. *Obi. IV.* Defectus intentionis est improbitas in ministro. Atqui improbitas non tollit valorem sacramenti. Ergo.

Resp. *Dist. mai.:* Defectus intentionis est improbitas qualiscumque, *neg. mai.;* est improbitas, qua tollitur aliquid sacramentis essentiale, *conc. mai. Contrad. min.* et *neg. conseq.*

Alia, quae opponunt, ut nos non debere spem ponere in homine, esse rem nimis incertam, num minister habeat intentionem, alia similia sunt nimis futilia, quam in quibus immorari libeat. Praecise ideo requiritur intentio, quia non ponimus spem in ministro, sed in eo, cuius se ministrum exhibet. Et haec intentio est res tam facilis, ut, nisi speciales rationes in contrarium adsint, imprudenter dubitetur, velit necne minister sacramentum conferre, quando ritum externum integrum adhibet.

Schol. *I.* De subiecto sacramentorum.

53. Cum aliorum sacramentorum alia sunt subiecta, hic, ubi de sacramentis in genere agimus, paucae annotationes dogmaticae faciendae sunt.

a) *In adultis requiritur ad valorem sacramenti intentio recipiendi sacramentum. Innocentius III* ait: «Ille, qui numquam consentit sed penitus contradicit, nec rem [gratiam] nec characterem suscipit sacramenti [baptismi]. . . . Dormientes autem et amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in iis intellegitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi» (*Denz.* n. 411). Ratio est, quia, ut ait *concilium tridentinum* sess. 6, c. 7: in adultis iustificatio fit «per voluntariam susceptionem gratiae donorum» (*Denz.* n. 799). Propterea se praeparant ad iustitiam «dum proponunt suscipere baptismum» (ibid. n. 798). Cf. *S. Thomas* 3, q. 68, a. 7.

b) Abstractione facta a sacramento paenitentiae, *valor sacramentorum non pendet neque a probitate neque a fide suscipientium.* Hoc patet ex decisionibus de non rebaptizandis haereticis (supra n. 41), quia in tota ista quaestione agebatur non de solis ministris sed etiam de subiectis haereticis. *S. Augustinus:* Si homo cum mala conscientia baptismum recepit, «denuo baptizandum esse censebitis? Nequaquam hoc dicturus, nequaquam facturus es» (Contra litt. Petil. l. 2, c. 35, n. 82). Idem dicit de haeretico (Contra ep. Parm. l. 2, c. 16). Idem docent theologi (cf. *Suarez,* De sacram. disp. 14, sect. 2, n. 6). Ratio est, quia excepto sacramento paenitentiae dispositio subiecti non concurrit ad valorem sacramenti, sed solum requiritur, ut homo recipiat gratiam

sanctificantem. Hanc igitur gratiam sacramentum non producit in eo, qui habet obicem; sed postea remoto obice sacramentum producit gratiam seu reviviscit, quod valet saltem de sacramentis, quae repeti non possunt, «ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit» (*S. Augustinus,* De bapt. l. 1, c. 12, n. 18). Ita docent omnes theologi. Cf. *S. Thomas* (3, q. 69, a. 10) et *Suarez* (De sacram. disp. 8, sect. 3).

Itaque ut in ipso usu sacramenti gratia conferatur, requiritur dispositio in suscipiente, et varia quidem in variis sacramentis, ut supra iam dictum est (n. 16 sq).

Schol. 2. De sacramentalibus.

54. Ecclesia in administratione sacramentorum praeter materiam et formam essentialem quosdam ritus accidentales praescribit (supra n. 35 *a*). Cf. *Denz.* n. 943 954. Sed etiam extra sacramentorum administrationem ecclesia res quasdam vel ritus adhibet vel fidelibus ad pium usum tradit, quae vocantur sacramentalia, tum ut hoc nomine distinguantur a sacramentis, tum quia quandam similitudinem cum sacramentis habent (cf. *S. Thomas* 3, q. 65, a. 1 ad 8 et *Suarez,* De sacram. disp. 15, sect. 1, n. 1 et 4).

Sacramentalia possunt definiri: Signa sacra ab ecclesia adhiberi solita ad impertiendos fidelibus fructus impetrationis ecclesiasticae. Videlicet ecclesia cum certis rebus vel ritibus preces suas ita iungit, ut ista signa non solum sint efficacia ex merito utentium, sed ex precibus ecclesiae Deo speciali modo acceptis, quae est efficacia quasi ex opere operato.

Sacramentalia, cum essentialiter distinguantur a sacramentis, *non producunt gratiam sanctificantem ex opere operato.* De hac re consentiunt theologi, sed disputant, *quomodo alias gratias producant,* e. g. remissionem peccatorum venialium. Communior sententia est, Deum occasione usus sacramentalium excitare propter preces ecclesiae bonos motus in utentibus, quibus remissionem peccatorum venialium vel alia beneficia spiritualia obtineant (cf. *S. Thomas* 3, q. 87, a. 3). Ceteri effectus sunt varii in variis sacramentalibus. Interdum res, ut vasa sacra, per preces ecclesiae simpliciter deputantur cultui divino. Interdum precibus ecclesiae impetratur expulsio daemonum et aliorum malorum, ut in benedictione aquae lustralis. Interdum postulantur bona temporalia, ut in benedictione agrorum vel novae domus.

Ritus, quos ecclesia in administratione sacramentorum praescribit, strictae obligationis sunt, ut docet *concilium tridentinum* sess. 7, can. 13 de sacram. (*Denz.* n. 856). Cf. Rituale *Rom.* tit. 1, n. 17; tit. 2, n. 2. Cetera sacramentalia libero usui fidelium relinquuntur; solus eorum contemptus, sive mentalis, sive verbalis, sive realis est peccatum.

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 66 sqq; *Bellarminus*, De baptismo; *Suarez*, De baptismo; *J. Corblet*, Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de baptême, Paris 1881; *W. Koch*, Die Taufe im Neuen Testament, Münster 1910; *J. Souben*, Nouvelle théologie dogmatique VII 57 sqq; *Sasse*, De sacram. I 196 sqq; *G. van Noort*, De sacram. I 123 sqq; *Pohle*, Lehrbuch der Dogmatik III[5] 118 sqq.

Prop. VII. Baptismus est sacramentum, cuius materia est ablutio aqua facta, forma vero: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

55. *Stat. quaest.* Primum omnium sacramentorum vocatur baptismus vel baptisma. Haec vox graeca significat immersionem vel lotionem. In Scriptura dicitur de lotione sive communi sive rituali (Iudith 12, 7. Neh 4, 23. Mc 7, 4 8. Lc 11, 38. Hebr 9, 10). Metaphorice significat malorum inundationem (Mc 10, 38) vel bonorum abundantiam (Act 1, 5). Sed in Novo Testamento saepe et in usu ecclesiastico exclusive fere baptizare et baptisma dicuntur *de sacramento regenerationis per lavacrum aquae sub invocatione SS. Trinitatis.* Apud veteres scriptores latinos vocatur etiam simpliciter lavacrum, tinctio; apud graecos *φώτισμα,* quod nomen sumpserunt ex Hebr 6, 4, vel *σφραγίς* secundum 2 Cor 1, 22.

Baptismum esse verum sacramentum olim omnes tam schismatici et haeretici quam catholici docebant. Nostra aetate non pauci protestantes hoc negant, et ii, qui non admittunt dogma SS. Trinitatis, etiam formam saepe corrumpunt. Quia in fontibus revelationis, quoties sermo est de baptismo, plerumque etiam indicatur materia et forma, haec omnia simul probari possunt.

56. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

a) Iam in Vetere Testamento Deus praedixerat: «Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris» (Ez 36, 25; cf. Zach 13, 1). Quare Christus ad Nicodemum, qui non intellegebat, quae ei de baptismo dixerat: «Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei», ait: «Tu es magister in Israel, et haec ignoras?» (Io 3, 5 10.) Christus per discipulos suos baptismum administrabat (Io

3, 26; 4, 2). Hunc fuisse eundem specie baptismum atque baptismum ecclesiae docent *S. Augustinus, S. Thomas, Suarez,* qui multos alios allegat (De bapt. disp. 19, sect. 2, n. 1). Hi igitur consequenter dicunt baptismum iam ante mortem Christi esse institutum. Alii tamen id negant, et dicunt baptismum institutum esse, quando Christus post mortem suam miserit discipulos suos ad baptizandum (Mt 28, 19). Ita *Canus* (De loc. theol. l. 8, c. 5). Apostolus Petrus die Pentecostes iudaeis interrogantibus: «Quid faciemus, viri fratres?» respondet: «Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti» (Act 2, 37 sq). Et sic apostoli semper eos, qui volebant fieri christiani, baptismo recipiebant in ecclesiam, etiam eos, qui iam fidem et alia dona spiritualia habebant, ut Saulum (Act 9, 18) et Cornelium centurionem (Act 10, 48).

b) *Materia baptismi ubique indicatur aqua.* «Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?» (Act 8, 36.) «Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?» (Act 10, 47.) Baptismus est lavacrum aquae in verbo vitae (Eph 5, 26). S. Petrus baptismum comparat cum aqua diluvii, quatenus haec portando arcam salvum fecit Noe cum familia sua. Similiter nunc «vos antitypum salvos facit baptisma» (1 Petr 3, 20 sq, ubi in versione latina *ἀντίτυπον* vertitur «similis formae». Alia de hoc textu supra n. 30).

Materia proxima est ablutio aqua facta. Modus abluendi est per immersionem aut per infusionem. «Descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum» (Act 8, 38). Hic *ritus immersionis* est aptissimus ad significandam sepulturam et resurrectionem spiritualem, de qua ait S. Paulus: «An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus» (Rom 6, 3 sq; cf. Col 2, 12). Nihilominus valet etiam ablutio per *infusionem* facta. Nam cum uno die baptizarentur tria milia hominum in urbe Ierusalem (Act 2, 41), ubi non erat fluvius, vel cum Paulus in carcere baptizaret custodem cum omni familia (Act 16, 33), probabile non est baptismum collatum esse per immersionem. Ceterum de modo ablutionis in Scriptura nihil praecipitur.

c) *Forma baptismi est: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Nam Christus iussit apostolos ita baptizare (Mt 28, 19). Posset quidem absolute sensus horum verborum esse: Baptizate non vestro nomine sed auctoritate Dei. Sed obvio sensu illa verba exhibent formam. Cur enim Christus distincte tres personas divinas nominasset, nisi etiam in baptismo nominandae essent? Praeterea orientalis et occidentalis ecclesia sic semper verba intellexit, et invalidum habet baptismum non sic collatum. S. Paulus, audiens quosdam, quos baptizatos putabat, ignorare Spiritum Sanctum, mirans interrogat: «In quo ergo

baptizati estis?» (Act 19, 3.) Ergo baptizabantur ita, ut in baptismo nominaretur etiam Spiritus Sanctus; seu adhibebatur formula trinitaria.

57. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

Doctrina in thesi proposita a SS. Patribus integris libris exponitur. De baptismo tractatus ediderunt *Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Gregorius Naz., Cyrillus Hierosol.*, alii. Hi omnes quoad materiam et formam idem docent. Inter latinos et graecos haec est differentia, quod apud latinos forma est activa: ego te baptizo; apud graecos vero est passiva: baptizatur servus Christi, sed utrique baptizant: in nomine *(εἰς τὸ ὄνομα)* Patris et Filii et Spiritus Sancti. Vetustissimum testimonium legitur in *Doctrina duodecim apostolorum* c. 7: «Quod baptismum attinet, ita baptizate: haec omnia dicentes, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, in aqua vivente [i. e. fluente]. Nisi autem habeas aquam viventem, in alia aqua baptiza; nisi potes in frigida, in calida. Sin neutram habes [ad immergendum], effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» *S. Justinus* ait: Catechumeni «eo ducuntur a nobis, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei ac salvatoris nostri Iesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt» (Apol. 1, c. 61). *Constitutiones apostolorum* (l. 7, c. 22, n. 1), *canones apostolorum* (can. 49 sq), aliique libri liturgici inculcant baptizandum esse in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Tertullianus:* «Lex tingendi imposita est et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris . . .» (De bapt. c. 13). Sed impossibile est omnia testimonia hic conscribere. Audiatur adhuc unus *S. Augustinus:* «Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus» (In Ioan. tract. 15, n. 4.) «Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua?» (In Ioan. tract. 80, n. 3.) «Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?» (De bapt. l. 6, c. 25, n. 47). Utendum igitur est «evangelicis verbis in nomine Patris . . .» (ibid. l. 3, c. 15, n. 20).

Aegrotos seu clinicos in lecto *aspersione* seu *infusione* esse baptizatos testatur *Eusebius* (H. E. l. 6, c. 43). De qua re ait *S. Cyprianus:* «Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem prophetam (36, 25) loquatur et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam. . . . Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere» (Ep. 69, n. 12; ed. *Hartel*). Ergo «immersio non est de necessitate baptismi [sed] potest fieri baptismus per modum aspersionis vel etiam per modum effusionis» (*S. Thomas* 3, q. 66, a. 7). Si baptismus necessario fieret per immersionem, saepe esset physice vel moraliter impossibilis.

58. *Arg. 3.* Ex constitutionibus ecclesiae.

S. Damasus: «In Patre et Filio et Spiritu Sancto solo baptizamur», non in nomine angelorum (*Denz.* n. 82). *Pelagius I:* Baptismus in nomine Christi tantum collatus est invalidus, et qui ita baptizati sunt, in nomine SS. Trinitatis baptizari debent (*Denz.* n. 229). Idem docet *S. Gregorius M.* (*Denz.* n. 249), qui alio loco addit unam immersionem sufficere ad valorem baptismi (Ep. l. 1, ep. 43); sed trina mersio vel infusio ex antiquo usu et praecepto ecclesiae est adhibenda. *Innocentius III:* «Cum in baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum necessario requirantur . . . dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque praedictorum sed eorum alterum est omissum», i. e. aut aquae infusio aut invocatio Trinitatis (*Denz.* n. 412). *Alexander III* docet *actionem baptizandi* necessario verbis esse exprimendam. «Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen; et non dixerit: ego baptizo te . . . non est puer baptizatus» (*Denz.* n. 398; cf. n. 1317). *Eugenius IV:* «Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma. . . . Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis; nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est: ego te baptizo in nomine Patris . . . Non tamen negamus, quin et per illa verba: baptizatur talis servus Christi in nomine Patris . . . vel: baptizatur manibus meis talis in nomine Patris . . . verum perficiatur sacramentum, quoniam . . . si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum» (*Denz.* n. 696). *Concilium tridentinum* sess. 7, can. 1 de sacram. definit baptismum esse vere et proprie novae legis sacramentum, a Iesu Christo institutum. Can. 2 de bapt.: «S. q. d. aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto (Io 3, 5) ad metaphoram retorserit, A. S.» Can. 4: «S. q. d. baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.» (*Denz.* n. 844 858 860).

59. **Obi. I.** In S. Scriptura dicitur baptismus conferri in nomine Iesu (Act 2, 38; 8, 12 16; 10, 48). Atqui si baptismus conferri potest in nomine Iesu, non requiritur, ut conferatur in nomine SS. Trinitatis. Ergo falsa est haec pars thesis.

Resp. *Dist. mai.:* Dicitur baptismus ita conferri in nomine Iesu, ut haec forma adhibeatur: ego te baptizo in nomine Iesu, *neg. mai.;* ut sensus sit conferri baptismum a Iesu institutum et eius auctoritate validum, *conc. mai.* *Dist. min.:* Non requiritur, ut baptismus in nomine SS. Trinitatis conferatur, si sufficit in forma pronuntiare nomen Iesu, *conc. min.;* si in nomine Iesu confertur, quatenus a Iesu institutionem et valorem habet, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Saepe «in nomine alicuius» non significat pronuntiando nomen alicuius (Mt 10, 41 sq; 18, 5 20; 24, 5 etc.). Ergo neque locis supra citatis necessario habet hanc significationem. Immo haec significatio constanti praxi et doctrina ecclesiae excluditur, ut iam vidimus. Quamvis traditione tam clare postuletur forma trinitaria, tamen dicitur baptismus conferri in nomine Iesu, ut e. g. in «Doctrina duodecim apostolorum» (9, 5), ab *Innocentio I* (*Denz.* n. 94; cf. n. 97), aliis. Ergo «in nomine Iesu» non significat formam baptismi.

60. *Obi. II.* *S. Ambrosius* ait: «Plenum est [baptisma], si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem aut Filium aut Spiritum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum, ita quamvis et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas et aut Patris aut Filii aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium» (De Spiritu Sancto l. 1, c. 3, n. 42). Ergo secundum S. Ambrosium sufficit baptisma in nomine Iesu collatum.

Resp. *Conc. antec.* *Neg. conseq. et consequentiam:* Nihil enim in toto contextu dicit de baptismo collato sub hac forma: «ego te baptizo in nomine Iesu». Interpretare verba secundum sensum obvium de fide suscipientis sacramentum, omnia sunt clara et vera. Scilicet ut quis iustificetur per baptismum, requiritur recta fides Trinitatis. Hanc potest quis habere, etsi unam tantum personam nominat; et potest ea carere, etsi omnes tres personas nominat, sed eas dicit inaequales, ut ariani. — Si vero verba explicas de actione ministri, non solum doctrina est obscura sed inaudita. Sic enim diceret posse baptismum valide conferri pronuntiato nomine unius personae sive Patris sive Filii sive Spiritus Sancti; si vero minister non habeat rectam sententiam de Trinitate, nihil effici, etsi minister baptizet in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Haec autem est doctrina manifeste falsa, quam non licet subicere verbis Ambrosii, si alia magis obvia et vera significatio verbis subici potest. S. Ambrosius diserte docet: «Nisi baptizatus fuerit [catechumenus] in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum nec spiritualis gratiae munus haurire» (De myst. c. 4, n. 20). Cf. *M* PL 16, 713 nota.

61. *Obi. III.* *Nicolaus I,* interrogatus a bulgaris, num valeret baptismus collatus a iudaeo, respondit: «A quodam iudaeo, nescitis, utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos» (*Denz.* n. 335). Ergo summus pontifex docet baptismum in solo nomine Iesu collatum esse validum.

Resp. *Conc. antec.* *Dist. conseq.:* Docet baptismum esse validum, si in forma pronuntietur solum nomen Iesu, *neg. conseq.;* docet baptismum esse validum, si minister habeat intentionem baptizandi in nomine SS. Trinitatis vel in nomine Christi, *conc. conseq.* Summus pontifex interrogatus erat non de forma sed de ministro baptismi, et ad quaestionem respondet valorem baptismi pendere ex ministri intentione. Propterea statim post verba citata pergit: «Primum utrum christianus an paganus ipse [qui erat natione] iudaeus

exstiterit, vel si postmodum fuerit factus christianus, investigandum est.» Nam si christianus fuit, habuit intentionem baptizandi. Sed etiamsi, haec addit ipse pontifex, rectam fidem non habuit, potuit tamen valide baptizare, quia, ut ait S. Augustinus, baptismus verbis evangelicis consecratur. His igitur satis indicatur illud incisum «vel tantum Christi» non referri ad formam baptismi. Ceterum illud responsum non est definitio ex cathedra; ergo potuit in eo absolute pontifex errare, quod tamen supponendum non est, quamdiu alius verus sensus verborum possibilis est.

62. *Obi. IV.* Multi theologi docuerunt baptismum valere, si in forma solum nomen Iesu pronuntietur. Ergo doctrina de necessitate explicitae invocationis SS. Trinitatis saltem non est certa.

Resp. Dist. antec.: Multi theologi docuerunt etiam post tempora apostolorum baptismum in solo nomine Iesu collatum esse validum, *neg. antec.* Hoc enim paucissimi tantum docuerunt, ut *Lombardus* (4, dist. 3, n. 5); et est sententia certe falsa. Olim multi docuerunt apostolos ex divina dispensatione baptizasse in solo nomine Iesu, ut huic nomini apud iudaeos reverentiam conciliarent, sed postea hoc privilegium cessasse, *conc. antec.* Ita *S. Thomas* (3, q. 66, a. 6), *Scotus* (In 4, dist. 3, q. 2) et eorum discipuli multi. Sed etiam haec sententia obsolevit, non tamen meretur ullam censuram. *Bellarminus* de ea ait: «Praecipuum fundamentum . . . est ipsius Ambrosii auctoritas; quare si forte Ambrosius non illud voluerit dicere, quod eius verba sonare videntur, ruit fundamentum praecipuum illius opinionis» (De bapt. c. 3). Iam vidimus Ambrosium illud noluisse dicere; et si voluisset dicere, eius auctoritas non staret contra omnes illos Patres, qui diserte dicunt apostolos non baptizasse in solo nomine Iesu. Ita e. g. *S. Cyprianus* (Ep. 73, n. 17 sq; ed. *Hartel*), *S. Fulgentius* (Contra Fabian. fragm. 37), *S. Augustinus* (Contra Maximin. l. 2, c. 17, n. 1), *S. Ioannes Chrysost.* (In 2 Cor. hom. 30) etc. Ergo etiam considerata auctoritate Patrum illa veterum theologorum sententia non est probabilis.

Schol. De adhibenda aqua benedicta in baptismo sollemni.

63. Secundum legem ecclesiasticam in baptismo sollemni adhibenda est aqua ad hunc finem benedicta. Ritum benedicendi aquam baptismalem esse antiquum patet tum ex usu communi ecclesiae occidentalis et orientalis tum ex testimonio *S. Basilii* (De Spiritu Sancto c. 27) et aliorum Patrum.

Touttée in editione operum S. Cyrilli Hieros. (nota in Catech. 3, n. 3) putat plures Patres censuisse hanc benedictionem esse essentialem et ex ea baptismum habere vim sanctificandi. Attamen tam erronea sententia non est attribuenda Patribus, nisi eorum verba id exigunt. Atqui non exigunt. Ita *S. Basilius* loco citato solum testatur usum benedicendi aquam, et alio loco (c. 15) dicit: «Si qua est gratia in baptismo, non est ex ipsius aquae natura sed ex Spiritus praesentia.» *S. Cyrillus Hieros.* l. c. ait: «Aqua simplex Spiritus Sancti et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit.» Quae verba sensu obvio de forma baptismi intelleguntur. Si-

militer alii Patres loquuntur aut de verbis formae aut de toto complexu rituum baptismi. Sciebant autem ex Scriptura (Act 8, 36) et ex veteribus scriptoribus ecclesiasticis (supra n. 57) olim homines baptizatos esse in fluminibus vel alia aqua non consecrata. *Tertullianus:* «Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur» (De bapt. c. 4).

Catechismus Rom. ait: «Monere oportebit, ne forte fideles in errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum baptismum in fonte asservatur, sacramentum esse; tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, cum aqua ad abluendum aliquem additis verbis, quae a Domino instituta sunt, reipsa utimur» (Pars II, c. 2, n. 6). Excepta eucharistia omnia sacramenta consistunt in actione transeunte, non in re permanente.

Prop. VIII. Effectus baptismi est regeneratio spiritualis et insertio hominis ut vivi membri in corpus Christi mysticum cum perfecta remissione totius reatus culpae et poenae.

64. ***Stat. quaest.*** Cum iam probaverimus baptismo infundi gratiam sanctificantem et characterem (supra n. 13 sqq 23 sqq), hic exponendus est specialis effectus, qui baptismo ut baptismo convenit. Hic effectus est regeneratio spiritualis et insertio in corpus Christi mysticum (cf. I, n. 253). Sicut enim per naturalem generationem homo fit membrum familiae Adami et contrahit peccatum originale (cf. II, 343 sqq 349 sqq), ita per supernaturalem regenerationem fit membrum corporis mystici Christi et particeps meritorum eius. Haeresiarchae saeculi XVI docebant baptismo hominem non intrinsecus iustificari, sed solum extrinsecus ei imputari merita Christi, ita tamen ut nullum subsequens peccatum possit ei nocere, quamdiu fidem servet (cf. *Bellarm.,* De bapt. c. 13 sq). Uterque error damnatus est a *concilio tridentino* (*Denz.* n. 821 837 863). Thesis est de fide.

65. ***Arg. 1.*** Ex S. Scriptura.

Baptismum esse regenerationem spiritualem Christus ipse docuit (Io 3, 5 sqq). Apostolus ait: Deus «secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti . . . ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae» (Tit 3, 5 sqq). Hoc autem ita fit, ut in baptismo moraliter unum efficiamur cum Christo, cum eo morientes peccato et resurgentes ad novam vitam. «In unum corpus baptizati sumus. . . . Vos autem estis corpus Christi et membra de membro» (1 Cor 12, 13 27). «Quicumque enim baptizati estis, Christum induistis» (Gal 3, 27). «An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per glo-

riam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo» (Rom 6, 3 sqq). «Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu» (Rom 8, 1). Nam Christus sanctificavit ecclesiam, «mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata» (Eph 5, 26 sq). «Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova» (2 Cor 5, 17).

66. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

SS. Patres saepe in catechesibus ad catechumenos vel neophytos praedicant eximios baptismi effectus. Pauca breviora dicta audiamus. *S. Basilius:* «Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum, quod nullo conatu frangi potest, vehiculum ad caelum, regni conciliator, adoptionis donum» (Hom. 13 in s. bapt. n. 5). *S. Ioannes Chrysost.* de eo, qui baptizatur, ait: «Etsi humana omni nequitia plenus sit, si in piscinam aquarum incidat, solaribus radiis purior ex divinis fluentis ascendit. . . . At, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, cur non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum peccata remittit neque solum delicta purgat, sed ita id praestat, ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat et format, non ex terra rursum effingens sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura creans . . . contrito vetere homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito» (Ad illuminandos catech. 1, n. 3). Et in Gal 3, 28: «Quo clarius intimam nostram cum Christo unionem manifestet, cum dixisset: ‚Christum induistis', ne hoc quidem contentus est, sed ultra progreditur: ‚Omnes unus estis in Christo', i. e. eandem formam eundemque typum habetis cum Christo. Quid his verbis potest esse magis stupendum aut verendum? Qui prius erat ethnicus vel servus, nunc formam habet non angeli aut archangeli sed Domini universorum, ipsum Christum in se exhibens.» Similiter *S. Cyrill. Hieros.* (Catech. 21, n. 1). *S. Augustinus:* «Quoscumque legimus in corpore Christi, quod est ecclesia, pertinere ad regnum caelorum, non nisi baptizatos intellegere debemus» (Ep. 265, n. 4; cf. De pecc. mer. et rem. c. 26, n. 39). Baptismatis munus «contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata, quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit . . . unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus, et ingeneratus et additus» (Enchir. c. 64). Cf. *S. Thomas* 3, q. 69.

67. *Arg. 3.* **Ex definitionibus ecclesiae.**

Concilium milevitanum II can. 2 definit baptismum esse lavacrum regenerationis et remissionis peccatorum (*Denz.* n. 102). *Innocentius I:* Christus «per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit» (*Denz.* n. 130). *Eugenius IV:* «Baptisma vitae spiritualis ianua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae. . . . Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis. . . . Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum caelorum et Dei visionem perveniunt» (*Denz.* n. 696). *Concilium tridentinum* sess. 5, can. 5: «Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui . . . innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur.» Addit concupiscentiam, quae remaneat ad agonem, non esse vere et proprie dictum peccatum. Sess. 6, c. 7: «Baptismo redditur per Christum stola prima pro illa, quam Adam perdidit.» Sess. 14, c. 2: «Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes.» Ibidem docetur ecclesiam in neminem iudicium exercere, «qui non prius per baptismi ianuam in eam fuerit ingressus» (*Denz.* n. 792 800 895).

68. *Obi. I.* Si homo regeneratione et iustificatione fit membrum Christi, postea perdita peccato gratia, non iam est membrum corporis Christi mystici. Atqui hoc est contra doctrinam ecclesiae, quae damnavit errorem dicentium peccatores non esse membra ecclesiae (cf. I, n. 231, 5). Ergo non regeneratione inseritur homo in corpus Christi mysticum.

Resp. *Dist. mai.:* Homo peccans cessat esse membrum Christi vivum, *conc. mai.;* cessat esse membrum Christi omni modo, *neg. mai.* *Dist. min.:* Est contra doctrinam ecclesiae dicere peccatorem non iam esse membrum Christi vivum, *neg. min.* Est contra doctrinam ecclesiae dicere peccatorem cessasse esse membrum Christi omni modo, *conc. min.* Et *neg. conseq.* Thesi enim statuitur, quae sit efficacia baptismo ex se propria. Baptismus autem, quantum est ex se, efficit hominem vivum membrum Christi; nam ad hoc est a Christo institutus. Nihilominus ratione prius homo baptismo fit membrum ecclesiae, in quantum haec est visibilis societas, et capax fit ad valide suscipienda sacramenta; et signaculum huius participationis imprimitur ei character. Hunc igitur characterem retinet, etiamsi ut «desertor vagatur» (supra n. 23), i. e. characterem retinet non solus peccator, sed etiam is, qui ab ecclesia defecit vel excommunicatus est; et vi characteris manet sub-

iectus potestati ecclesiasticae, et potest valide suscipere sacramenta (cf. I, n. 300 *a*).

69. *Obi. II.* Si baptismo homines tam perfecte participes fiunt fructus meritorum Christi, ut fiant plane nova creatura, effectus baptismi est in omnibus aequalis. Atqui non est in omnibus aequalis, ut docet *concilium tridentinum* sess. 6, c. 7 (*Denz.* n. 799). Ergo non tam perfecta renovatio per baptismum fit.

Resp. *Dist. mai.:* Effectus baptismi est aequalis in iis, qui habent aequalem dispositionem, vel nulla indigent dispositione, ut infantes, *conc. mai.;* in iis, qui habent inaequalem dispositionem, *neg. mai. Dist. min.:* Effectus baptismi non est aequalis in iis, qui sunt aequaliter dispositi, *neg. min.;* in iis, qui sunt inaequaliter dispositi, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Quod attinet characterem, hic omnibus aequaliter imprimitur. Quod autem attinet remissionem peccatorum et gratiae infusionem, requiritur in adultis dispositio (supra n. 17). Si quis adultus non commisit ulla peccata personalia, non requiritur alia dispositio nisi fides et voluntas suscipiendi baptismum; nam de peccato originali neque debet neque potest agere paenitentiam. Si quis commisit sola peccata venialia, potest quidem sine paenitentia valide et fructuose suscipere baptismum, quia peccata venialia non impediunt infusionem gratiae; sed baptismus non prius efficit remissionem horum peccatorum venialium, quam homo ea actu salutari retractavit; hac autem retractatione posita statim vi baptismi peccata quoad culpam et poenam perfecte delentur. Si denique homo commisit peccatum grave, de quo non dolet, potest quidem valide suscipere baptismum sed illicite tantum et infructuose, quia adest obex gratiae (supra n. 12 *a* 53). Talis homo vocatur «fictus», quia exterius agit, quasi velit iustificari, cum reapse nolit a peccato se convertere. Sed recedente fictione per paenitentiam, baptismus reviviscit, i. e. peccatum perfecte delet et gratiam producit. Denique mensura gratiae, quae infunditur, eo maior est, quo melius homo cum auxilio Dei se praeparavit. Sub hoc respectu effectus baptismi in singulis fere adultis, qui baptizantur, differt (cf. *S. Thomas* 3, q. 69, a. 8 sqq).

Alia obiectio de concupiscentia et poenalitatibus, quae remanent in baptizatis, soluta est II, n. 361 (cf. *S. Thomas* l. c. a. 3).

Prop. IX. Baptismus omnibus hominibus ad salutem est necessarius, potest tamen sub quibusdam condicionibus baptismo flaminis et baptismo sanguinis suppleri.

70. ***Stat. quaest.*** a) Baptismus re susceptus, *seu baptismus fluminis,* omnibus hominibus necessarius est ad salutem necessitate medii hypothetica (cf. I, n. 247), quia Christus hoc medium instituit. Si quis actu baptismum suscipere nequit, sed eius votum seu desiderium, saltem implicitum, habet cum contritione perfecta de peccatis suis, iustificationem consequitur, non tamen characterem accipit, neque semper perfectam remissionem omnis culpae et poenae.

Ideo necessitas baptismi realiter suscipiendi est hypothetica, quia iustificatio *voto baptismi* obtineri potest. In eo qui sacramentum actu non suscipit, ad iustificationem requiritur actus perfectae caritatis

(cf. *Denz.* n. 898). Hunc autem actum in hoc ordine salutis nemo nondum baptizatus habere potest, nisi vult baptismum suscipere, quia qui perfecte Deum amat, vult omnia, quae ex voluntate Dei necessaria sunt ad salutem. Actus caritatis, quatenus includit votum seu desiderium baptismi vocatur metaphoris *baptismus flaminis,* i. e. spiritus (cf. *S. Bonaventura,* In 4, dist. 4, pars 2, a. 1, q. 1), quatenus Spiritus Sanctus, movens hominem ad fidem et caritatem, iustificationem sine signo sacramentali producit.

Caietanus (In 3, q. 68, a. 2 et 11) censuit baptismum flaminis secundum legem Dei ordinariam eatenus ad infantes extendi, quatenus hi possent voto baptismi ex parte parentum salvari. Quae opinio, quia conciliari non posse videtur cum doctrina ecclesiae, ab omnibus fere theologis ut falsa reicitur.

b) Sed ad infantes quoque extenditur efficacia *baptismi sanguinis* seu martyrii, quia ex persuasione ecclesiae quicumque martyrio moriuntur, sive adulti sive parvuli, statim participes fiunt beatitudinis caelestis. Martyrium est perpessio poenae mortiferae, ex odio fidei vel virtutis inflictae et patienter toleratae. In adultis martyrium est actus fortitudinis, qui a caritate vel alia virtute imperari potest. Non licet adultis ratione martyrii praevisi omittere baptismum, si eum recipere possunt; sed si ante baptismum actu susceptum martyrium subeunt, accipiunt remissionem omnis culpae et poenae et gratiam sanctificantem, non tamen characterem. Ergo martyres nondum baptizati, si eorum vita miraculo servatur, baptizari debent.

c) Necessitatem baptismi vel omnino vel ex parte negarunt pelagiani, zwingliani, calvinistae (cf. *Bellarmin.,* De bapt. c. 4), multi recentes protestantes. Secundum modernistas communitas christiana necessitatem baptismi induxit (*Denz.* n. 2042).

71. **Prob. pars I.** *Baptismus omnibus hominibus necessarius est necessitate medii.* Nam Christus dixit: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» (Io 3, 5). Introire in regnum Dei est fieri heredem gloriae caelestis (Mt 5, 20; 7, 21; 18, 3. Mc 9, 46. 1 Cor 6, 10 etc.). Ergo qui baptizatus non est, excluditur a beatitudine. Ratio est, quia omnes, qui ex semine Adami nascuntur, sunt natura filii irae (cf. II, n. 335 *a*); atqui filii irae non possunt esse in beatitudine.

Tertullianus: «Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam aeternam» (De bapt. c. 12). *S. Basilius:* «Dominum ipsum audivisti: Amen, amen, dico vobis, nisi quis... Tu nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis» (Hom. in s. bapt. n. 2). *S. Augustinus:* «Noli credere nec dicere nec docere infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholi-

cus» (De anima et eius orig. l. 3, c. 9). *Anonymus De vocatione gentium* (2, 8): «Neque credi fas est eos, qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium.»

Provocando ad Io 3, 5 necessitatem baptismi pro adultis et parvulis docuerunt *concilium milevitanum II* can. 2 (*Denz.* n. 102), *concilium florentinum* (*Denz.* n. 696), *concilium tridentinum,* quod sess. 6, c. 4 ait: Translatio a statu peccati, in quo homo nascitur, ad statum gratiae «post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus . . .» Dein sess. 7, can. 5 de bapt.: «S. q. d. baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, A. S.» (*Denz.* n. 796 861). Promulgatio evangelii, de qua loquitur concilium, omnibus fatentibus iam diu facta est toto orbe terrarum. Quando autem primum coeperit esse sufficiens, ut sacramentum naturae vel alia similia remedia essent abrogata, non potest cum certitudine determinari (cf. *Suarez,* De legib. l. 10, c. 4).

Pelagius volebat parvulos a necessitate baptismi eximere. De qua opinione *Innocentius I* scripsit ad concilium milevitanum: «Illud quod eos [pelagianos] vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est» (*M* PL 20, 592). Idem ait *Gelasius I,* a quo Pelagii sententia vocatur «satis impia, satis profana» (Ep. 7; *M* PL 59, 37).

Quam ob causam etsi tempora sollemnis baptismi iam in vetere ecclesia erant sabbata Paschatis et Pentecostes, tamen, ut ait *S. Leo M.:* Non interdicitur «licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur . . . ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare praesidium cuiquam denegemus» (Ep. 16, c. 5). *Rituale Rom.* (De bapt. parvul.) monet, ut nati infantes quam primum deferantur ad baptismum, et *Eugenius IV* omnino improbat usum baptismum eorum differendi per quadraginta aut octoginta dies (*Denz.* n. 712), quia in illa tenella aetate saepe adest periculum mortis. Itaque mos, primis saeculis non raro vigens, extra periculum mortis differendi baptismum usque ad annos discretionis vel usque ad senectutem receptus non est ab ecclesia sed potius damnatus, ut a *concilio tridentino* can. de bapt. 12 sqq (*Denz.* n. 868 sqq). Ceterum iam SS. Patres illam consuetudinem severe reprehenderunt, ut *S. Basilius* (Hom. 13 ad s. bapt.) et *S. Gregorius Nyss.,* qui contra hunc abusum specialem orationem habuit (*M* PG 46, 415).

72. **Prob. pars II.** *Baptismus aquae suppleri potest baptismo flaminis.* Aliis verbis: Qui elicit actum caritatis perfectae, iustificatur, et salutem consequitur, etsi ante baptismum re susceptum moritur. Christus enim ait: «Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum» (Io 14, 21). Quia de hac re

recurret sermo in tractatu de sacramento poenitentiae, pauca hic addere iuvat de voto baptismi.

S. Ambrosius ad consolandos eos, qui dolebant de morte praematura Valentiniani II, catechumeni, ait: «Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut et antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit, et ideo prae ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit. Et unde illud est? Iustus, quacumque morte praeventus fuerit, anima eius in requie erit (Sap 4, 7). Solve igitur, sancte Pater, munus servo tuo. . . . Qui habet spiritum tuum, quomodo non habuit gratiam tuam?» (De obitu Valent. n. 51 sq.) Eandem doctrinam *S. Augustinus* exponit in libro quarto De baptismo c. 24 sq, ubi inter alia dicit «aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit . . . complente Deo, quod non ex voluntate defuisset» (c. 25). De hac Ambrosii et Augustini doctrina ait *S. Bernardus:* «Ab his duabus columnis difficile avellor . . . credens et ipse sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramenti» (Ep. 77, n. 8). *S. Thomas:* «Potest sacramentum baptismi alicui deesse re sed non voto . . . et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium baptismi, quod processit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur» (3, q. 68, a. 2). Similiter ceteri theologi.

Idem docet *Innocentius III* (Decret. l. 3, tit. 42, c. 4; tit. 42, c. 3); item *concilium tridentinum,* cuius verba iam citavimus (supra n. 71). Contraria doctrina *Baii* damnata est (*Denz.* n. 1031 1033).

73. **Prob. pars III.** *Baptismus aquae suppleri potest baptismo sanguinis,* quando quis in vera fide pro Christo martyrium tolerat. Haec fuit semper persuasio ecclesiae, nixa promissionibus Christi (Mt 10, 39. Lc 9, 24. Io 12, 25). *Tertullianus:* «Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet.... Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit» (De bapt. c. 16). *S. Cyprianus:* Sciant catechumenos martyres «non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo» (Ep. 73, n. 21; ed. *Hartel*). *S. Augustinus:* «Quicumque etiam non recepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum in iis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis» (De civ. Dei l. 13, c. 7). *S. Cyrillus Hieros.:* «Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum percipiunt» (Catech. 3, n. 10).

S. Ioannes Chrysost.: «Sicut ii, qui baptizantur, aquis, ita qui martyrium patiuntur, abluuntur proprio sanguine» (Hom. in mart. Lucian. n. 2). Omnino concors est de hac re doctrina Patrum, qui diserte efferunt idem valere de infantibus, ut videre licet in homiliis habitis in festo SS. Innocentium. *S. Leo M.:* «Quos rex impius eximit mundo, Christus inserit caelo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrii tribuit dignitatem» (In Epiph. serm. 1, c. 3). Ex hoc festo etiam patet, quis sit ecclesiae sensus. *Innocentius III* in 3 decret. tit. 41, c. 6, § 2 repetit dictum *S. Augustini:* «Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari» (Serm. 159, c. 1; cf. In Io. tract. 84). Consentiunt theologi, ut *S. Thomas* (3, q. 66, a. 11 sq).

74. *Obi. I.* Deus vult omnes homines salvos fieri. Atqui si baptismus necessarius est necessitate medii, plurimi homines sine sua culpa pereunt. Ergo baptismus non est necessarius necessitate medii.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Homines adulti sine sua culpa pereunt, *neg. min.,* quia Deus hominibus bonae voluntatis dat gratiam, qua se salvare possint. Infantes pereunt, *subdist. min.:* sine culpa personali, *conc. min.;* sine culpa originali, *neg. min.* Addendum tamen est eos sola beatitudine supernaturali et indebita privari, non bonis naturaliter debitis (cf. II, n. 363 sqq). *Dist. conseq.:* Baptismus non est necessarius necessitate medii absoluta, *conc. conseq.;* necessitate medii hypothetica, seu vel in re vel in voto, *neg. conseq.*

75. *Obi. II. S. Augustinus* ait: «Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat, nisi cum venerit ad baptismum» (In Io. tract. 13, n. 7). Idem alii Patres dicunt. Ergo homo non iustificatur baptismo flaminis.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Non iustificatur homo, qui ex fide viva habet votum baptismi, *neg. conseq.;* non iustificatur homo, qui putat sibi baptismum non esse necessarium, cum sine illo possit bene vivere, *conc. conseq.* De tali autem catechumeno loquitur Augustinus. Ait enim: Nisi baptismus esset necessarius, «iam continenter vivens catechumenus, contemneret coniugatum et diceret se meliorem, quam sit ille fidelis. Ille catechumenus diceret in corde suo: Quid mihi opus est accipere baptismum, ut et hoc habeam, quod et iste, quo iam melior sum?» (L. c. n. 6.) Talis igitur catechumenus non habet votum baptismi. Sed de catechumeno recte disposito ait: «Nec ego dubito catechumenum catholicum divina caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus» (De bapt. l. 4, c. 21).

76. *Obi. III. S. Thomas* de martyrio ait: «Effusio sanguinis non habet rationem baptismi sine caritate» (3, q. 66, a. 12 ad 2). Atqui caritas per se iustificat. Ergo baptismus sanguinis non habet aliam efficaciam atque baptismus flaminis.

Resp. *Dist. mai.:* Martyrium non habet efficaciam nisi ex actu caritatis elicito, *neg. mai.;* non iustificat sine caritate habituali sive antecedente sive in ipso martyrio infusa, *conc. mai. Dist. min.:* Caritas, quae per se iustificat, necessario antecedenter adest et tribuit martyrio totum suum valorem, *neg.*

min. Caritas habitualis, nisi adest, confertur per martyrium, quod praeterea delet omnem culpam et poenam, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Martyrii efficaciam non esse unice ex actu caritatis vel aliarum virtutum repetendam, iam inde efficitur, quod eo etiam pueri iustificantur. Hoc argumento ipse *S. Thomas* ostendit martyrium non habere efficaciam ex opere operantis tantum, sed ex obiectiva imitatione passionis Christi; «et ideo pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur» (In 4, dist. 3, q. 3, a. 3, sol. 3 ad 1; cf. 2, 2, q. 124, a. 1 ad 1). Adultus utique, qui non retractavit peccatum mortale a se commissum, non potest fieri martyr, quia is non potest pro Deo mori, qui voluntate est a Deo aversus. Similiter si quis haberet actualem complacentiam peccati venialis, martyrium non posset in eo integram efficaciam habere, antequam homo voluntatem mutasset, quod fieret statim post mortem. Sic etiam baptismus aquae non delet culpam venialem, quamdiu homo in ea habet complacentiam. *S. Thomas:* «Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi; et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem» (3, q. 87, a. 1 ad 2). Sufficit autem tam in martyrio quam in baptismo attritio de peccatis commissis. Alia omnino quaestio est, num adultus aliunde obligetur ad actum caritatis ante mortem eliciendum, quae non est quaestio de efficacia martyrii. Ceterum non intellegitur, quomodo possit homo deliberate dare vitam suam pro Deo, quin simul amet Deum super omnia, cum Christus ipse dicat summum dilectionis signum esse ponere animam pro amico (Io 15, 13).

Schol. 1. De ministro baptismi.

77. Praeter ea, quae supra (n. 39 sqq) dicta sunt de ministro sacramentorum, pauca hic dicenda restant. Imprimis *nemo potest se ipsum baptizare,* ut constat ex declaratione *Innocentii III* (*Denz.* n. 413). *In casu necessitatis quivis homo,* qui adhibet debito modo formam et materiam et habet intentionem baptizandi, valide et licite baptizat. Iam SS. Patres efferunt etiam laicos licite baptizare posse, si necessitas id exigat. Ita *Tertullianus* (De bapt. c. 17), *S. Hieronymus* (Dial. adv. lucifer. n. 9), *S. Augustinus* (Contra ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 29), alii. Dubitabant nonnihil de infidelibus baptizantibus. Sed postea omnis dubitatio sublata est. *Concilium lateranense IV* docet: Sacramentum baptismi, «in forma ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem» (*Denz.* n. 430). *Eugenius IV:* «In causa necessitatis non solum sacerdos vel diaconus sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat, quod facit ecclesia» (*Denz.* n. 696). Cf. *S. Thomas* 3, q. 67, a. 3 sqq.

Minister baptismi sollemnis est episcopus vel parochus intra limites suae dioecesis vel paroeciae, alius solum ex eorum delegatione. Patres inculcant baptizare per se esse episcopi, dein sacerdotis vel diaconi cum episcopi licentia. Ita *Tertullianus* (supra n. 6). Generatim officium baptizandi postea committebatur sacerdotibus (cf. *Denz.* n. 98), per exceptionem etiam diaconis (cf. *S. Thomas* l. c. a. 1 sq). *Eugenius IV*

l. c. ait: «Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.» Hodierna lex ecclesiastica ita proponitur in *Rituali Rom.* (De ministro bapt.): «Legitimus quidem minister baptismi est parochus vel alius sacerdos a parocho vel ab ordinario loci delegatus. Sed quoties infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine sollemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico sive laico, etiam excommunicato, sive fideli sive infideli, sive catholico sive haeretico, sive viro sive femina, servata tamen forma et intentione ecclesiae. Sed si adest sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet.» Requiritur ad validitatem baptismi, ut idem, qui materiam applicat, etiam formam pronuntiet (cf. *Suarez,* De bapt. disp. 23, sect. 3, n. 2).

Schol. 2. De subiecto baptismi.

78. Subiectum capax baptismi est quivis homo vivens, nondum baptizatus. In adultis requiritur consensus ad validitatem baptismi (*Denz.* n. 411); neque enim quisquam iustificatur nisi per voluntariam susceptionem donorum (*Denz.* n. 799), neque quisquam contra suam voluntatem cogi potest, ut fiat membrum ecclesiae et eius legibus subiciatur. Sed lege divina quivis obligatur ad baptismum suscipiendum (Mc 16, 16). Patet ex iis, quae supra (n. 71) dicta sunt.

Infantes posse et in periculo mortis debere baptizari constans semper fuit doctrina ecclesiae. *Origenes:* «Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum Sanctum ablui deberent» (In Rom. l. 5, n. 9). Res est definita a *conciliis milevitano II* (*Denz.* n. 102), *lateranensi IV* (*Denz.* n. 430), *tridentino* (*Denz.* n. 868 sqq). Lex ecclesiastica obligans parentes, ut curent infantes baptizandos, solos parentes baptizatos obligat. Itaque pueros iudaeorum vel gentilium invitis parentibus baptizare non licet, nisi quando mors imminere videtur, vel quando pueri omnino non iam sunt in potestate parentum. Haec omnia diligenter exponit, argumentis confirmat, singulos casus distinguit *Benedictus XIV* (*Denz.* n. 1480 sqq).

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 72; *Bellarminus,* De confirmatione; *Suarez,* De confirmatione; *Vitasse,* De sacramento confirmationis, apud *Migne,* Cursus theologiae XXI 545 sqq; *L. Janssens,* La confirmation, Lille 1888; *Fr. Dölger,* Das Sakrament der Firmung, Wien 1906; *J. Souben,* Les sacrements I 81 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 156 sqq.

Prop. X. Confirmatio est verum sacramentum.

79. *Stat. quaest.* Confirmatio est sacramentum corroborationis in fide per unctionem chrismatis in fronte manu factam sub praescripta verborum forma. Nomen *S. Ambrosius* (De myst. c. 7, n. 42) derivat ex S. Scriptura (2 Cor 1, 21). Graeci ex materia vocant illud *μύρον*. Alia nomina sunt *τελείωσις, βεβαίωσις, σφραγίς, ἐπίθεσις χειρῶν*.

Novatiani dicuntur hoc sacramentum neglexisse, quia neque Novatianus ipse illud receperat (*Eusebius,* H. E. l. 6, c. 43). Quare ad ecclesiam redeuntes confirmabantur (*Theodoretus,* Haer. fab. l. 3, c. 5). *Lutherus, Calvinus,* alii haeretici volunt confirmationem veteribus non fuisse nisi puram caerimoniam (cf. *Bellarminus*, De confirm. c. 1). Modernistae hanc propositionem statuerunt: «Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab apostolis; formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi» (*Denz.* n. 2044). Inter catholicos nulla de veritate huius sacramenti est disputatio, quia doctrina iam diu est definita.

80. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus promisit omnes in se credentes accepturos post glorificationem suam Spiritum Sanctum (Io 7, 38 sq). Apostoli autem iis, qui iam baptizati erant, Spiritum Sanctum dabant per orationem et impositionem manuum. Ita cum per Philippum diaconum samaritani ad fidem conversi et baptizati essent, apostoli ad eos miserunt Petrum et Ioannem. «Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum» (Act 8, 12 sqq). Similiter de aliis iam baptizatis dicitur: «Cum imposuisset illis manus

Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos» (Act 19, 6). Agitur ergo de ritu distincto a baptismo, quo apostoli dabant Spiritum Sanctum. Spiritum autem Sanctum dare vel accipere principaliter dicitur de gratia sanctificante (Rom 5, 5. 1 Cor 3, 16. 1 Thess 4, 8 etc.). Ergo etsi illis temporibus fideles saepe in impositione manuum accipiebant simul donum linguarum vel alia charismata, his tamen solis impleta non est promissio Christi de fluminibus aquae vivae (Io 7, 38). Quare apostolus docet charismata quasi nihil esse comparata cum caritate, cum per ea detur quidem «manifestatio Spiritus ad utilitatem» ecclesiae, non vero in iis consistat inhabitatio Spiritus Sancti (1 Cor 12, 8; 13, 1 sqq). Illam igitur impositionem manus, qua datur Spiritus Sanctus ad inhabitandum perfectiore modo quam per solum baptismum, vocat ecclesia sacramentum confirmationis.

81. *Arg. 2.* Ex traditione.

S. Theophilus Antioch.: «Nos ideo christiani vocamur, quod divino oleo perfundimur» (Ad Autol. l. 1, c. 12). *Tertullianus:* «Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. . . . Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit. . . . Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit» (De bapt. c. 7 sq). *S. Cyprianus:* Quod in samaritanis baptizatis «deerat, id a Petro et Ioanne factum est . . . quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae afferantur, et per nostram orationem et manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur» (Ep. 73, n. 9; ed. *Hartel*). *S. Cyrillus Hieros.:* «Vobis postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est chrisma. . . . Vos unguento uncti estis, Christi participes et consortes effecti. . . . Sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur; ac dum unguento visibili iniungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima vivificatur» (Catech. 21 vel 3 myst., quae tota est de hoc sacramento). *S. Hieronymus* de hoc sacramento ait: «Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret» (Dial. adv. lucifer. n. 8). Haec interim sufficiant, quamquam multa alia Patrum testimonia adsunt. Theologi idem docent vel in 4, dist. 7, vel in 3, q. 72, a. 1.

82. *Arg. 3.* Ex conciliis.

Concilium eliberitanum (a. 300) can. 38 et 77 statuit eum, qui a laico vel diacono baptizatus sit, ducendum esse ad episcopum, ut ab eo per manus impositionem et benedictionem perficiatur. *Concilium laodicenum* (ca 370) can. 48: «Oportet eos, qui illuminantur, post bap-

tisma inungi supercaelesti chrismate et esse Christi participes.» *Concilium hispalense IV* (a. 619) can. 7: Non licet presbyteris «nec chrisma conficere nec chrismate baptizatorum frontem signare». In *concilio lugdunensi II* in professione Michaelis Palaeologi: «Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos» (*Denz.* n. 465). *Concilium tridentinum* sess. 7, can. 1 de confirm.: «S. q. d. confirmationem baptizatorum otiosam caerimoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam, qua adulescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant, A. S.» (*Denz.* n. 871). Omnes ecclesiae orientales, etiam schismaticae vel haereticae, hoc sacramentum agnoscunt.

83. *Obi. I.* Illi, qui in Actibus apostolorum dicuntur per manus impositionem accepisse Spiritum Sanctum, iam habebant gratiam sanctificantem. Ergo Spiritus Sanctus iis non dabatur ad sanctificandum sed unice ad impertienda charismata.

Resp. Dist. antec.: Qui accipiebant manus impositionem, iam habebant gratiam regenerationis, *conc. antec.;* iam habebant gratiam corroborationis ad profitendam et defendendam fidem ut milites Christi, *neg. antec. Dist. conseq.:* Spiritus Sanctus iis unice dabatur ad impertienda charismata, *neg. conseq.;* non dabatur ad sanctificandum, *subdist. conseq.:* non dabatur ad sanctificationem regenerationis, *conc. conseq.;* non dabatur ad sanctificationem corroborationis, *neg. conseq.*

Eo quod gratia sanctificans iam data est uno modo et ad unum finem, non excluditur, quod datur alio modo et ad alium finem. Etiam Timotheus, antequam ordinaretur, iam habebat gratiam, et tamen apostolus eum monet, «resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum» (2 Tim 1, 6; cf. supra n. 9 20).

84. *Obi. II. S. Ioannes Chrysost.* ait: «Quomodo Spiritum Sanctum illi samaritani a Philippo baptizati non receperant? Spiritum acceperant remissionis, Spiritum autem signorum nondum receperant» (In Act. hom. 18, n. 2). Ergo samaritani non receperunt sacramentum sed charismata.

Resp. Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam: Nam Chrysostomus ipse statim (n. 3) addit, nunc christianis eandem impositionem manus dari per solos episcopos, quae tunc dabatur per solos apostolos. Atqui nunc episcopi dant sacramentum confirmationis. Ergo quod ab apostolis dabatur, non erant exclusive charismata.

85. *Obi. III. S. Augustinus* dicit apostolos non dedisse Spiritum Sanctum. «Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant» (De Trin. l. 15, c. 26, n. 46). Atqui de conceptu sacramenti est, ut per illud detur gratia. Ergo secundum Augustinum apostoli non administrarunt sacramentum confirmationis.

Resp. Dist. mai.: Secundum Augustinum apostoli non dederunt Spiritum Sanctum, quomodo Filius dat, de quo ibidem ait: «Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum?» *conc. mai.* Non dederunt ullo modo,

neque ut causae instrumentales, *neg. mai. Dist. min.:* De conceptu sacramenti est, ut per illud detur gratia ut per causam instrumentalem, *conc. min.;* ut per causam principalem, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

S. Augustinus statim post verba obiecta addit: «Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia.» Christus quoque homo unctus est «non utique oleo visibili sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit ecclesia». Christus Spiritum «accepit ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum super eos, a quo hoc fiat, invocamus». Ergo hoc loco non negatur sed asseritur sacramentum confirmationis. Ceterum patet apostolos impositioni manus attribuisse donationem Spiritus Sancti; nam ad orandum tantum pro baptizatis opus non erat ire in Samariam.

Schol. De materia et forma confirmationis.

86. Tam in ecclesia orientali quam in ecclesia occidentali confirmandi unguntur in fronte chrismate, i. e. mixtione olei olivarum et balsami, per episcopum benedicto. Forma in ecclesia latina haec est: «N., signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.» Graeci non solam frontem sed etiam oculos, aures, nares, pedes ungunt, dicentes: *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Benedictus XIV* in encyclica «Ex quo primum» die 1 Mart. 1756 § 51 ait: «Nemini fas est asserere in ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis.» Supponendo igitur ab ecclesia non posse mutari materiam et formam sacramentorum (supra n. 35 *bc*), nihil ad essentiam confirmationis pertinet nisi unctio facta chrismate in fronte, et forma, qua exprimitur maior gratia Spiritus Sancti, quia nihil aliud utrique ritui est commune. Sed pauca de singulis dicenda sunt.

a) *De materia.* In S. Scriptura non indicatur aliud nisi impositio manus; sed ex traditione constat hanc impositionem manus fieri per *unctionem frontis.* Nam etsi alii Patres solam nominant impositionem manus, alii autem loquuntur de unctione, tamen his duobus nominibus unam eandemque rem indicant. *Tertullianus* vocat confirmationem «signaculum frontium» (Contra Marc. l. 3, c. 22), et ait: «Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione» (De bapt. c. 2). *S. Cyprianus:* «Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, i. e. unctione, esse unctus Deo et habere in se gratiam Christi possit» (Ep. 73, n. 9; ed. *Hartel*). *Innocentius I* testatur in confirmatione ungi frontem chrismate per episcopum consecrato (*Denz.* n. 98). Oleum unctionis consecrandum esse etiam *S. Basilius* testatur (De Spir. Sancto c. 27). *S. Cyrillus Hieros.:* «Vobis, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est chrisma . . . quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur» (Catech. 3 myst. n. 3). *S. Ambrosius:* Post baptismum «ascendisti ad sacerdotem. Considera, quid secutum sit. Nonne illud, quod ait David: sicut

unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron?» (De myst. c. 6.) *S. Augustinus:* «Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse baptismus» (Contra litt. Petil. l. 2, n. 104). Effert sacramenta variis modis suscipi, baptismum toto corpore, eucharistiam ore, confirmationem fronte (In Ps. 141, n. 9). Haec sufficiunt ad ostendendum materiam confirmationis esse unctionem frontis chrismate factam.

Utrum chrisma ex *oleo* tantum constet, an alia materia addenda sit, SS. Patres non dicunt, sed ex usu et lege ecclesiastica addendum est *balsamum*. Ita docet *Eugenius IV:* Confirmationis «materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto» (*Denz.* n. 697). Idem indicat *Innocentius III* (Decret. l. 1, tit. 15, c. 1, § 2; tit. 16, c. 1). Plurimi theologi censent et oleum et balsamum esse de necessitate sacramenti, ut *S. Thomas* (3, q. 72, a. 2), *Scotus* (In 4, dist. 7, q. 1, n. 2), *Bellarminus* (De confirm. c. 8), *Suarez* (De confirm. disp. 33, sect. 1, n. 6). De necessitate *episcopalis benedictionis chrismatis* Suarez ait: «Est sententia omnium theologorum paucis exceptis» hanc benedictionem esse essentialem (ibid. sect. 2, n. 2). Hoc manifeste supponunt *Innocentius I* (*Denz.* n. 98) et *Innocentius III* (l. c.). *Clemens VI* et *Clemens VIII* docent chrisma a solo episcopo consecrari posse (*Denz.* n. 571 1086).

Communis sententia theologorum est ad valorem sacramenti *requiri, ut unctio manu episcopi fiat in fronte* (cf. *Denz.* n. 697; *S. Thomas* 83, q. 72, a. 9), et quidem *in forma crucis* (*Suarez,* De confirm. disp. 33, sect. 3), quod indicatur verbis formae latinae: «Signo te signo crucis.» Cum signatio frontis in forma crucis praescribatur in ritualibus orientalibus et occidentalibus, dicenda est derivari ex apostolica traditione. E contra vero quia nulla alia manus impositio in administrando hoc sacramento ubique in usu est praeter eam, quae fit in signanda fronte, haec ipsa signatio unica est essentialis manus impositio. Haec est multo communior sententia theologorum (*Suarez,* De confirm. disp. 33, sect. 4, n. 4), quae etiam suadetur verbis *Innocentii III:* «Sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre» (Decret. l. 1, tit. 4, c. 4). Et iterum: «Per frontis chrismationem manus impositio designatur» (tit. 15, c. 1, § 7). Cf. *Denz.* n. 465. Chrismationem necessario ab ipso episcopo faciendam esse docent *Innocentius I, Innocentius III* locis citatis, *Clemens IV* (*Denz.* n. 574), *Eugenius IV* (*Denz.* n. 697).

b) *De forma.* SS. Patres nullam determinatam formam indicant sed solum indeterminate orationem. Una ratio erat, quam reddit *Innocentius I:* «Verba dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere» (*Denz.* n. 98). Constat quidem formam et latinam et graecam esse validam; sed si quaeritur, quae

verba sint essentialia, statim oritur maxima opinionum differentia (cf. *Migne,* Curs. theol. XXI[2] 890 sqq). Si ritualia vetera singularum ecclesiarum conferimus, vix quidquam omnibus commune est in forma huius sacramenti; sed neque constat illas omnes formas esse integras, neque omnes esse validas. Si solam graecam et latinam formam comparamus, essentialiter videtur requiri expressio signationis et uberioris gratiae Spiritus Sancti.

Prop. XI. Effectus confirmationis est robur spirituale ad fidem constanter profitendam.

87. *Stat. quaest.* Confirmatione confertur gratia, sicut omni sacramento (supra n. 12 sqq), et praeterea imprimitur character (supra n. 22 sqq). Quia confirmatio est sacramentum vivorum, non dat primam gratiam sed augmentum gratiae (supra n. 16). Si quis tamen non habet conscientiam peccati mortalis, cuius reus est, et saltem habet attritionem de omnibus peccatis suis, censent theologi eum susceptione confirmationis iustificari. Ita e. g. *S. Thomas* (3, q. 72, a. 7 ad 2) et *Suarez* (De confirm. disp. 35, sect. 2). Ratio est, quia sacramenta ex opere operato producunt gratiam, quando non obstat obex malae voluntatis. Atqui in homine attrito, qui nescit se esse in statu peccati, non est obex malae voluntatis. Sed si quis cum conscientia peccati mortalis suscipit confirmationem, habet obicem, quo obice postea per confessionem vel contritionem remoto reviviscit sacramentum; nam iterari non potest.

Haec igitur cum confirmationi communia sint cum aliis sacramentis, quaestio restat, quis sit effectus proprius huius sacramenti. Respondemus esse robur spirituale seu gratiam sanctificantem auctam, quatenus annexum habet ius ad auxilia divina, quibus possit homo ut bonus miles Christi constanter profiteri fidem coram eius adversariis (cf. supra n. 40).

88. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Sacramento confirmationis baptizati accipiunt eam gratiam, quam apostoli et alii fideles acceperunt die Pentecostes. Atqui hi die Pentecostes acceperunt gratiam ad fidem intrepide confitendam. Ergo eandem gratiam baptizati recipiunt in confirmatione.

Prob. mai. Christus omnibus in se credentibus promiserat Spiritum Sanctum post glorificationem suam speciali modo dandum (Io 7, 38 sq). Haec promissio primum impleta est die Pentecostes (Act 2, 1 sqq). Sed statim Petrus annuntiat eos, qui baptizarentur, et ipsos accepturos esse Spiritum Sanctum (Act 2, 38); et apostoli ad hunc finem dederunt baptizatis sacramentum confirmationis (Act 8, 14 sqq). Ergo confirmati accipiunt eam gratiam, quae primum data est die Pentecostes.

Prob. min. Christus dixit apostolis: «Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto» (Lc 24, 49). «Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae» (Act 1, 8). Et revera accepto Spiritu Sancto apostoli, qui antea propter metum Iudaeorum sederant post fores clausas (Io 20, 19), statim prodibant et nihil metuentes fidem praedicabant. Haec igitur est gratia, quae nunc confertur sacramento confirmationis, cuius gratiae usus utique pendet ex libera voluntate hominis.

89. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

SS. Patres docent confirmatione consummari vel perfici baptizatos. *S. Cyprianus:* «Signaculo dominico consummantur» (Ep. 73, n. 9; ed. *Hartel*). Vulgatus *Ambrosius:* «Baptismum sequitur spirituale signaculum, quia post fontem superest, ut perfectio fiat» (De sacram. l. 3, c. 2, n. 8). *S. Cyrillus Alex.:* «Accessit usus olei, qui per sacrum baptisma in Christo iustificatis ad consummationem conferret» (In Ioel 2, 23; *M* PG 71, 374). Etiam explicant, quomodo haec consummatio sit intellegenda. *S. Cyrillus Hieros.:* «Velut Christus post baptismum et Sancti Spiritus in se adventum egressus debellavit adversarium, ita et vos post sacrum baptisma et mysticum unguentum induti totam Sancti Spiritus armaturam, adversus oppositam potestatem consistitis, eamque debellatis, aientes: Omnia possum in eo, qui me corroborat Christus» (Catech. 21, n. 4).

Idem docent theologi. *S. Thomas:* «In hoc sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut apostolis datus est in die Pentecostes, ut legitur Act 2, et sicut dabatur baptizatis per impositionem manus apostolorum, ut dicitur Act 8. . . . Si ergo consideratur gratia in hoc sacramento collata quantum ad id, quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quae prius inerat, augetur. Si autem consideratur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa» (3, q. 72, a. 7). «Sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. . . . Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum vivit. Sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in cenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi, non verebantur publice

fidem fateri coram inimicis fidei christianae» (3, q. 72, a. 5). Similis expositio habetur in *Catechismo Rom.* (Pars II, c. 2, n. 20 sqq).

Consentit *Eugenius IV:* «Effectus huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae iudaeis quidem est scandalum, gentilibus autem stultitia secundum apostolum (1 Cor 1, 23); propter quod signo crucis signatur» (*Denz.* n. 697).

90. *Obi. I.* Omnis potestas spiritualis aut est activa, aut est passiva. Atqui passiva potestas, scilicet ad recipienda sacra, datur per baptismum; activa autem potestas, scilicet ad conficienda sacra datur per sacramentum ordinis. Ergo nullus relinquitur locus potestati tradendae per confirmationem.

Resp. *Trans. mai. Neg. min.,* si proponitur illa disiunctio ut completa; nam datur alia potestas, scilicet ad fidem Christi publice quasi ex officio profitendam; et haec potestas traditur per confirmationem (*S. Thomas* 3, q. 72, a. 5 ad 2).

91. *Obi. II.* Omnes christiani, etiam qui nondum confirmati sunt, debent fidem profiteri. Ergo hoc non est quidquam, quod confirmatis specialiter convenit.

Resp. *Nego suppositum argumenti.* Hic non quaeritur, quae obligatio sit profitendi fidem. Non soli baptizati sed etiam catechumeni debent fidem profiteri, et si opus est, etiam coram persecutoribus. Hic autem quaeritur, quam gratiam specialem sacramentum confirmationis impertiatur. Ad quam quaestionem dicimus: confirmatione christiani specialiter destinantur et roborantur ad pugnam spiritualem contra externos fidei hostes, et vi sacramenti ius habent auxiliorum ad hanc pugnam pertinentium.

92. *Obi. III.* Deus nulli homini bonae voluntatis denegat auxilium necessarium ad implenda officia sua. Ergo ad hoc auxilium impetrandum non requiritur speciale sacramentum.

Resp. *Dist. antec.:* Deus non denegat speciale auxilium, si homo utitur mediis a Deo institutis, *conc. antec.;* si non vult uti mediis a Deo institutis, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Nam Deus instituit confirmationem ut medium, cui annexuit gratiam intrepidae professionis fidei. Ergo si quis neglegit hoc medium, sibi ascribat oportet defectum uberis gratiae in professione et defensione fidei. Si homo nondum confirmatus vel etiam nondum baptizatus in necessitate constituitur fidem profitendi sub difficilibus condicionibus, per humilem ad Deum recursum impetrabit auxilium necessarium. Sed exspectandum non est Deum velle speciali auxilio eum iuvare, qui ex neglegentia non adhibet media divinitus instituta.

Sunt theologi, ut *Scotus* et *S. Bonaventura* (In 4, dist. 7), qui censent homines sub gravi debere confirmationem suscipere, si possint. Alii, ut *S. Thomas* (3, q. 72, a. 1 ad 3; a. 8 ad 4), hoc negant, dummodo excludatur

contemptus. Ratio est, quia ea quae requiruntur ad perfectionem sufficientiae, dantur per baptismum; quae autem sunt ad perfectionem abundantiae, non cadunt sub praeceptum. Ergo qui volens omittit hoc sacramentum, solum renuntiat abundantioribus gratiis, quae ad salutem non sunt absolute necessariae.

Catechismus Rom. ait: «Docendum est hoc sacramentum eiusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet, sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua neglegentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est» (Pars II, c. 3, n. 16).

Schol. De subiecto confirmationis.

93. *Subiectum confirmationis capax est omnis homo baptizatus, nondum confirmatus.* Baptismum praerequiri ad confirmationem tum ex Scriptura tum ex traditione patet, quia confirmatio est consummatio quaedam baptismi; et qui nondum per baptismum in ecclesiam ingressus est, sacramenta cetera suscipere nequit. Confirmari non potest, nisi qui nondum est confirmatus, quia confirmatio repeti nequit (*Denz.* n. 852).

Non soli adulti sed etiam *infantes* valide et licite confirmantur. In ecclesia graeca infantes statim post baptisma confirmari solent. *Pontificale Rom.* praescribit, quomodo in confirmatione infantium procedendum sit. *Catechismus Rom.* monet posse quidem infantes confirmari, melius tamen confirmationem differri usque ad annum septimum, quo fere usus rationis incipiat (Pars II, c. 3, n. 18). Haec tamen non est lex ecclesiastica. Etsi infantes non statim gratias actuales ad pugnandum pro fide accipiunt, tamen accipiunt augmentum gratiae et characterem, quibus annexum est ius postea suo tempore obtinendi gratias actuales (cf. *S. Thomas* 3, q. 72, a. 8). Licet igitur episcopis etiam infantes confirmare, etsi in ecclesia latina consuetudo communior est differendi confirmationem, usquedum pueri usum rationis habent.

Prop. XII. Minister ordinarius confirmationis est episcopus, extraordinarius minister delegari potest quivis sacerdos.

94. ***Stat. quaest.*** Ordinarius minister est, qui *vi muneris* sacramentum valide administrat. Loquimur de solo valore; nam licite nemo confirmat nisi suos subditos aut alterius subditos ex eius delegatione (cf. I, n. 279). Extraordinarius minister est, qui delegatur, i. e. accipit specialem potestatem confirmandi ab eo, qui potest hanc potestatem dare. Potest autem dari haec potestas aut particulari actu delegantis aut generali consuetudine.

Prior pars thesis est de fide. De altera parte olim disputabatur. Negabant potestatem confirmandi presbyteris delegari posse *Hugo Victorinus* (De sacram. l. 2, pars 7, c. 2), *Durandus* (In 4, dist. 7,

q. 3 sq), alii. Affirmabant *S. Thomas* (3, q. 72, a. 11), *Bellarminus* (De confirm. c. 12), *Suarez* (De confirm. disp. 36, sect. 2, n. 4), alii plurimi. Per facta et dicta summorum pontificum affirmativa sententia nunc facta est certa.

95. **Prob. pars I.** *Minister ordinarius confirmationis est episcopus.* In *S. Scriptura* soli apostoli dicuntur confirmasse (supra n. 80). Atqui soli episcopi sunt vi muneris successores apostolorum (I, n. 270 sqq). Ergo soli episcopi vi muneris sunt ministri confirmationis. Sic iam SS. Patres dicta Scripturae intellexerunt. Ita *S. Cyprianus* (supra n. 81). *S. Ioannes Chrysost.:* Philippus «Spiritum Sanctum baptizatis non dabat; neque enim potestatem habebat. Hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Igitur haec erat apostolorum praerogativa. Unde et coryphaeos [episcopos] et non alios hoc facere videmus» (In Act. hom. 18, n. 3). *S. Hieronymus* testatur «hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat» (Dial. adv. lucif. n. 8). *S. Innocentius I:* «Presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum apostolorum, quae asserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum» (*Denz.* n. 98). Idem docet *Eugenius IV* (*Denz.* n. 697).

Quod iam vetera concilia statuerant (supra n. 82), definivit *concilium tridentinum* sess. 7, can. 3 de confirm.: «S. q. d. sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S.» (*Denz.* n. 873).

Rationem convenientiae hanc reddunt theologi: Per confirmationem signatur miles Christi. Atqui milites recipere et consignare est superiorum ducum exercitus, quem locum in ecclesia obtinent episcopi. Item confirmatio est consummatio baptismi et baptizati. Ultima autem consummatio fit non per inferiores sed per superiores (*S. Thomas* 3, q. 72, a. 11. *Suarez,* De confirm. disp. 36, sect. 1, n. 3).

96. **Prob. pars II.** *Extraordinarius minister confirmationis delegari potest quivis sacerdos.* Nam in ecclesia graeca iam ante schisma Photii presbyteri immediate post collatum baptismum confirmabant, qui mos adhuc viget. Neque umquam ecclesia latina in dubium vocavit validitatem harum confirmationum (supra n. 86). Praeterea saepe romani pontifices potestatem confirmandi presbyteris dederunt. Ita *S. Gregorius M.* (Ep. l. 4, ep. 26), postea *Nicolaus IV, Ioannes XXII, Urbanus V, Eugenius IV, Adrianus VI, Gregorius XIII, Benedictus XIII, Clemens XI, Benedictus XIV.* Nostra aetate haec potestas concedi solet praefectis apostolicis et quibusdam missionariis a sede episcopali

valde longe degentibus. Haec omnia testatur *Benedictus XIV,* qui concludit: «Quare non videtur hodie fas esse potestatem, de qua olim disceptabatur, summo pontifici abiudicare» (De syn. dioec. l. 7, c. 7, n. 6 sq), quia secus concedendum esset omnes illos pontifices et totam ecclesiam orientalem in hac gravissima re errasse et adhuc errare.

Ratio cur summus pontifex hanc potestatem delegare possit, haec afferri solet: Etsi milites in exercitum recipere sit per se solorum superiorum ducum, potest tamen supremus dux hoc negotium etiam inferioribus ducibus demandare. Sic igitur summus pontifex, qui est supremus dux, potest sacerdotibus, qui sunt inferiores duces in exercitu Christi, dare potestatem aggregandi per confirmationem fideles exercitui Christi. Solis tamen sacerdotibus, quia illi tantum, qui habent potestatem in corpus Christi reale in eucharistia, habent potestatem in corpus Christi mysticum. Ergo presbyteri vi characteris sacerdotalis habent potestatem remotam confirmandi, quae potestas ut fiat proxime expedita, requiritur concessio summi pontificis. Neque tamen est putandum hanc rationem esse a priori efficacem, sed solum proponitur, ut id quod aliunde constat, aliquo modo explicetur.

Secundum theoriam causalitatis moralis sacramentorum (supra n. 30) potest haec res ita concipi: In episcopo character episcopalis est causa totalis, ex parte potestatis ministerialis, ob quam Deus producit effectum sacramenti. In presbytero vero solus character sacramentalis non est causa totalis sed radicalis tantum, ad quam accedat necesse est delegatio, ut fiat causa totalis. Difficilius res explicatur in systemate causalitatis physicae (cf. *Suarez,* De confirm. disp. 36, sect. 2).

Quaeritur, *num etiam episcopus delegare possit* simplicem sacerdotem ad confirmandum. Respondet *Benedictus XIV:* «Quidquid sit de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in confesso est irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam, quia sedes apostolica id iuris sibi unice reservavit» (De syn. dioec. l. 7, c. 8, n. 7). Idem iam docuit *Clemens VI* (*Denz.* n. 573 sq).

97. *Obi. I.* Illi sunt ministri ordinarii, qui ordinarie sacramentum administrant. Atqui in ecclesia orientali presbyteri ordinarie administrant confirmationem. Ergo presbyteri sunt ministri ordinarii confirmationis.

Resp. *Dist. mai.:* Illi sunt ministri ordinarii, qui vi muneris sacramentum administrant, *conc. mai.;* qui ordinarie sed ex delegatione administrant, *neg. mai. Dist. min.:* In ecclesia orientali presbyteri vi muneris sacerdotalis administrant confirmationem, *neg. min.;* ex delegatione summi pontificis, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Ordinarie et extraordinarie hic non idem est atque frequenter et raro; sed idem est atque ex munere et ex delegatione. In variis locis, ut in Italia et insulis adiacentibus, sedes apostolica presbyteris graecis facultatem confirmandi abstulit (*Denz.* n. 1458). «In aliis locis, in quibus chrismatio data a sacerdotibus graecis non est a sede apostolica expresse improbata, ea pro

valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a sede apostolica illis concessum, cuius quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet coniventia et tolerantia romanorum pontificum, qui praedictum morem graecorum scientes, non contradixerunt nec umquam illum damnarunt» (*Benedict. XIV*, De syn. dioec. l. 7, c. 9, n. 3).

98. *Obi. II.* Ecclesia non habet potestatem in substantiam sacramentorum (supra n. 35 *b*). Atqui ecclesia, si potest efficere, ut idem ritus sacramentalis a presbytero adhibitus sit validus aut invalidus, habet potestatem in substantiam sacramentorum. Ergo ecclesia id non potest.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Ecclesia in hoc casu nihil mutat circa materiam et formam sacramentorum, sed aliquid facit circa ministrum, qui vi muneris non habet potestatem expeditam, sed eam ex delegatione ecclesiae accipit. Supponere licet hoc a Christo esse ordinatum, etsi hoc directe probari non potest, sed potius indirecte ex ipsa praxi ecclesiae concluditur.

99. *Obi. III.* In ecclesia vetere ii, qui ab episcopis haereticis confirmati erant, reconfirmabantur, si ad ecclesiam redibant. Ergo ne character quidem episcopalis sufficit, ut episcopus valide confirmet.

Resp. *Neg. antec.*, si haec dicitur fuisse praxis totius veteris ecclesiae. Nonnulli quidem episcopi errarunt circa confirmationem sicut circa baptismum (supra n. 40), et fortasse apud quosdam diutius perseveravit error de confirmatione, quia decisiones ecclesiae proxime fiebant de baptismo. Sed adsunt testimonia, quibus constat redeuntibus ex haeresi manus tantum impositas esse ad paenitentiam. Ita docet *Stephanus I* (*Denz.* n. 46), *S. Augustinus* (De bapt. l. 5, c. 20, n. 27; Contra litt. Petil. l. 2, c. 104, n. 239), *S. Optatus Milev.* (De schism. donat. l. 7, c. 4). Alii diserte agnoscunt etiam extra ecclesiam posse confirmationem valide administrari. Si qui haeretici confirmati non erant, ut *Theodoretus* refert de novatianis (Haer. fab. l. 3, c. 5), hi utique post conversionem confirmabantur. Sed in aliis manus impositio erat pure reconciliatoria, de qua ait *S. Augustinus:* «Manus impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse iudicaretur» (De bapt. l. 5, c. 23, n. 33). Itaque singuli casus bene distinguendi sunt, quae est quaestio potius historica quam dogmatica (cf. *Wirceburgenses,* De confirm. n. 135 208 sq). *Morinus* quidem copiosa dissertatione defenderat sententiam confirmationem ab episcopo haeretico datam in vetere ecclesia semper repetitam esse (De discipl. paenit. l. 9, c. 10 sq), sed postea in «Recognitione operis» hanc opinionem retractavit, et contrariam sententiam amplexus est. Ceterum formalis definitio de hac re numquam facta est ab ecclesia sicut de baptismo, sed universalis tantum consensus adest.

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA.

PRAENOTANDA.

100. a) Quos baptismo regeneravit et confirmatione milites suos creavit, hos Christus etiam nutrit alimento spirituali. Quia enim totus ordo supernaturalis pro homine institutus est, ad naturam hominis omnia in eo accommodantur, ut homo ex analogia eorum, quae ei magis nota sunt, ad rectam aestimationem rerum supernaturalium ascendat. Est autem naturale homini cibo vires sustentare et augere. Quam ob causam Christus supernaturalem quoque cibum providit, qui externa specie convenit cum communi hominum cibo, sed vi intus latente spiritualis, immo divinus est. Neque enim sub speciebus sensibilibus eucharisticis aliud datur quam caro et sanguis ipsius Iesu Christi, non separatus a corpore sanguis, non caro mortua sed viva cum sanguine, anima, tota humana Christi substantia cum divinitate hypostatice unita. Mysterium inscrutabile sed divina auctoritate revelatum et firma fide credendum.

b) Itaque eucharistia non, ut alia signa a Christo instituta, tum tantum sacramenti nomen meretur, cum usu hominibus applicatur, neque gratiam continet per modum virtutis tantum a Christo communicatae, sed post peractam consecrationem *in eucharistia Christus ipse permanenter praesens est,* ut cibus sumendus ab hominibus ad animarum corporumque sanctificationem.

Praeterea Christus in eucharistia ita praesens fit, ut simul modo incruento Patri caelesti in *sacrificium* offeratur.

Consequenter tractatus de eucharistia tres partes continet: 1) de reali praesentia Christi in eucharistia, 2) de sacramento eucharistiae, 3) de sacrificio missae.

c) *Hoc sacramentum vocatur eucharistia,* quia Christus εὐχαριστήσας illud instituit (Lc 22, 19). Proxime quidem eucharistia vi vocis est gratiarum actio (2 Cor 4, 15; 9, 11 sq. 1 Thess 3, 9). In traditione autem christiana mox ipsum sacramentum hoc nomen accepit. Ita e. g. ait *S. Iustinus M.:* «Hic cibus apud nos vocatur eucharistia» (Apol. 1, c. 66). Sunt autem et multa alia nomina, quae apud scriptores christianos leguntur: eulogia, communio, synaxis, sacramentum altaris, mensa

Domini, cena Domini, corpus Christi, venerabile sacramentum, sanctissimum etc.

Baptismus, confirmatio, eucharistia instituta sunt ad vitam supernaturalem dandam, perficiendam, conservandam, independenter a peccatis actualibus hominum, ut sacramenta fidei, spei et caritatis.

PARS I.
DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 75 sqq; Contra gent. l. 4, c. 61 sqq; Opusculum de venerabili sacramento altaris; *Suarez,* De eucharistia; *Bellarminus,* De sacramento eucharistiae; *De Lugo,* De venerabili eucharistiae sacramento; *Franzelin*, De sanct. eucharistiae sacramento et sacrificio; *N. Wiseman,* Lectures on the real presence, London 1836; *P. Batiffol,* Études d'histoire et de théologie positive II[3], Paris 1906; *J. C. Hedley,* The Holy Eucharist, London 1907; etiam gallice: Le sacrement de l'Eucharistie, Paris 1908; *J. Souben,* Les sacrements I 87 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 184 sqq.

CAPUT I.
DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Prop. XIII. S. Scriptura docet Christum in eucharistia vere et realiter esse praesentem.

101. ***Stat. quaest.*** Realem praesentiam ex S. Scriptura probari negant *Zwinglius, Calvinus,* eorumque discipuli. *Lutherus* admittit probationem ex verbis institutionis, negat vero Io c. 6 esse sermonem de hac re. Idem sentiunt plurimi exegetae protestantes, alii tamen, ut *Olshausen, Koestlin, Delitzsch, Kahnis, Stier, Keil* concedunt verbis Christi apud Io. c. 6 contineri promissionem eucharistiae. Id omnes fere exegetae catholici docent, exceptis paucis, ut *Jansenio Gandavensi* et *Caietano.*

Recentes protestantes plurimi negant in Scriptura ullam commemorationem haberi institutionis sacramenti eucharistiae. Secundum *A. Harnack* (Brot und Wasser, die eucharistischen Elemente bei Justin) Christus in ultima cena solum sanctificavit communem cibum et potum, quatenus voluit, ut christiani edentes et bibentes cogitarent de corpore et sanguine Christi. *A. Juelicher* (Theologische Abhandlungen, Weizsaecker gewidmet 1892, 217 sqq) dicit Christum cum discipulis solum celebrasse cenam valedictoriam, et in fractione panis et infusione vini in calicem vidisse symbolicam quandam imaginem mortis suae futurae, et parabolice vocasse panem corpus suum et vinum sanguinem suum; christianos vero, rem male intellegentes, putasse ritum etiam in futurum celebrandum institutum esse. *F. Spitta* (Zur Geschichte und Literatur des Urchristentums I 205 sqq) censet sensum verborum Christi esse eschatologicum: Cenam, quam promisi me celebraturum esse in regno meo, et in qua ego solus ero cibus vester, nunc iam vobiscum anticipo;

non tam panis et vinum quam corpus et sanguis meus, i. e. ego ipse sum cibus vester. Simile quid dixerunt *A. Andersen* (Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus), *O. Holtzmann* et *J. Hoffmann*. *W. Heitmueller* (Taufe und Abendmahl bei Paulus) vult cultum eucharisticum sumptum esse ex similibus cultibus gentilium, e. g. ex mysteriis Mithrae. — Manifestum igitur est, in quantam varietatem opinionum inter se pugnantium deveniant, qui horrore ordinis supernaturalis verba clara et simplicia in alium sensum detorquere nituntur.

Verbis institutionis, quae a synopticis et a S. Paulo referuntur doceri veram et realem praesentiam Christi in eucharistia est de fide (*Denz.* n. 874). Damnata est propositio *modernistarum:* «Non omnia, quae narrat Paulus de institutione eucharistiae, historice sunt sumenda» (*Denz.* n. 2045). Verba Christi apud Ioannem c. 6 dicta esse de eucharistia, concilium tridentinum noluit definire, ut in historia concilii narrat *Pallavicinus* (l. 27, c. 11). Attamen mens concilii satis patet ex sess. 13, c. 2 et sess. 21, c. 1.

102. *Arg. 1.* Ex evangelio S. Ioannis 6, 52 sqq.

Christus verbis Io 6, 52 sqq promisit se fidelibus daturum esse carnem suam et sanguinem per modum cibi et potus, ut ipsum manducantes habeant vitam aeternam. Atqui haec verba intellegenda sunt sensu proprio de vera manducatione Christi. Ergo Christus instituit sacramentum, in quo ipse vere praesens est et a fidelibus ut alimentum vitae spiritualis accipitur.

Prob. mai. Christus ait: «Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.»

Prob. min. a) *Christus volebat verba sua intellegi sensu proprio.* Cum Christus dixisset manducandam esse carnem suam, iudaei, intellegentes hoc dictum sensu proprio, murmurabant et dicebant: «Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?» Iesus autem nullo modo correxit eorum intellegentiam ut falsam, sed iterum et iterum repetiit manducandam esse carnem suam et bibendum esse sanguinem suum, et addidit: «Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.» Tunc etiam multi ex discipulis eius scandalizati sunt, et dixerunt: «Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?» Iesus autem nihil metaphorice explicavit, sed fidem postulavit. «Sed

sunt quidam ex vobis, qui non credunt.... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.» Et ait ad apostolos: «Numquid et vos vultis abire?» Sic autem non loquitur, qui videt verba sua, metaphorice dicta, sensu proprio per errorem esse intellecta. Hoc interdum quidem accidit, sed tunc Christus correxit falsum sensum, ut Io 3, 3—8; 4, 32—34; 11, 11—14; Mt 16, 6—12, et aliis locis. Quando autem volebat intellegi sensu proprio et res erat difficilis, fidem postulabat, et ad divina opera provocabat, ut Io 8, 12 sqq; Mt 9, 2 sqq etc. Atqui ita praecise hoc loco agit, ergo voluit intellegi sensu proprio. Ideo dixit: «Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?» Numquid tunc credetis? His verbis simul correxit illum errorem, quo iudaei putabant carnem Christi, in frusta concisam, manducandam offerri. Non ita est, ait Christus; nam caro mea evehetur in caelum et efficietur caro caelestis, et sic spiritualis facta, proponetur ad manducandum; ergo de carne viva, vivifica, spiritus plena agitur. Nam «spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam»; caro utique, qualem iudaei cogitabant. Itaque effectus vitae aeternae non debetur carni, ut caro est, sed carni Christi cum spiritu, cum divinitate coniunctae.

b) *Sensus metaphoricus verborum Christi excluditur.* Nam metaphorae temere et sine delectu adhiberi non debent sed secundum ingenium linguae et usum receptum. Atqui «carnem alicuius manducare» ex usu gentis, cui Christus loquebatur, non habet alium sensum metaphoricum nisi hunc: summo odio aliquem prosequi. Ita Ps 26, 2: «Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas»; Iob 19, 22: «Quare persequimini me, sicut Deus, et carnibus meis saturamini?» Hic autem sensus metaphoricus impossibilis est in verbis Christi. Ergo verba Christi accipienda sunt sensu proprio. Idem valet de alio inciso «sanguinem alicuius bibere», quod non dicitur sensu metaphorico nisi forte ad significandam gravissimam poenam (cf. Is 49, 26; Apc 16, 6). Perpetua quoque ecclesiae traditio verba sensu proprio intellexit (ut ostendit *Val. Schmitt,* Die Verheißung der Eucharistie, Ioannes VI, bei den Vaetern, Wuerzburg 1900 et 1903).

103. *Arg. 2.* Ex verbis institutionis.

Institutionem eucharistiae referunt tres synoptici et S. Paulus. Quoad rem, de qua hic agitur, omnes quattuor narrationes idem testantur.

Matthaeus (26, 26 sq): «Cenantibus autem iis accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; ***hoc est corpus meum.*** Et accipiens calicem, gratias egit et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes; ***hic est enim sanguis meus novi testamenti,*** qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.»

Marcus (14, 22 sq): «Et manducantibus illis accepit Iesus panem, et benedicens fregit, et dedit iis, et ait: Sumite, ***hoc est corpus***

meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit iis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis: ***Hic est sanguis meus novi testamenti,*** qui pro multis effundetur.»

Lucas (22, 19 sq): «Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit iis, dicens: ***Hoc est corpus meum,*** quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: ***Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.***»

S. Paulus (1 Cor 11, 23 sqq): «Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite et manducate; ***hoc est corpus meum,*** quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: ***Hic calix novum testamentum est in meo sanguine;*** hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.»

Itaque differentia inter duas priores et duas posteriores relationes refertur ad calicem, quia secundum Matthaeum et Marcum Christus dixit: Hic est sanguis meus novi testamenti; secundum Lucam vero et Paulum Christus dixit: Hic calix est novum testamentum in meo sanguine. Utrumque significat in calice esse sanguinem novi foederis. Matthaeus et Marcus omittunt verba: «Hoc facite in meam commemorationem», quae referuntur a Luca et Paulo. Dicimus igitur verbis, quae omnibus communia sunt, indubie doceri realem praesentiam Christi in eucharistia.

a) *Christus non potuit clarius et simplicius loqui, si voluit docere realem suam praesentiam in eucharistia.* Sed si voluit dicere id, quod apostolis porrigebat, non esse quidem corpus suum neque sanguinem suum, posse tamen aliquo sensu improprio ita vocari, locutio est valde obscura et ambigua. Atqui quando vir sincerus et prudens clare et distincte loquitur, non licet verbis eius significationem obscuram et ambiguam subicere. Ergo a fortiori non licet verba simplicia et clara Christi in sensum obscurum et ambiguum detorquere.

Vim inferri verbis Christi omni explicatione, quae recedit ab eorum sensu proprio, patet ex variis illis opinionibus, quae in hac suppositione excogitatae sunt. Quaedam antea (n. 101) audivimus. Teste *Bellarmino* (De eucharistia l. 1, c. 8) anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae enumerabantur expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: «Hoc est corpus meum.» *Lutherus* quoque irridet hanc dissensionem: «Carlostadius in hoc sacro textu torquet verbum *hoc,* Zwinglius torquet verbum *est,* Oecolampadius torquet verbum *corpus.* Alii torquent totum textum, alii torquent dimidiatum textum.... Unam tamen expositionem necesse est veram esse. Tam misere diabolus nos ludibrio habet» (Das dise Wort Christi [Das ist mein Leib etc.] noch fest stehen wyder die Schwermgeister. Nuernberg 1527). Lutherus quidem in epistula a. 1524 ad «Christianos Argentoratenses» scripta

fatetur se libentissime acceptaturum fuisse explicationem aliam, quia putabat se hoc modo potuisse optime «sugillare papismum»; sed, inquit, «captivus sum, evadere nequeo; textus nimis fortis est, neque patitur se verbis sensu suo privari» (Lutheri epistulae, ed. *de Wette* II 576 sqq).

Revera si quis ostendens rem substantialem, dicit hanc rem esse aliam, tum solum apte loquitur, si illa res aut ex indole sua aut ex antecedente conventione repraesentat rem aliam. Ita omnes imagines, eo ipso quod sunt imagines, in praedicatione vicem gerunt rei repraesentatae; quare ostendens statuam Caesaris, aliquis recte enuntiat: Hic est Caesar. Vel si quis sumit duos lapides et dicit: Supponamus hunc lapidem esse Platonem, illum lapidem esse Aristotelem, potest postea dicere: Hic igitur est Plato etc. Sed si quis sumeret panem et nulla alia praemonitione facta diceret: Hoc est corpus Pauli apostoli, nemo intellegeret, quid hoc sibi vellet, sed ad summum censerent eum iocari, vel peterent explicationem verborum. Ergo cum Christus, sumens panem, simpliciter dicat: Hoc est corpus meum, verba non possunt intellegi nisi de reali praesentia corporis Christi; et sic haec verba apostoli statim ab initio et omnes christiani primorum saeculorum intellexerunt.

b) Christus non dicit: Hic panis est corpus meum; sed dicit: Hoc (quod manibus teneo et vobis porrigo) est corpus meum, est sanguis meus. Ergo *non facit panem figuram corporis sui,* sed declarat id, quod det, esse corpus suum et sanguinem suum. Et addit *τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον . . . τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον.* Atqui non figura corporis Christi sed ipsum corpus Christi pro nobis datum est, neque signum sanguinis Christi sed ipse sanguis Christi pro nobis effusus est.

Neque apostoli poterant aliter verba Christi intellegere, quia non erant rationalistae, quibus a priori omnis effectus supernaturalis repugnat, sed erant homines fideles, qui viderant multa et magna miracula a Christo patrata. Neque erant homines docti et versati in subtilibus inquisitionibus, qui possent uti omnibus artificiis, quibus rationalistae iactant, sed immerito iactant, se verum sensum obscurorum verborum tandem invenisse, sed erant homines simplices, qui verba Christi secundum obvium sensum accipiebant. Ergo Christus, si voluit dicere apostolis id, quod rationalistae ei attribuunt, non potuit loqui, sicut locutus est. Ergo voluit verba sua sensu proprio intellegi.

Hoc a fortiori valet, quia *Christus dicit se isto ritu novum foedus initiare cum populo suo.* «Hic est sanguis novi testamenti.» Atqui prudens homo in testamento vel foedere condendo non adhibet metaphoras obscuras et difficiles sed verba clara et accipienda, prout sonant. Ergo ita Christus egisse censendus est in ultima cena (cf. *Bellarm.,* De euchar. l. 1, c. 9).

c) Quattuor scriptores diversis locis et temporibus et pro diversis lectoribus descripserunt institutionem eucharistiae iisdem substantialiter verbis. Atqui incredibile est eos omnes iisdem metaphoris singularibus et obscuris usos esse neque ullam explicationem addidisse, quamvis alibi explicare soleant res multo faciliores. Ergo admittendum est eos verba intellexisse secundum sensum proprium et obvium.

104. *Arg. 3.* **Ex doctrina S. Pauli.**

S. Paulus, postquam corinthiis in memoriam revocavit institutionem eucharistiae, quam iis tradidit, sicut ipse acceperat, hanc exhortationem adiungit: «Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. . . . Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini» (1 Cor 11, 27 sqq). Atqui haec non apte dicerentur, nisi in eucharistia realiter essent corpus et sanguis Domini. Nam si quis imaginem regis ignominia afficit, potest quidem dici reus laesae maiestatis, sed minime dici potest reus corporis et sanguinis regis. Ergo verba Pauli indicant realem praesentiam corporis et sanguinis Christi.

Praeterea S. Paulus simpliciter dicit nos in eucharistia participes fieri corporis et sanguinis Christi. «Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?» (1 Cor 10, 16.) De hac «fractione panis» alibi legimus: Primi christiani «erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus» (Act 2, 42). Hic fractio panis enumeratur inter exercitia religiosa. Ergo pars cultus inter primos christianos fuit fractio panis. Quod notandum est, quia quidam rationalistae eo procedunt, ut dicant Christum in ultima cena non instituisse quidquam, sed solum cenam valedictoriam cum discipulis celebrasse. Quis ergo verum spiritum Christi habet: primi christiani, qui censebant sibi ex institutione Christi sacram cenam esse celebrandam, an nostrae aetatis rationalistae, qui dicunt hunc esse miserum errorem?

105. *Obi. I.* Christus loquitur humano modo. Atqui si homo, ostendens panem et vinum, diceret: «Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus», intellegeremus eum metaphorice loqui. Ergo etiam Christus tum in promissione tum in institutione eucharistiae metaphorice locutus est.

Resp. *Dist. mai.:* Christus loquitur humano modo, i. e. sic, ut ab hominibus intellegi possit, *conc. mai.;* Christus non loquitur ut Deus, qui omnipotentia sua efficere potest quae hominibus sunt impossibilia, *neg. mai.* *Dist. min.:* Si homo omnipotentia destitutus panem et vinum dicit esse corpus et sanguinem suum, metaphorice loquitur, *trans. min.;* si homo, qui est simul Deus omnipotens, ita loquitur, non possumus admittere sensum proprium, quasi ei res significata sit impossibilis, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Haec est reapse unica ratio, ob quam infideles sensum proprium verborum Christi admittere nolunt. Dicunt enim Christum noluisse docere rem impossibilem; rem autem esse impossibilem statuunt, procedentes a principio Deum non posse quidquam efficere, quod ipsi non possint intellegere. Simul negant Christum esse Deum. At cum et illa assertio et haec negatio sit futilis et vana, ruit tota obiectio. Si Christus affirmat in eucharistia vere esse corpus et sanguinem suum, credimus ei, et cum tot viris sanctis et sapientibus et cum fidelibus totius aetatis christianae submittimus intellectum nostrum aeternae veritatis verbis. Non sine ratione Christus promissioni eucharistiae praemisit multiplicationem panum et ambulationem super undas maris (Io 6, 5 sqq). His enim duobus miraculis ostendit omnipotentiam suam et independentiam a viribus et legibus materiae. Unde si dein promittit rem, quae supponit hanc omnipotentiam et independentiam, merito verbis suis absolutam fidem postulat. Rationalistae utique etiam haec duo miracula negant, quia ipsis non placent. Sed quid inde?

106. *Obi. II.* Si Io 6, 52 sqq exponitur de eucharistia, sequuntur plura, quae vera non sunt: a) necessarium esse communionem sumere sub utraque specie; b) eum, qui eucharistiam acceperit, semper habere vitam aeternam; c) eucharistiam ad salutem necessariam esse eadem necessitate atque baptismum. Ergo textus exponendus non est de eucharistia sed unice de fide viva in Christum habenda.

Resp. *Neg. antec.* Ad a): Etsi Christus dixit manducandam esse carnem suam et bibendum sanguinem suum, non sequitur sacramentum necessario sumendum esse sub utraque specie. Nam etiam is, qui eucharistiam accipit sub sola specie panis, bibit sanguinem Christi; et qui eam accipit sub sola specie vini, manducat corpus Christi, quia in utraque specie est totus Christus cum carne et sanguine suo. Propterea Christus etiam simpliciter ait: «Qui manducat me, et ipse vivet propter me» (Io 6, 58).

Ad b): Qui eucharistiam acceperit, eodem sensu vitam aeternam habebit, quo is, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (Mc 16, 16); videlicet si quis recte crediderit et recte manducaverit corpus Christi cum voluntate faciendi omnia, quae Christus praecepit (Mt 28, 20), hic salvus erit.

Ad c): Ipse modus diversus, quo Christus loquitur de necessitate baptismi et de necessitate eucharistiae, ostendit necessitatem baptismi esse aliam atque necessitatem eucharistiae. Nam baptismum dicit esse necessarium, quia eo homo spiritualiter generatur (Io 3, 5), eucharistiam autem dicit esse necessariam, quia homo spiritualis indiget cibo sprituali. Atqui generatio ita est necessaria, ut sine ea homo omnino non vivat. Contra vero qui cum emolumento vitae manducat, iam vivit in eo ordine, in quo manducat. Ergo eucharistia non est necessaria, ut quis vitam accipiat, sed solum, ut is, qui vitam spiritualem, quam habet, augere aut perdere potest, eam non amittat decursu temporis, sed conservet et augeat. Itaque sicut vita spiritualis alio remedio acquirenda est ante eucharistiae susceptionem, ita etiam qui ante eucharistiae sumptionem moritur in statu regenerationis supernaturalis, sine eucharistia vitam aeternam habebit.

107. *Obi. III.* Multi SS. Patres sermonem Christi Io c. 6 exponunt sensu metaphorico. Ergo sensus proprius saltem non est certus.

Resp. *Dist. antec.:* Multi SS. Patres exponunt priorem partem sermonis Christi de cibo caelesti sensu metaphorico, *conc. antec.;* metaphorice exponunt alteram partem de manducanda carne et bibendo sanguine Christi, *neg. antec.* Et *neg. conseq.*

Exemplo sit expositio *S. Augustini*, tum ut appareat vera Patrum doctrina, tum ut ostendatur, unde oriri possint difficultates, et quomodo solvantur.

a) *S. Augustinus diserte docet Christum Io 6, 52 sqq loqui de eucharistia.* Ita in tract. 27 in Ioannem, ubi in fine (n. 11) concludit: «Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in corpore Domini tamquam membra maneamus.» Et alibi: «Dominum audiamus, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem sed de sacramento sanctae mensae suae: Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis» (De pecc. mer. et remiss. l. 1, c. 20, n. 26). Similiter aliis locis.

b) *S. Augustinus reicit manducationem capharnaiticam*, i. e. qualem iudaei in synagoga Capharnaum intellegebant. Capharnaitae «acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt, quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis. . . . Spiritualiter intellegite, quod locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intellegi» (In Ps 98, n. 9). Aliis verbis: Caro Christi non est manducanda et sanguis Christi non est bibendus in statu suo mortali sed in statu sacramentali; sacramentum est res visibilis, sed corpus Christi in sacramento est in statu invisibili. Sumitur tamen non sensu improprio tantum per fidem sed etiam realiter per os. «Mediatorem Dei et hominum Christum Iesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam fundere» (Contra adversarium leg. et prophet. l. 2, n. 34). Excluditur ergo capharnaitica manducatio, non excluditur realis et sacramentalis manducatio. Et haec quidem sacramentalis manducatio instituta est ad recolendam memoriam passionis Christi. Christus «facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo, praecipiens passioni dominicae communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata sit» (De doctr. christ. l. 3, n. 24). Quae verba, si cum aliis Augustini dictis comparantur, non possunt habere nisi hunc sensum: Sacramentum corporis et sanguinis Christi non ita institutum est, ut flagitium praecipiatur, sed ut in eo memoria passionis Christi pie recolatur.

c) *Augustinus docet sacramento eucharistiae simul mystice significari corpus Christi morale, quod est ecclesia.* Itaque verba Christi: «Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita» (Io 6, 52), ita explicat: «Hunc cibum et potum societatem vult intellegi corporis et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia. . . . Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat carnem eius nec bibit eius sanguinem, sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit» (In Io. tract. 26, n. 13 sqq). Ergo secundum Augustinum verba Christi referuntur ad sacramentum eucharistiae, quod et boni et mali suscipiunt; sed effec-

tum mysticae unitatis, quam eucharistia significat, soli boni consequuntur. Eucharistiam esse symbolum unitatis ecclesia semper docuit, ut e. g. *concilium tridentinum* sess. 13, c. 8 (*Denz.* n. 882). Solus modus loquendi est Augustini proprius, qui ponit effectum pro causa et ait: eucharistia est unitas membrorum ecclesiae, i. e. significat et efficit unitatem membrorum ecclesiae.

d) *Contra pelagianos S. Augustinus inculcat etiam infantes non posse vitam aeternam habere sine ulla participatione corporis et sanguinis Christi.* Cum Christus dixisset: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» (Io 3, 5), pelagiani sic distinguebant: infantes non baptizati non possunt quidem introire in regnum Dei, attamen habebunt vitam aeternam. Quare contra eos SS. Patres provocabant ad alium textum: «Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis» (Io 6, 54), et dicebant: En, hic excluditur a vita aeterna is, qui non manducavit carnem Christi nec bibit sanguinem eius, quod utique sine baptismo impossibile est; ergo infantes non baptizati non habebunt vitam aeternam. Ita Augustinus quoque argumentatur, provocans ad verba *Innocentii I* (Ep. 30, n. 5 ad conc. milevit.): «Haec enim eius verba sunt: ,Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc iis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos credimus nonnisi baptismate conferendum.'... Ecce beatae memoriae Innocentius papa sine baptismo Christi et sine participatione corporis et sanguinis Christi vitam non habere parvulos dicit» (Contra duas epist. pelag. l. 2, c. 4, n. 7). Quomodo verba illa de manducanda carne et bibendo sanguine Christi referuntur ad baptismum? Sensus est hic: Ut quis habeat vitam aeternam, oportet eum baptismo incorporari Christo, ut dein possit suscipere corpus eius in eucharistia. «Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur?» (De pecc. mer. et remiss. l. 3, c. 4, n. 8.) Ergo quaedam communicatio cum corpore Christi efficitur baptismo, ut «sic incorporati Christi corpori, quod est ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut liberati, ut redempti, ut illuminati fiant» (l. c. l. 1, c. 26, n. 39). Unde salvi sunt, etiamsi aliqua causa impediti ad realem manducationem corporis Christi non perveniunt.

De hac re post mortem Augustini Ferrandus diaconus quaestionem proposuit S. Fulgentio, scilicet de salute iuvenis, qui instante morte baptizatus erat, sed prius decesserat, quam eucharistiam accepisset. *Fulgentius* in responso citat integrum sermonem 272 Augustini, et sic concludit: «Arbitror non cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat» (Ep. 12; *M* PL 65, 392). Docent igitur illi Patres essentialem effectum eucharistiae iam baptismo obtineri, sed simul docent verba Christi Io c. 6 referri litteraliter ad sacramentum

eucharistiae. Quod autem tam arte coniungunt haec duo sacramenta, inde explicatur, quia illa aetate infantibus baptizatis solebat mox eucharistia sub specie sanguinis dari.

Haec igitur sufficiant ad ostendendum, quomodo difficultates e Patribus obiectae solvi possint. Non negamus Patres de verbis Christi multas considerationes et applicationes mysticas et morales proposuisse, quae ad sensum litteralem non pertinent, sed dicimus eos alteram partem sermonis Christi Io c. 6 litteraliter de eucharistia interpretatos esse.

108. *Obi. IV.* In S. Scriptura saepe pro «significat» ponitur «est», ut «septem boves pulchrae et septem spicae plenae septem ubertatis anni sunt» (Gn 41, 26); Sara et Agar «sunt duo testamenta» (Gal 4, 24). Ergo etiam in verbis institutionis illud «Hoc est corpus meum» ponitur pro «hoc significat corpus meum». Immo si Christus voluit dicere: «hoc significat corpus meum», non potuit nisi dicere: «Hoc est corpus meum», quia, ut patet ex lingua syriaca, alius modus non est aramaice exprimendi «significat».

Resp. *Dist. antec.:* Pro «significat» potest poni «est», si antecedenter constat agi de signo, *conc. antec.* Secus *neg. antec.* Et *neg. conseq.*, quia panis et vinum non erant signum corporis et sanguinis Christi, ut supra (n. 103 *a*) expositum est.

Sensus distinctionis explicatur ipsis exemplis allatis. Pharao voluit scire, quid significaret somnium, quod viderat (Gn 41, 8 15 sq); et Ioseph respondet: Septem boves sunt septem anni. Ergo iam supponebatur illo somnio aliquid significari. Altero loco S. Paulus ait: «Haec sunt per allegoriam dicta», i. e. ad aliud quid significandum, et dein pergit: «Haec enim sunt duo testamenta.» Christus autem in ultima cena non ait: Nunc aliquid per allegoriam dicam, sed simpliciter ait: «Hoc est corpus meum.»

Olim protestantes saepe provocabant ad Ex 12, 11: «Est enim phase, i. e. transitus Domini», quasi sensus esset: Agnus paschalis significat transitum Domini. Sed sensus est: Vobis comedentibus agnum paschalem transibit Dominus per terram Aegypti, et percutiet omne primogenitum, ut l. c. S. Scriptura ipsa explicat. Postea hic eventus per modum festi quotannis celebrandus erat, quod festum vocabatur Phase seu Pascha (Ex 12, 14. Lv 23, 5. Nm 28, 16. Mt 26, 2 etc.). Ergo nullus est parallelismus verbalis cum verbis institutionis eucharistiae.

Quod dictum est in obiectione de lingua syriaca, est falsum. E. g. *S. Maruthas* (saec. V), episcopus tagritensis seu maikerphatensis, qui syriace scripsit, ait de eucharistia: «Quotiescumque ad corpus et sanguinem accedimus et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et nos carnium et ossium eius [participes fieri] iuxta id, quod scriptum est; enimvero Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed [dixit:] Vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus» (*Assemani,* Bibl. orient. I 180). Card. *Wiseman* in libro «Horae syriacae» (Romae 1828) ostendit in lingua syriaca esse ultra quadraginta modos exprimendi «significat».

109. *Obi. V.* Christus in eucharistiae institutione utitur locutione tropica, cum dicit: «Hic calix est novum testamentum in meo sanguine» (Lc 22, 20). Ergo etiam verba «Hoc est corpus meum» tropice intellegere licet.

Resp. *Dist. antec.:* Christus utitur tropis, qui ab omnibus facile intelleguntur, *conc. antec.;* ergo etiam ea verba tropice exponere licet, quae impropriam expositionem non admittunt, *neg. antec.*

In illis verbis «Hic calix est novum testamentum» ponitur continens pro contento et effectus pro causa, ut sensus sit: Id quod est in calice, est sanguis meus pro vobis effusus, quo initiatur novum testamentum. Sic antitypus respondet typo, quia vetus testamentum initiatum erat sanguine animalium (Ex 24, 8. Hebr 9, 20).

110. *Obi. VI.* In S. Scriptura eucharistia vocatur panis (1 Cor 10, 16 sq). Ergo non est corpus Christi.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam:* Nam etiamsi Christus est sub specie panis, eucharistia recte vocatur panis, non a S. Paulo tantum sed etiam ab ecclesia, ut: «Panem de caelo praestitisti iis», «Panis angelicus fit panis hominum» etc. (cf. *Denz.* n. 882 2139). Videlicet hominum usus hoc fert, ut personae et res saepe appellentur secundum id, quod antea fuerunt. Ita serpens devorans alios serpentes vocatur virga, quia ex virga factus erat (Ex 7, 12). Homo videns vocatur caecus, quia antea ut caecus omnibus notus fuerat (Io 9, 17). Eo magis eucharistia vocari potest panis, quia extrinsecus nihil apparet nisi panis.

111. *Obi. VII.* Eucharistia instituta est in memoriam Christi. Atqui utimur re aliqua in memoriam absentis, non praesentis. Ergo Christus non est in eucharistia praesens.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Utimur re in memoriam alicuius, qui ita est absens, ut oblivioni dari possit, *conc. min.;* solum in memoriam eius, qui omni modo est absens, *neg. min. Dist. conseq.:* Christus in eucharistia non est visibiliter praesens, ut eum oblivisci non possimus, *conc. conseq.;* non est invisibiliter praesens, *neg. conseq.* Non immediate ex praesentia Christi in eucharistia memoria eius in nobis conservatur, sed quia visibile sacramentum institutum est ad hunc finem, et quia fide docemur sub signis visibilibus Christum esse invisibiliter praesentem. Simili modo utimur imagine Dei ad Dei memoriam in nobis renovandam, etsi Deus ubique praesens est.

112. *Obi. VIII.* Christus ostendit apostolis panem et dixit: «Hoc est corpus meum.» Atqui propositione, qua affirmatur, quid res sit, non mutatur res, sed manet, quod erat antea. Ergo etiam post verba Christi mansit idem panis, qui antea erat.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Propositione pure theoretica res non mutatur, *conc. min.;* propositione practica et efficaci non mutatur, *neg. min. Dist. conseq.:* Post verba Christi mansisset id, quod antea erat, si fuisset propositio pure theoretica, *conc. conseq.;* si fuit propositio practica et efficax, *neg. conseq.*

Christus certe noluit theoretice affirmare panem esse corpus suum, quia haec esset propositio irrationalis, sed voluit verbis suis circa panem id efficere, quod requiritur, ut verba eius sint vera. Etiam illi, qui dicunt eucharistiam esse solum signum corporis Christi, necessario concedunt eam esse tale signum vi verborum Christi. Ergo in omni sententia, quae admittit

in ultima cena institutum esse sacramentum, verba Christi non fuerunt theoretica propositio tantum sed practica et efficax. Supra autem (n. 103) ostendimus verba Christi esse intellegenda de reali praesentia. Ergo Christus dicens: «Hoc est corpus meum», simul implicite dixit: Ego volo et efficio, ut hoc sit corpus meum. Simili quodam modo rex dicens homini privato: Tu es consiliarius meus et administrator rerum publicarum, potest eum constituere consiliarium et administratorem. Veritas talis propositionis practicae non postulat, ut subiectum iam ab initio fuerit id, quod in praedicato enuntiatur, sed solum, ut praedicatum in fine propositionis de eo verificetur. Itaque in illa propositione «Hoc est corpus meum» pronomen *hoc* solum significat rem indeterminate secundum visibilem praesentiam, et haec res in fine propositionis erat corpus Christi sub speciebus praesens (cf. *S. Thomas* 3, q. 78, a. 5).

Prop. XIV. Realis praesentia Christi in eucharistia docetur unanimi traditionis testimonio.

113. *Stat. quaest.* Usque ad saeculum XVI adversarii realis praesentiae Christi in eucharistia tam pauci fuerunt, ut quasi non exstantes censeri possint. Quod rationalistae recentes narrant de quibusdam SS. Patribus realem praesentiam Christi in eucharistia negantibus et solam moralem vel dynamicam admittentibus, est nuda fabula.

Secundo saeculo *docetae,* qui Christo abnegabant corpus reale (cf. III, n. 14), consequenter negabant in eucharistia esse corpus Christi reale. *Monophysitae*, qui unam tantum naturam in Christo admittunt, non concedunt Christum in eucharistia esse secundum utramque naturam. Haec tamen est quaestio christologica potius quam eucharistica (cf. III, n. 36 sqq). Utrum saeculo XI *Berengarius* in libro «De sacra cena» solam transsubstantiationem negaverit, an etiam realem praesentiam, non convenit inter doctos (cf. *Denz.* n. 874). Idem valet de *Wiclif* (cf. *Denz.* n. 581 sqq 666). Realem praesentiam negarunt *waldenses* et *albigenses* saeculo XIII (cf. *Denz.* n. 424 430).

E protestantibus *Zwinglius* docuit eucharistiam non esse nisi commemorationem passionis Christi et symbolum unitatis fidelium. *Calvinus* negat Christum esse corporaliter praesentem in eucharistia, sed docet ex corpore Christi in caelo constituto descendere vim quandam spiritualem in eos, qui eucharistiam suscipiant (Instit. l. 4, c. 17). *Lutherus* admittit Christum esse realiter in eucharistia praesentem, sed vult eum praesentem fieri non per solam consecrationem sed in communione fidelium, negat quoque transsubstantiationem, et negat missam esse sacrificium (De captivitate babylonica, tract. de sacram.) Ex *anglicanis* alii sunt calvinistae, alii sunt lutherani, alii magis accedunt ad doctrinam catholicam, negantes tamen plerumque transsubstantiationem. *Orientales* omnes cum catholicis consentiunt de dogmate realis praesentiae.

114. *Arg. 1.* **Ex testimonio Patrum trium primorum saeculorum.**

S. Ignatius M. de docetis scribit: «Ab eucharistia et oratione [liturgica] abstinent, eo quod non confitentur eucharistiam esse carnem

salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit» (Smyrn. c. 7).

S. Iustinus M. de pane et vino consecrato ait: «Hic cibus vocatur apud nos eucharistia.... Neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Iesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro salute nostra, ita etiam illam alimoniam, per orationem ipsius verba continentem eucharistizatam *(εὐχαριστηθεῖσαν)*, ex qua sanguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: ‚Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum.' Et poculo accepto similiter, gratias egisse et dixisse: ‚Hic est sanguis meus'» (Apol. I, n. 66).

S. Irenaeus contra gnosticos docentes Deum Patrem Christi non esse fabricatorem mundi neque futuram esse resurrectionem mortuorum, ait: «Quomodo constabit iis eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant?... Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae... offerimus enim ei, quae sunt eius.... Quemadmodum enim qui est a terra, panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti, sic et corpora nostra, percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia» (Contra haer. l. 4, c. 18, n. 4 sq).

Clemens Alex.: »Comedite, inquit Verbum, carnem meam, et bibite sanguinem meum. Hanc nobis propriam alimoniam Dominus tribuit, carnem porrigit, et sanguinem effundit, et nihil deest infantibus ad crescendum. O quam admirabile mysterium» (Paedag. l. 1, c. 6).

Origenes: Israelitis «in aenigmate erat manna cibus, nunc in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus» (In Num. hom. 7, n. 2). «Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur» (In Exod. hom. 13, n. 3).

Tertullianus: Christianorum «caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur» (De resurr. c. 8). Quia ea aetate christiani in manus recipiebant eucharistiam, valde vituperat eos, qui iisdem manibus conficiebant et vendebant idola. «Zelus fidei perorabit ingemens christianum ab idolis in ecclesiam venire... eas manus admovere corpori Christi, quae daemoniis corpora conferunt. Parum

sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminant. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel iudaei Christo manus intulerunt, isti cotidie corpus eius lacessunt. O manus praecidendae!» (De idolol. c. 7).

S. Cyprianus monet, ut paenitentes tempore persecutionis statim ad sacram communionem admittantur. «Communicatio a nobis danda est, ut, quos excitamus et hortamur ad praelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus.... Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si iis militaturis Christi sanguinem denegamus?» (Ep. 57, n. 2; ed. *Hartel*). Si idololatrae ad mensam Domini accedunt, «vis infertur corpori eius et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt» (De lapsis n. 16; cf. n. 24 sqq).

Cf. *J. J. Döllinger,* Die Lehre von der Eucharistie in den drei ersten Jahrhunderten, Mainz 1826; *A. Struckmann,* Die Gegenwart Christi in der heiligen Eucharistie nach den schriftlichen Quellen der vornizänischen Zeit, Wien 1905; Revue du Clergé français XXXIII, Paris 1903, 168 sqq.

115. *Arg. 2.* Ex doctrina posteriorum Patrum.

Macarius Magnes (initio saec. IV): Christus «dixit: ,Hoc est corpus meum et sanguis meus'; non est igitur eucharistia figura corporis et sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi» (*Pitra,* Spicileg. solesm. II, Parisiis 1852, 548[b]).

S. Gregorius Nyss.: «Credo etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Verbi. . . . Hic panis, ut loquitur apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatur, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: ,Hoc est corpus meum'. . . . Dispensatione gratiae se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, commixtus corporibus fidelium ... ut etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud transelementans eorum, quae apparent, naturam, *μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν*» (Orat. catech. c. 37).

S. Basilius: «Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi, bonum est ac perutile, cum ipse perspicue dicat: ,Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam'« (Ep. 93).

Inter Patres graecos tres sunt, qui merito appellati sunt «doctores eucharistici»: S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Ioannes Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus. Sed quia eorum dicta leguntur in Breviario romano infra octavam corporis Christi, pauca hic apposuisse sufficit.

S. Cyrillus Hieros.: Sumentes eucharistiam «christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore eius et sanguine.... Quamobrem ne tamquam nudis pani et vino attende; sunt enim corpus et sanguis Christi secundum Domini asseverationem.... Ne iudices rem ex sensu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse . . . certissima imbutus fide, quod, qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videtur, sed sanguis Christi» (Catech. myst. 4, n. 4 sqq).

S. Ioannes Chrysost.: «Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. . . . Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit, alium sanguinis, alium aquae. . . . Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensae dilectionis fuit» (In 1 Cor. hom. 24, n. 1 4). Cf. *A. Naegle,* Die Eucharistielehre des hl. Joh. Chrysostomus, Freiburg 1900.

S. Cyrillus Alex.: «Demonstrative dixit: ‚Hoc est corpus meum' et ‚Hic est sanguis meus', ne figuram esse arbitreris ea, quae videntur, sed arcana aliqua ratione transformari ab omnipotenti Deo in corpus et sanguinem Christi in veritate, quae oblata sunt; quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus» (In Mt. 26, 27. *M* PG 72, 451). Cf. *A. Struckmann,* Die Eucharistielehre des hl. Cyrill von Alexandrien, Paderborn 1910.

S. Hilarius Pictav.: Christus «ipse ait: ‚Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.' De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est; et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est?» (De Trin. l. 8, n. 14).

S. Ambrosius comparans eucharistiam cum eius typis in vetere testamento, ait: «Potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo. Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? . . . Probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; maioremque esse vim benedictionis quam naturae.... Quodsi tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: ‚Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.' Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non sunt?» (De myst. c. 8 sq.)

S. Augustinus: «Quod videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis Christi» (Sermo 272). Corpus Christi per os intrat in hominem. «Liquido apparet, quando primum

acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur» (Ep. 54, c. 6). Et corpus Christi, antequam sumitur, adoratur. «Quia carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini (Ps 98, 5), et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando» (In Ps 98, n. 9). Sic in ultima cena adimpletum est, quod legitur 1 Reg 21, 13 (in versione graeca): «Et ferebatur in manibus suis.» «Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine quis intellegat? Quis enim portatur in manibus suis? ... In Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: «Hoc est corpus meum.» Ferebat enim illud corpus in manibus suis» (In Ps. 33, enarrat. 1, n. 10). Alia vide supra n. 107. Cf. *O. Blank*, Die Lehre des hl. Augustin vom Sakramente der Eucharistie, Paderborn 1907; *K. Adam*, Die Eucharistielehre des hl. Augustin, Paderborn 1908.

S. Leo M.: «Dicente Domino: ‚Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis', sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis ‚Amen' respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur» (Sermo 91, c. 3).

S. Gregorius M.: In eucharistia Christi «corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium sed in ora fidelium funditur» (Dial. l. 4, c. 58).

Consentiunt Patres syri, quorum unum testimonium supra (n. 108) audivimus, alia collegit *Sasse* (De sacram. I 354 sqq). Plura opera exstant, quibus doctrina Patrum diligenter exponitur, ut «La Perpétuité de la foi», ed. a *Nicole, Arnaud* et *Renaudot,* quinque tomi (Paris 1669—1713), et *Béguinot,* La très sainte Eucharistie. Exposition de la foi des 12 premiers siècles, duo tomi (Paris 1903). Theologorum doctrina habetur in Sent. l. 4, dist. 10 et in Sum. 3, q. 75.

116. *Arg. 3.* Ex consensu orientalium.

Orientales omnes, etiam illi, qui iam saeculo V ab ecclesia defecerunt, fidem realis praesentiae profitentur, quod explicari nequit nisi ex vetustissima et apostolica traditione.

Ita saeculo VI *Xenaias Mabugensis,* monophysita, ait: «Corpus vivum Dei vivi nos accipere profitemur et non merum modo corpus hominis mortalis; similiter vivum vivi sanguinem in omnibus sacris haustibus accipimus. . . . Nam [Christus] dixit super unumquodque

eorum esse in veritate corpus et sanguinem suum» (*Assemani*, Bibl. orientalis II 39). *Elias Damascenus*, nestorianus, ait omnes christianos orientales secum convenire «in oblatione eucharistiae, quam Christi corpus et sanguinem esse profitentur» (l. c. III, pars 2, 291). Eadem est fides graecorum et russorum schismaticorum. E. g. *Ieremias* patriarcha: «Non est panis et vinum typus corporis et sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus Domini deificatum, cum ipse Dominus dicat: Hoc est meum, quid? non typus corporis sed corpus, non typus sanguinis sed sanguis» (*Schelstrate*, Acta eccl. I 200).

Huc pertinet etiam *testimonium liturgiarum*, quia in omnibus liturgiis orientalibus et occidentalibus imploratur Deus, ut panem et vinum efficiat corpus et sanguinem Iesu Christi verum, vivum, vivificum ad salutem accipientium (cf. Praelect. dogm. VI, n. 650 sqq).

117. *Arg. 4.* Ex definitionibus conciliorum.

Concilium lateranense IV: Iesu Christi «corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur» (*Denz.* n. 430). *Concilium constantiense* damnavit doctrinam Wiclif: «Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria praesentia corporali» (*Denz.* n. 583). *Concilium tridentinum* sess. 13, can. 1: «Si quis negaverit in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum divinitate Domini nostri Iesu Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, A. S.» (*Denz.* n. 882; cf. n. 874).

118. Obi. I. *S. Ignatius M.* fidem et caritatem fidelium vocat carnem et sanguinem Christi. Ergo etiam ubi loquitur de eucharistia, carnem Christi metaphorice intellexit.

Resp. *Trans. antec. Neg. conseq. et paritatem. S. Ignatius* scribit ad trallianos c. 8: «Regenerate vosmet ipsos in fide, quod est caro Domini, et in caritate, quod est sanguis Christi.» Ibi non loquitur de eucharistia, sed dat moralem exhortationem, et ait renovari in fide et caritate esse carnem et sanguinem Christi, i. e. effectum carnis et sanguinis Christi. Ubi vero de eucharistia agit, dicit in ea esse carnem Christi, pro nobis passam et a Patre resuscitatam (supra n. 114). Ergo nulla est paritas inter hos duos textus.

119. Obi. II. *Clemens Alex.*, *Origenes*, *Tertullianus* varia de eucharistia dicunt, quae allegoricum tantum sensum admittunt. Ergo eorum testimonia non probant in eucharistia sensu proprio esse carnem et sanguinem Christi.

Resp. *Dist. antec.:* Illi scriptores etiam de eucharistia more suo quaedam allegorice dicunt, *conc. antec.* Non testantur fidem ecclesiae, secundum quam in eucharistia vere est corpus et sanguis Christi, *neg. antec.*

Ita *Clemens Alex.* post verba supra (n. 114) citata addit in eucharistia carnem allegorice esse Spiritum divinum, sanguinem vero allegorice esse Verbum, quorum commistio sit Dominus, qui sit Spiritus incarnatus, caro sanctificata et caelestis, nutrimentum nostrum, et alia non minus obscura.

His certe doctrina de reali praesentia manifeste non negatur, etsi neque lucidior fit. Sed allegorias Clementis esse saepe valde obscuras omnes concedunt.

Similiter dicta *Tertulliani* non semper sunt perspicua. Ita Adv. Marcionem l. 3, c. 19 loquitur de illis verbis: «Venite, mittamus lignum in panem eius» (Ier 11, 19), i. e. ligno occidamus prophetam; et dicit panem allegorice esse corpus Christi, lignum autem crucem eius, ut sensus sit: crucifigamus Christum. Sed quomodo potest panis significare corpus Christi? Hoc, inquit, Deus in evangelio Lucae «revelavit panem corpus suum appellans, ut et hinc iam eum intellegas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo.» Ergo Ieremias Deo inspirante vocavit corpus Christi panem, quia Christus in cena sumpturus erat panem et dicturus: Hoc est corpus meum. «Acceptum panem et distributum discipulis suis corpus illum suum fecit, ‚hoc est corpus meum' dicendo, i. e. figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus», i. e. nisi verum corpus habuisset, quod Marcion negabat, non fuisset ibi nisi panis. «Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis pro nobis crucifigeretur». Vult igitur hoc loco Tertullianus contra Marcionem demonstrare Christum habere verum corpus, quia hoc corpus sub figura seu specie panis discipulis suis dedit. Argumentatio sane obscura et difficilis, sed qua potius confirmatur quam negatur realis praesentia. Haec duo exempla sufficiant ad ostendendum ex verbis tam obscuris efficaciter argui non posse.

120. *Obi. III.* SS. Patres docent eucharistiam esse typum corporis Christi. Ergo non possunt simul docere esse ipsum corpus Christi.

Resp. *Dist. antec.:* SS. Patres docent eucharistiam esse nudum typum corporis Christi, *neg. antec.;* docent eucharistiam non obstante reali praesentia corporis Christi variis modis esse typum, *conc. antec.* Et *neg. conseq.*

a) Species panis et vini interdum vocantur typus (signum indicans) corporis Christi, corpus vero Christi, sub speciebus praesens vocatur antitypus (res indicata). De qua re loquitur *concilium nicaenum II.* Iconoclastae enim dixerant imagines esse abolendas, sufficere eucharistiam imaginem Christi. Contra quos concilium act. 6 ait: «Ante consecrationis quidem consummationem quibusdam SS. Patrum visum est nominare [panem et vinum] antitypa . . . post consecrationem vero corpus proprie et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur. Isti vero praeclari viri, volentes venerabilium imaginum abolere conspectum, aliam imaginem introduxerunt, quae non est imago sed corpus et sanguis Christi» (*Hardouin,* Collect. Conc. IV 370). Hic panis et vinum dicuntur antitypus, apud priores Patres communius dicuntur typus, et corpus Christi antitypus; sed haec duo vocabula saepe eodem sensu sumuntur. *S. Cyrillus Hieros.* (in catech. myst. 5, n. 20) ait eos, qui eucharistiam recipiant, non panem et vinum gustare sed γεύσασθαι ἀντιτύπου σώματος Χριστοῦ. Hoc interdum vertunt: «gustare antitypum corporis Christi», sed vertendum est: «gustare antitypum corpus Christi», quia non dicitur ἀντιτύπου τοῦ σώματος, sed ἀντιτύπου σώματος; ergo corpus Christi dicitur antitypum.

b) *Eucharistia interdum vocatur typus vel antitypus rerum caelestium,* Christi caelestis vel beatitudinis caelestis. *S. Ioannes Damasc.:* «Antitypa futurorum dicuntur, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent, sed

quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero intellectualiter per solam visionem» (De fide l. 4, c. 13).

c) *Eucharistia figurate dicitur unitas fidelium, quia eam significat et efficit* (supra n. 107 *c*). Saepe in veteribus documentis liturgicis leguntur orationes, quibus Deus rogatur: Sicut hic panis collectus est ex multis granis frumenti et vinum ex multis acinis uvae, ita ex populis super faciem terrae dispersis collige unam sanctam ecclesiam catholicam. Ita e. g. in *Sacramentario Serapionis* c. XIII ex saeculo IV (*Funk*, Didascalia apost. II 175 sq), ita *S. Cyprianus* (Ep. 69, n. 5; ed. *Hartel*), ita *S. Augustinus* (In Io. tract. 26, n. 17). Haec mystica significatio optime conciliatur cum reali praesentia. *Concilium tridentinum* sess. 13, c. 3 docet eucharistiam «symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem», et c. 8 optat, «ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent» (*Denz.* n. 876 882).

121. Obi. IV. Cum saeculo IX *Paschasius Radbertus* in libro «De corpore et sanguine Domini» scripsisset in eucharistia esse idem corpus, quod natum esset ex b. virgine Maria, *Rabanus Maurus* in epistula 3 ad Egilem, *Ratramnus,* alii contradixerunt. Ergo ne illa quidem aetate realis praesentia Christi ab omnibus admittebatur, sed videtur potius Paschasius invenisse doctrinam, quam nunc tenet ecclesia.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam.* Nam Paschasius et adversarii eius realem praesentiam unanimiter profitebantur, sed disputabant, quo sensu corpus Christi in eucharistia et corpus natum ex virgine dicendum esset idem corpus. *Paschasius* ait (c. 4): «Quod in veritate corpus et sanguis fiat consecratione mysterii, nemo, qui verbis divinis credit, dubitat»; nec minus clare dicit *Rabanus:* «Quod corpus et sanguis Domini [in eucharistia] sit vera caro verusque sit sanguis, unusquisque debet credere.» Nihilominus censet inauditum, «quod non sit haec alia caro Christi, quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de sepulchro». Sed quo sensu est aliud corpus? Respondet «non quidem, quod absit, naturaliter sed specialiter aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita cotidie per Spiritum Sanctum consecratur . . . et aliud specialiter esse corpus Christi, quod natum est de Maria virgine, in quod illud transfertur», addit autem non ideo esse duo corpora sed unum corpus in diverso statu. Hoc Paschasius non negabat, sed adversarii eius verba male intellexerant. Erat igitur disputatio speculativa, qua substantia dogmatis non tangebatur. De Ratramno cf. *A. Naegle,* Ratramnus und die heilige Eucharistie, Wien 1903.

CAPUT II.

DE MODO REALIS PRAESENTIAE CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Prop. XV. Christus in eucharistia praesens fit transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

122. *Stat. quaest.* Stabilita reali praesentia Christi in eucharistia, oritur quaestio, num simul cum corpore et sanguine Christi in eucharistia sit panis et vinum. Respondet ecclesia substantiam panis et vini

conversam esse in corpus et sanguinem Christi, quam conversionem appellat *transsubstantiationem*. Haec quidem vox non est in usu nisi inde a saeculo XII, sed res docetur a SS. Patribus. Num ex sola S. Scriptura haec doctrina probari posset, olim disputabant theologi; negabant *Scotus, Durandus, Paludanus* in commentariis in 4. Sent., dist. 11; ceteri omnes fere affirmabant, quae sententia videtur nunc recepta esse ab omnibus theologis.

Transsubstantiatio est *mutatio*, et quidem mutatio, in qua et terminus a quo, substantia panis et vini, et terminus ad quem, corpus et sanguis Christi, sunt aliquid positivum. Talis autem mutatio vocatur *conversio*; et quia uterque terminus est substantia, est *conversio substantialis*. In conversione substantiali plerumque sola forma mutatur, ut si ex corpore vivo fit cadaver. Ut igitur significetur non solam formam sed totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, conversio eucharistica vocatur transsubstantiatio. Per consecrationem substantia panis et vini desinit esse, ut non magis exsistat, quam si annihilaretur. *Non tamen est annihilatio proprie dicta*, quia non desinit in nihilum sed in corpus et sanguinem Christi (*S. Thomas* 3, q. 75, a. 3). Ideo enim per virtutem divinam desinit substantia panis et vini, ut sub iisdem speciebus succedant corpus et sanguis Christi, et ideo necessario vi institutionis succedunt corpus et sanguis Christi, quia tali modo desiit substantia panis et vini. Itaque desitio unius substantiae et positio alterius substantiae non sunt duae res disparatae sed intime nexae; et praeterea utraque substantia est sub iisdem communibus accidentibus sensibilibus panis et vini.

Dogma transsubstantiationis maxime definitum est contra eos protestantes, qui dicebant Christum in eucharistia esse simul cum substantia panis et vini. Quem errorem nunc etiam tenent lutherani et anglicani. Plerique autem protestantes negant Christum in eucharistia omnino realiter praesentem esse.

123. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus de re, quam manu tenebat, dixit: «Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus» (supra n. 103). Atqui haec verba tum solum vera sunt, si in eucharistia non est substantia panis et vini. Ergo in eucharistia vi verborum (supra n. 112) in locum substantiae panis et vini successit corpus et sanguis Christi, seu facta est transsubstantiatio.

Prob. min. Si illud, quod Christus ostendebat, fuisset finita propositione etiam panis et vinum, Christus dixisset: Panis et vinum est corpus et sanguis meus. Atqui panis et vinum, quamdiu manent, quod sunt, non possunt esse realiter corpus et sanguis Christi, quia est contra principium contradictionis, quod una res est simul realiter alia res. Ergo verba Christi necessario ita intellegenda sunt, ut Christus effecerit desitionem substantiae panis et vini et positionem corporis et sanguinis Christi sub iisdem accidentibus. Neque tamen intendit de-

sitionem substantiae panis et vini propter se et separatim sumptam, sed solum ad hunc finem, ut sub accidentibus poneretur corpus et sanguis Christi. Ergo facta est vera conversio totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi, seu facta est transsubstantiatio.

124. *Arg. 2.* Ex traditione.

Ad transsubstantiationem tria requiruntur: a) ut post consecrationem non iam adsint panis et vinum, b) ut sub accidentibus panis et vini adsit corpus et sanguis Christi, c) ut inter terminum a quo et terminum ad quem sit relatio conversionis alterius in alterum. Atqui SS. Patres docent haec tria. Ergo docent transsubstantiationem.

Prob. min. a) Sub accidentibus post consecrationem non iam est panis et vinum. S. Cyrillus Hieros.: «Qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etsi gustui videtur, sed sanguis Christi» (Catech. myst. 4, n. 9). Vulgatus *Ambrosius:* «Tu forte dicis: meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. . . . Ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione Verbi caelestis» (De sacram. l. 4, c. 4 sq).

b) In eucharistia Christum esse realiter praesentem supra (n. 114 sqq) Patres docentes audivimus. Addatur *S. Ioannes Damascenus:* «Panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi et sanguinem, et non sunt duo [panis et corpus Christi], sed unum idemque [corpus Christi]. . . . Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus divinitate donatum» (De fide l. 4, c. 13).

c) SS. Patres docent panem et vinum «converti» in corpus et sanguinem Christi (*S. Ambrosius,* De myst. c. 9), «transelementari» (*μεταστοιχειοῦσθαι*, *S. Gregor Nyss.*, Orat. catech. c. 37), «transmutari» (*μεταβάλλεσθα*, *S. Cyrillus Hieros.*, Catech. myst. 4), «transformari» (*μεταῤῥυθμίζεσθαι*, *S. Ioan. Chrys.*, De proditione Iudae hom. 1, n. 6), «traduci» (*μεταποιεῖσθαι*, *S. Cyrillus Alex.* In Mt 26, 27). Et hanc conversionem illustrant comparando eam cum conversione cibi in corpus humanum, cum conversione aquae in vinum in Cana, cum conversione virgae in serpentem in libro Exodi. Atqui haec omnia idem significant, quod ecclesia exprimit voce transsubstantiationis.

Unanimis quoque est sententia theologorum. *Petrus Lombardus:* «Constat substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti» (Sent. l. 4, dist. 10, n. 4 in fine). *S. Thomas:* «Tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde haec conversio non est formalis sed substantialis; nec continetur inter species

motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transsubstantiatio» (3, q. 75, a. 4). Similiter *Scotus,* thomistae, scotistae, ceteri theologi.

Etiam schismatici orientales idem docent, ut *synodus constantinop.* a. 1643, quae vocabulo μετουσίωσις utitur, quod idem est ac transsubstantiatio (*Schelstrate,* Acta orient. eccl. I, 512 sqq).

125. *Arg. 3.* Ex constitutionibus ecclesiae.

In *concilio romano* a. 1079 Berengarius iussus est profiteri: «Panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Iesu Christi» (*Denz.* n. 355). *Concilium lateranense IV:* Iesu Christi «corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina» (*Denz.* n. 430). *Concilium tridentinum* sess. 13, can. 2: «S. q. d. in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius subsantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, A. S.» (*Denz.* n. 884). Antea iam docuerat hoc ideo semper in ecclesia persuasum fuisse, quia verba institutionis hunc sensum postularent (*Denz.* n. 877).

Cum saeculo XVIII *synodus pistoriensis* inter ea, quae parochis de hoc sacramento exponenda praescribit, non commemorasset transsubstantiationem, *Pius VI* hanc omissionem vituperavit, «quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: [est doctrina] perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis» (*Denz.* n. 1529).

Cum saeculo XIX quidam theologus censuisset licere dicere in eucharistia non quidem substantiam sed tamen naturam panis manere, quae ideo non esset substantia, quia aliquo modo sustentaretur a corpore Christi, non vero esset in se, quod est de conceptu substantiae — *Sanctum Officium* die 7 Iulii 1875 declaravit hanc explicationem tolerari non posse (*Denz.* n. 1843 sqq). Ergo in eucharistia neque substantia neque natura panis manet, nisi forte nomine naturae significentur sola accidentia sensibilia.

Damnata quoque est *Rosmini* sententia, secundum quam substantia panis et vini adiungitur corpori Christi glorioso, qui eam facit terminum sui principii sentientis et eam sua vita vivificat (*Denz.* n. 1919 sq). Ergo per transsubstantiationem nihil additur corpori

Christi, sed corpus Christi loco substantiae panis et vini simpliciter praesens fit sub speciebus.

126. Obi. I. Secundum *Theophylactum* Deus panem transmutat «in vim», εἰς δύναμιν corporis et sanguinis (In Marc. 14, 22). *Theodoretus* docet manere in eucharistia naturam panis (in dialogo «Eranistes»; *M* PG 83, 167). Secundum *Gelasium* papam in eucharistia non desinit substantia vel natura panis et vini, sed «in divinam transeunt substantiam permanentes tamen in sua proprietate naturae» (*Thiel,* Epistulae rom. pontificum 541 sqq). Atqui his et similibus aliis dictis negatur transsubstantiatio. Ergo haec non fuit communiter admissa.

Resp. *Conc. mai., neg. min. et conseq.* Sensus verborum Theophylacti non est manere substantiam panis et vini, et solum addi vim quandam sicut in ceteris sacramentis, sed ibi δύναμις ponitur pro ipsa substantia, qui est modus loquendi apud graecos non rarus. Theophylactus illo loco ipse rem satis explicat. «Non enim figura vel exemplar dominici corporis panis est, sed in illud ipsum corpus Christi convertitur. . . . Quia enim panis et vinum nobis usitata sunt, sanguinem autem et carnem proposita videntes non ferremus, sed abhorreremus, idcirco benignus Deus, condescendens nobis, speciem quidem (εἶδος) panis conservat, in vim autem carnis et sanguinis transelementat» (μεταστοιχειοῖ; *M* PG 123, 650). Ergo externa species et interna vis opponuntur; et sic textus est testimonium pro transsubstantiatione.

Theodoretus autem et Gelasius papa, qui eum sequitur (nisi potius est Gelasius Cyzicenus, ut quibusdam videtur), impugnant errorem monophysitarum, qui dicebant: Sicut in eucharistia est una tantum natura post consecrationem, ita in Christo est una natura post incarnationem. Respondent illi scriptores: Etiam in eucharistia sunt duae naturae, scilicet corpus Christi et species sensibiles. Species sensibiles ab iis vocari naturam vel substantiam sensibilem satis patet ex ipsorum verbis. Theodoretus ait: «Mystica symbola . . . manent in prioris essentiae et figura et forma aspectabili, visibilia et tangibilia (ὁρατὰ καὶ ἁπτά), qualia prius erant; intelleguntur autem ea esse, quae facta sunt, et creduntur et adorantur.» Ergo distinguuntur natura pure externa, quae sensibus apparet, et ea, quae sub hac sensibili natura vere sunt intellegibilia, credenda, adoranda, Christus Deus et homo. Idem valet de doctrina Gelasii. Totum ergo, quod nobis mirum videtur in eorum verbis, est hoc, quod species sensibiles vocant naturam vel substantiam. Sed hic loquendi modus non est inusitatus Patribus graecis, ut quando *S. Gregorius Nyss.* (Antirrhet. n. 57) et *S. Athanasius* (Contra arian. orat. 3, n. 48) dicunt naturam corporis Christi post resurrectionem mutatam esse, quia eius sensibiles qualitates mutatae sunt.

127. Obi. II. SS. Patres comparant eucharistiam cum carbone ignito apud Is 6, 6. Atqui carbo ignitus manet carbo. Ergo etiam in eucharistia panis manet panis.

Resp. *Neg. mai.* hoc sensu intellectam. SS. Patres Verbum incarnatum comparant cum carbone ignito, et dicunt hunc carbonem in eucharistia admoveri fidelibus ad eos sanctificandos, non vero vocant panem eucharisticum carbonem, in quo Christus sit ut ignis. E. g. *S. Ephraem:* «Carbo, quem vidit Isaias, quid significat? . . . Divinam scilicet unigeniti Verbi naturam ignis ille materialis significat. Quod autem carbo forcipe apprehenditur, hoc

significat Verbum Dei post suam cum corpore unionem apprehendi et percipi. Quod vero idem admotus est labiis prophetae, significatur Verbum naturae nostrae se univisse et factum esse cibum animas nostras sanctificantem» (*Lamy*, S. Ephrem Syri hymni et sermones I 419).

128. *Obi. III.* Saepe utimur figura synecdoches, sicut cum quis ostendens marsupium ait: Haec est pecunia mea; vel exhibens lagenam ait: Haec est aqua. Ergo a pari Christus ostendens panem, sub quo erat corpus eius, poterat dicere: Hoc est corpus meum.

Resp. *Nego paritatem.* Nam in exemplis allatis et aliis similibus vel ex natura rei vel usu hominum una res nota est ut receptaculum alterius. Ubi autem nihil tale notum est, figura synecdoches caret intellegibili significatione, ut si quis in pane absconderet aurum et, ostendens panem, diceret: Hoc est aurum. Ita iocari fortasse licet, sed nemo serio sic loquitur.

129. *Obi. IV.* Si in eucharistia non est substantia panis et vini, in errorem inducimur, quia sensus nobis referunt eadem accidentia, secundum quae distinguimus panem et vinum ab aliis rebus. Atqui admittendum non est Deum miraculo patrato nos inducere in errorem. Ergo vere in eucharistia est substantia panis et vini.

Resp. *Neg. mai.* Nam Deus, qui transsubstantiationem efficit, etiam revelavit in eucharistia non esse substantiam panis et vini. Ergo si Deo credimus, non inducimur in errorem. Neque error est, quod sensus accidentia communia panis et vini referunt; nam ista accidentia vere adsunt. Ex accidentibus autem concludere, qualis substantia subsit, possumus quidem cum ea probabilitate vel certitudine late dicta, quae ad usum vitae sufficit, saepissime tamen non cum ea absoluta certitudine, cui falsitas prorsus repugnat. Sicut igitur in cotidiana vita accidere potest, ut quis iudicet esse panem vel vinum, quae revera panis et vinum non sunt, ita etiam accidere potest, ut quis, nesciens hostiam esse consecratam, iudicet esse panem, cum revera panis non sit. Tales errores Deus permittere potest, quia non debet cavere, ne homo umquam erret in diiudicandis rerum naturis.

Schol. 1. Qua actione Christus constituatur praesens sub speciebus eucharisticis.

130. a) Potest quaeri, quomodo concipienda et appellanda sit illa actio divina, qua Christus praesens fit sub eucharistia. Ecclesia definivit fieri conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Quidam theologi in hac definitione sistunt, et dicunt non esse quidquam ulterius statuendum. Hi utuntur iure suo, si ipsi contenti sunt sola definitione ecclesiastica; sed ultra limites suos procedunt, si negant licite factas esse inquisitiones ulteriores tot et tantorum theologorum. Immo si rem ita intellegunt, ut dicant nihil fieri nisi *positivam conversionem substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi sine ulla actione negativa, qua cesset substantia panis et vini* (ita *Billot*), adversarios habent omnes fere theologos veteres et recentes. Contra sententiam sic intellectam *I. Piccirelli* scripsit integrum opus ad ostendendum eam neque cum doctrina

S. Thomae aliorumque veterum theologorum consentire neque dogmati transsubstantiationis satisfacere (Disquisitio de catholico intellectu transsubstantiationis, Neapoli 1912). *S. Thomas* diserte docet in transsubstantiatione nihil manere prioris substantiae, sed totam substantiam *corrumpi* (3, q. 75, a. 8). Argumentum vero rationis in eo est, quod ad omnem veram conversionem requiritur desitio negativa termini a quo, et quod per solam positivam acquisitionem alicuius esse nihil desinit esse quod erat, panis autem et vinum desinunt esse quod erant. Ita Piccirelli l. c. 197 sqq 217 sqq. Transmissa igitur hac sententia remanent duae explicationes theologorum.

b) Alii theologi dicunt transsubstantiationem esse *adductionem,* qua corpus Christi, quod iam est in caelo, fit sine ullo motu locali praesens sub speciebus. Ita *Scotus* (In 4, dist. 10, q. 1; dist. 11, q. 3), *Bellarminus* (De euchar. l. 3, c. 18), *Gregorius de Valentia, Vazquez, De Lugo* (De euchar. 7, sect. 6, n. 89), alii. Hi quidem theologi neque in omnibus adiacentibus quaestionibus neque in nomine adductionis omnes consentiunt, sed omnes docent Christum fieri in eucharistia praesentem, eo quod accipiat indistantiam ad species sacramentales, qua indistantia Christus intrinsecus non mutetur (nisi forte addito modulo ubicationis), sed conotetur terminus (species et per species haec pars spatii).

c) Alii theologi dicunt in eucharistia *reproductione* fieri praesens corpus Christi, qua actione influatur ipsum esse substantiale in corpus Christi. Haec igitur actio a creatione eo tantum differt, quod res producta alibi iam exsistit, et quod praesupponitur ut terminus a quo substantia panis et vini. Ita *Suarez* (De euchar. disp. 50, sect. 4, n. 10), *Lessius* (De perfect. div. l. 12, c. 16, n. 114 sqq), *Franzelin, Piccirelli,* qui hanc sententiam habet probabiliorem, alteram de adductione probabilem (l. c. 253 sqq 263 sqq). Multis autem theologis e contrario videtur dicendum modum reproductionis esse probabilem, modum adductionis esse probabiliorem. Nam non sufficit, ut corpus et sanguis Christi reproducantur, sed requiritur, ut substantiae panis et vini succedant in ordine ad eadem accidentia; ergo praeter reproductionem ut talem requiritur adductio. Si haec requiritur, etiam sufficit, quia verba consecratoria nihil aliud postulant. Patres vero et concilia collegerunt doctrinam transsubstantiationis ex illis verbis Christi; ergo nihil aliud voluerunt docere, nisi quod ad verificanda verba Christi requiritur. Nova igitur miracula non sunt statuenda. Sed quia in omni sententia transsubstantiatio manet mysterium, et quia sententiae theologorum sunt tam diversae, inter explicationes, quas ecclesia permittit, eam cuique licet eligere, quae magis placet.

Schol. 2. De speciebus eucharisticis.

131. a) In eucharistia post consecrationem eadem accidentia sensibilia seu eaedem species adsunt, quae antea aderant: Color, sapor, gravitas, odor, figura, vis resistendi, extensio.

Imprimis igitur tenendum est *speciebus eucharisticis convenire obiectivam realitatem,* non vero eas esse affectiones mere subiectivas, quas Deus in sensibus nostris producat. *Cartesius* quidem docebat essentiam materiae consistere in extensione, cuius modificationes essent accidentia sensibilia; ergo sublata substantia pereunt omnia accidentia. Pauci theologi, hanc philosophiam secuti, dixerunt accidentia eucharistica esse sensationes tantum subiectivas. Ita *E. Maignan* (Philosophia sacra I, c. 22). Haec theoria admitti nequit, quia sic eucharistia non esset verum sacramentum deficiente signo sensibili; nam affectiones subiectivae non sunt pars sacramenti (cf. *J. Souben,* Les sacrements I 118 sqq).

b) SS. Patres saepe docent in eucharistia esse duas res, unam terrenam et sensibilem, alteram caelestem et intellegibilem. E. g. *S. Irenaeus* (supra n. 114), *S. Cyrillus Hieros.:* «In figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis» (Catech. myst. 4). *S. Ioannes Chrysost.:* Christus «in rebus quidem sensibilibus, sed omnia intellegibilia» in eucharistia nobis tradidit (In Matth. hom. 82). Cf. supra n. 126. Similiter in disputationibus saeculo IX exortis theologi omnes docuerunt. Audiatur e. g. *Algerus:* «Cum in sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentiatur, vel verum hoc esse vel phantasticum dicitur. Sed absit, ut perfecta veritas phantasiae fallacia adstruatur. . . . Alioquin si ex phantasia et veritate sacramentum Christi confici creditur, iam confectio non erit, cum ex aliqua re et nulla confectio constare non possit. Conficitur ergo sacramentum ex vero corpore et sanguine et ex veris speciebus panis et vini» (De sacram. corp. et sang. Dom. l. 1, c. 7). Idem docent scholastici unanimiter usque ad saeculum XVIII fere, postea vero longe plurimi. Ita *Petrus Lombardus* (Sent. l. 4, dist. 11 sq), *S. Thomas* (3, q. 77, a. 1), eorumque commentatores. De hac re speciale opusculum edidit *Theoph. Raynaudus* («Exuviae panis et vini»), in quo sect. 2, punct. 7 ultra triginta theologos enumerat, qui sententiam de intentionalibus tantum speciebus haereticam habent. Itaque a doctrina tam universaliter et constanter recepta de obiectiva realitate specierum nullo modo recedere licet.

Concilium constantiense duos articulos Wiclifii damnavit: 1) «Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris.» 2) «Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento» (*Denz.* n. 581 sq). Quia constat Wiclif non solum locutum esse contra conversionem substantiae panis, sed etiam contra permanentiam accidentium, et quia concilium duos distinctos articulos damnat, multo magis probabile est concilium voluisse duos quoque distinctos errores reprobare quam unum tantum. Si ita est, non sola transsubstantiatio admittenda est sed etiam permanentia accidentium sine subiecto. *Concilium tridentinum* sess. 13, can. 2 definit: «Si quis negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem,

manentibus dumtaxat speciebus pani et vini . . . A. S.» (*Denz.* n. 884). Cum nemo illa aetate cogitaret de speciebus mere intentionalibus, verba intellegenda sunt de speciebus realibus. *Catechismus Rom.* ait: «Panis et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subiecta constare . . . perpetua et constans ecclesiae fuit doctrina» (Pars II, c. 4, n. 44).

c) Quia doctrina traditionis postulat, ut maneat aliquid panis et vini, *non sufficit dicere manere undulationes aeris et aetheris,* quae antea fuerint. Nam hae undulationes non reponuntur in tabernaculo, non ostenduntur, non franguntur, non corrumpuntur, quae omnia dicuntur de speciebus eucharisticis.

Neque sufficit dicere a Deo conservari aliquem effectum, qui a substantia panis et vini exierit, et quo substantia illa antea egerit in sensus nostros. Nam omnis effectus transiens recipitur in aliquo subiecto, quod in hoc casu esset aliquid medium inter substantiam panis et sensus nostros; sic autem haec sententia recidit in priorem. Neque traditio docet aliquid a pane effectum manere, sed manere aliquid panem accidentaliter constituens.

Si quis dicit substantiam ponderabilem panis et vini converti, sed *materiam imponderabilem,* quae antea atomis panis et vini alligata erat, et quae erat proximum subiectum virtutis attractivae et repulsivae, a Deo ita in suo priore statu conservari, ut eadem atque antea phaenomena producat, habet hypothesim, secundum quam vere aliquid panis potest dici conservari. Attamen sic conservatur aliquid, quod reapse non est accidens sed substantia, in qua species sensibiles sunt ut in subiecto; hoc autem neque cum verbis Christi: «Hoc est corpus meum», neque cum doctrina traditionis conciliari posse videtur.

d) Ergo nihil restat, nisi ut cum veteribus scholasticis dicamus *accidentia sensibilia posse per divinam omnipotentiam separari a subiecto suo et corrupto subiecto conservari.* Neque enim ulla repugnantia est admittere quantitatem esse formam quandam accidentalem, ultimis particulis corporis inhaerentem, qua fiat, ut hae particulae inter se attrahendo et repellendo agant et per spatium extendantur. Si haec forma est realitas a substantia distincta et a Deo conservatur, ut erat antea, eadem quoque phaenomena sensibilia atque antea permanent. Non intellegimus quidem positive ita esse, sed hic solum agitur de proponenda probabili theoria ad doctrinam revelatam speculative aliquo modo explicandam. Qui admittit transsubstantiationem et obiectivam realitatem specierum eucharisticarum, satisfacit doctrinae ecclesiae; ulteriores quaestiones sunt pure speculativae et philosophicae (cf. *S. Thomas* 3, q. 77, a. 1 sqq.; *T. Pesch,* Philosophia naturalis[2], Friburgi 1897, 399 sqq).

e) *Sicut species sacramentales possunt agere, ita etiam corrumpi possunt.* Corruptis speciebus panis et vini, non iam adest corpus et sanguis Christi, quia ad veritatem sacramenti requiruntur hae species

et non aliae. *S. Thomas* censet recedente corpore Christi miraculose conservari species sine subiecto (3, q. 77, a. 5). Alii theologi plerique censent a Deo sub corruptis speciebus produci illam materiam, quam naturae cursus postularet, si ante corruptionem permansisset substantia panis et vini. Ita *Suarez* (De euchar. disp. 57, sect. 3, n. 3), *Gonet* (De euchar. disp. 6, a. 5, n. 37), alii. Similiter odor potest ita explicari, ut minimae particulae, quae a reliqua quantitate separantur, non iam sint species sacramentales, sed sub se contineant substantiam naturaliter correspondentem. Sed haec sunt incerta et opinabilia tantum.

Dicendum non est corruptis speciebus corpus Christi converti in aliam materiam, tum quia corpus Christi non desinit esse simpliciter, sed solum desinit esse in sacramento; tum quia non desinit esse hic, ut alia materia succedat, vel quia alia materia accedit, sed desinit esse, quia destructum est signum sacramentale; et corpore Christi recedente accedit alia materia.

f) *Unio corporis Christi cum speciebus* non ita concipienda est, quasi corpus Christi sit subiectum specierum sensibilium, quia corpus Christi non calefit neque madefit neque maculatur, si haec accidunt in speciebus, sed est prorsus impassibile, ut docent omnes theologi (cf. *S. Thomas* 3, q. 77, a. 1; *Suarez,* De euchar. disp. 47, sect. 3). Per se sufficit dicere Christum esse sub speciebus, quia vult. Haec esset unio pure externa. Unitas autem sacramenti magis servatur, si admittimus corpus Christi ut instrumentum divinitatis habere virtutem aliquam sibi uniendi species sacramentales et effective supplendi defectum propriae earum substantiae. Ita censent *Suarez* l. c., *de Lugo* (De euchar. disp. 6, sect. 2), alii. Quia vero haec unio non est ad modum informationis, neque corpus Christi eucharisticum habet modum exsistendi in loco quantitativum, corpus Christi eucharisticum neque recipit passionem ab alio corpore externo neque naturaliter in corpus externum agere potest. Quare improprie tantum potest dici videri vel videre, tangi vel tangere, similia. Solae denominationes locales, ut moveri, elevari etc., dicuntur proprie de corpore Christi eucharistico, non tamen per se sed per accidens, i. e. ratione specierum (cf. *S. Thomas* q. 76, a. 6 sq; *Suarez* l. c. disp. 53).

Prop. XVI. Christus totus est sub utraque specie sacramentali, totus in qualibet parte specierum post separationem et ante separationem.

132. ***Stat. quaest.*** Cum Christus instituerit eucharistiam sub speciebus panis et vini, quaestio oritur, sitne sub specie panis solum corpus Christi, et sub specie vini solus sanguis Christi. Respondet ecclesia sub utraque specie esse totum Christum secundum humanitatem et divinitatem. Hoc est de fide. Dein vero quia eucharistia potest dividi in partes specierum panis et vini, secunda quaestio oritur, sitne hac

separatione facta Christus totus sub singulis partibus. Respondet ecclesia affirmative. Haec quoque doctrina est de fide. Potest tertio quaeri, sitne iam ante separationem Christus sub qualibet parte specierum. Ad hanc quaestionem ecclesia non respondit; sed responsum affirmativum est theologice certum, etsi olim pauci aliter senserint.

133. **Prob. pars I.** *Christus totus est sub specie panis et totus sub specie vini.* Nam per verba «Hoc est corpus meum» praesens fit corpus Christi, quod est inseparabiliter unitum cum sanguine, anima et divinitate Christi (cf. Rom 6, 9). Atqui ex iis, quae sunt inseparabiliter unita, unum non potest praesens fieri sine ceteris. Ergo ubi est corpus Christi, ibi est totus Christus; et ubi est sanguis Christi, ibi est totus Christus. Quare Christus ipse, cum dixisset manducandam esse carnem et bibendum sanguinem suum, etiam dixit: «Qui manducat me, et ipse vivet propter me» (Io 6, 58). S. Paulus ait: «Quicumque manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini» (1 Cor 11, 27).

Concilium tridentinum (sess. 13, c. 3) ait: «Semper haec fides in ecclesia fuit statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque vi naturalis illius conexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri» (*Denz.* n. 876). Id iam definiverat *concilium constantiense* (*Denz.* n. 626; cf. 698).

Concilium tridentinum ad declarandam doctrinam distinguit inter id, quo fit «vi verborum», et quod fit «ex concomitantia». Quae distinctio habet hunc sensum: *Vi verborum praesens fit illud, quod verba formaliter significant,* seu quo absente verba essent falsa. Verba autem «Hoc est corpus meum» nihil formaliter significant nisi adesse corpus Christi; ergo vera manent, dummodo corpus Christi adsit, sive cum sanguine, anima, divinitate, sive sine iis. Idem valet de sanguine. *Per concomitantiam est in sacramento, quod adest propter inseparabilem nexum tantum, quem habet cum iis, quae adsunt vi verborum.* Ita docent *S. Thomas* (3, q. 76, a. 1 sq), *Suarez* (De euchar. disp. 51, sect. 1 sqq), *de Lugo* (De euchar. disp. 8, sect. 4), ceteri theologi.

134. **Prob. pars II.** *Christus totus est in qualibet parte specierum separatione facta.* Haec fides evidenter apparet in liturgiis. E. g. *in liturgia S. Ioannis Chrysost.:* «Frangitur et dividitur agnus Dei, qui frangitur, at non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur»

(*Goar,* Euchol. 81). In *liturgia S. Ambrosii* in praefat. Dominicae V post Epiph.: «Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis.» In liturgia *romana* in sollemnitate corporis Christi: «Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.» Idem docent theologi unanimiter. *Concilium tridentinum* sess. 13, can. 3 definivit: «Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, A. S.» (*Denz.* n. 885). Idem docetur in Decreto pro armenis (*Denz.* n. 698).

Idem *ratio* confirmat; nam Christum in partes discerpi dedecet; immo propter eius impassibilitatem et sacramentalem exsistendi modum sine dimensione quantitativa est impossibile; neque ulla ratio est, cur sub hac particula panis sit potius haec pars Christi quam alia, cum Christus per modum substantiae sit, ubicumque est species panis et vini.

135. **Prob. pars III.** *Totus Christus est in singulis partibus specierum ante separationem factam.* Haec doctrina a theologis ut certa statuitur (cf. *Suarez,* De euchar. disp. 52, sect. 2, n. 2). Probatur ex verbis consecrationis. Nam verbis «Hoc est corpus meum» praesens significatur et efficitur substantia corporis Christi loco substantiae panis, non autem loco quantitatis dimensivae; nam haec remanet ex pane. Atqui substantia panis non minus erat sub una parte quam sub alia. Ergo etiam substantia corporis Christi non minus est sub una parte quantitatis dimensivae quam sub alia. Sicut verba consecrationis indifferenter significant totum, de quo dicuntur, et quamlibet partem totius, et sicut tota species panis et quaelibet pars eius indifferenter significat Christum praesentem, ita Christus indifferenter praesens est sub qualibet parte specierum. Et sicut post separationem, ita ante separationem nulla ratio est, cur in hac parte potius sit caput Christi quam pedes vel aliae partes. Si aliter esset, corpus Christi redactum esset in figuram omnino distortam secundum varias figuras hostiarum, quod admittere non convenit dignitati sacramenti. Tandem in hac suppositione per separationem in partibus separatis producerentur vel adducerentur partes Christi, quae ibi antea non erant. Hoc autem sine ulla ratione asseritur. Ergo Christus etiam ante separationem est totus sub singulis partibus specierum. Non tamen ante separationem adest pluries, quia pluralitas numeri sequitur divisionem, sicut in uno pane indiviso est una tantum substantia panis, et substantiae numerantur tantum post divisionem (*S. Thomas* 3, q. 76, a. 3 ad 1). *Concilium tridentinum,* quod in can. 3 addiderat «separatione facta», in cap. 3 hanc additionem omittit: «Totus et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie et sub eius partibus exsistit» (*Denz.* n. 876).

136. *Obi. I.* Corpus Christi non est ubique, ubi est divinitas Christi. Ergo a pari non necessario, ubicumque est corpus Christi, etiam sunt eius sanguis, anima, divinitas.

Resp. *Nego paritatem.* Nam divinitas est, ubi non est corpus, non per aliquam separationem sed ratione immensitatis; corpus autem Christi non posset esse in eucharistia sine sanguine, anima, divinitate, nisi ab iis separaretur.

Dices: Corpus Christi etiam inseparabiliter nexum est cum sua quantitate. Atqui secundum ea, quae dicta sunt, corpus Christi in eucharistia separatum est a sua quantitate. Ergo haec doctrina est falsa.

Resp. *Dist. mai.:* Corpus Christi inseparabiliter nexum est cum ipsa sua quantitate, *conc. mai.;* cum omnibus effectibus, quos quantitativus exsistendi modus habet in hominibus mortalibus, *neg. mai. Dist. min.:* Secundum dicta corpus Christi in eucharistia est sine ipsa sua quantitate, *neg. min.;* est sine effectibus, quos quantitas habet in hominibus mortalibus, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Theologi concedunt Christum in eucharistia non habere extensionem localem, sed simul docent *quantitatem corporis Christi esse in eucharistia per concomitantiam.* Ita *S. Thomas:* «Ex vi quidem sacramenti [seu vi verborum] quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento; ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud, in quod directe conversio terminatur. Conversio autem, quae fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius, quod patet ex hoc, quod quantitas dimensiva panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est, quod ex vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi et omnia accidentia eius. . . . Quia igitur ex vi huius sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva eius est ibi concomitanter et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum (ut scilicet sit tota in toto, et singulae partes in singulis partibus), sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte» (3, q. 76, a. 4).

Quid igitur est *de conceptu quantitatis?* Et quid absolute per omnipotentiam divinam ab ea separari potest? Imprimis de essentia quantitatis sunt partes realiter distinctae. Dein si agitur non de quanto homogeneo sed de corpore organico, hae partes necessario inter se certo modo ordinatae sunt, ut patet in corpore humano. Tertio requiritur vis aliqua vel vires, quibus partes organicae debito ordine iuxta se ponuntur et cohaerent. Si haec vis vel hae vires conaturalem suum effectum habent, sequitur, ut, ubi est una pars, non sint aliae partes. Haec est extensio interna actualis, quam ex conotatione spatii ambientis sequitur extensio externa localis. Si vero omnipotentia divina hunc effectum cohibet, *non iam adest nisi extensio interna aptitudinalis.* Quamquam non positive intellegimus, quomodo hoc fieri possit, non tamen potest in hac re ostendi ulla repugnantia (cf. *Suarez* disp. 48, sect. 1; *T. Pesch,* Instit. philos. natur.[2], n. 347 sqq).

Itaque corpus Christi in sacramento non est *circumscriptive,* quia aliae partes non sunt alio loco, sed potius ibi est ad modum spiritus, qui, ubicumque est, totus est. Neque tamen est *definitive,* sicut angelus est alicubi,

ita ut non sit simul alibi, quia corpus Christi simul est multis locis. Unde haec est praesentia sui generis, quae potest vocari *praesentia sacramentalis* (*S. Thomas* 3, q. 76, a. 5).

137. *Obi. II.* Si corpus Christi in omnibus hostiis consecratis praesens est, simul a se distat et non distat, movetur et quiescit, habet in caelo sensationes, in sacramento non habet sensationes. Atqui haec sunt contradictoria. Ergo tota haec doctrina admitti nequit.

Resp. *Dist. mai.:* Haec omnia dicuntur secundum eundem respectum, *neg. mai.;* secundum diversos respectus, *conc. mai.* *Dist. min.:* Haec essent contradictoria, si dicerentur secundum eundem respectum, *conc. min.;* si dicuntur secundum diversos respectus, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Cum corpus Christi in eucharistia non habeat relationes ad locum, per se non potest a se distare, sed solum ratione specierum. Ergo diversae species, sub quibus est corpus Christi, distant inter se; hoc loco moventur, alio loco quiescunt, similia, quae non habent in se contradictionem; de corpore autem Christi haec omnia dicuntur non ratione sui sed unice ratione specierum. Cognitiones autem, quas Christus in caelo habet, etiam in eucharistia retinet; novas tamen sensationes acquirit in solo statu caelesti, non in statu sacramentali (saltem non naturaliter). Ergo neque in hac re idem de eodem secundum idem simul affirmatur et negatur.

138. *Obi. III.* SS. Patres dicunt corpus Christi in eucharistia frangi et similia, quae postulant dimensionem localem. Ergo recedimus a doctrina horum Patrum.

Resp. *Dist. antec.:* SS. Patres dicunt corpus Christi frangi sensu proprio, *neg. antec.;* sensu improprio, *conc. antec.* Propterea addunt corpus Christi frangi quidem sed non minui neque consumi (supra n. 134), quia scilicet solum frangitur, quatenus franguntur species, sub quibus est corpus Christi.

PARS II.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 73 sq 78 sqq; *Bellarminus,* De eucharistia l. 4; *Suarez,* De euchar. disp. 39 sqq; *De Lugo,* De euchar. disp. 1 sqq; *J. Behringer,* Die heilige Kommunion in ihren Wirkungen und ihrer Heilsnotwendigkeit, Regensburg 1898; *J. Souben,* Les sacrements I 143 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 299 sqq; *Sasse,* De sacramentis I 435 sqq.

Prop. XVII. **Materia, ex qua sacramentum eucharistiae conficitur, sunt panis triticeus et vinum de vite; forma vero sunt verba: «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus».**

139. **Stat. quaest.** a) *Eucharistiam esse sacramentum novae legis* patet ex iis, quae hucusque diximus. Est enim visibile signum invisibilis gratiae, a Christo perenniter institutum. Haec doctrina admittitur ab ecclesia occidentali et orientali, et definita est a *conciliis lateranensi IV* (*Denz.* n. 430) et *tridentino* sess. 7, can. 1 (*Denz.* n. 844; cf. supra n. 6).

Differt tamen eucharistia ab aliis sacramentis eo, quod *est sacramentum permanens.* Quia tamdiu est sacramentum, quamdiu Christus in eucharistia permanet, Christus autem permanet, quamdiu manent species panis vel vini; nam sine ulla temporis limitatione pronuntiavit: «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus». Idem docet traditio, quae inde a *Tertulliano* (Ad uxor. l. 2, c. 5) testatur eucharistiam sive in ecclesiis sive in domibus fidelium servatam esse. *S. Cyrillus Alex.* ad Calosyrium scribit: «Audio alios esse, qui mysticam eulogiam nihil ad sanctificationem iuvare dicant, si quid ex ea fit reliqui in alium diem; insaniunt vero, qui haec asserunt; neque enim alteratur Christus neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetuo in illa exsistit» (*M* PG 76, 1075). Quibus verbis iam in antecessum reiectus est posterior error lutheranorum, dicentium in solo usu eucharistiae adesse corpus et sanguinem Christi. Hunc errorem damnavit *concilium tridentinum* sess. 13, can. 4: «S. q. d. peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, A. S.» (*Denz.* n. 886).

Christus in eucharistia adorandus est, ut idem concilium ait can. 6: «S. q. d. in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum . . . A. S.» Can. 7: «S. q. d. non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, A. S.» (*Denz.* n. 888 sq). Cum doctrina catholica omnes orientales consentiunt. Id iam patet ex «missa praesanctificatorum», quae in ecclesia latina die tantum Parasceves, apud orientales saepius in Quadragesima celebratur. In hac enim «missa» hostia antea consecrata colitur et sumitur.

b) His igitur suppositis dicendum est *sacramentum permanens eucharistiae esse corpus Christi sub speciebus.* Species enim, quatenus verbis formae determinatae sunt ad significandum corpus Christi, sunt signum sensibile, corpus vero Christi est id, quo hoc sacramentum est efficax gratiae. Est quaedam disputatio inter theologos, utrum dicendum sit: Species continentes corpus Christi sunt sacramentum; an dicendum sit: Corpus Christi sub speciebus est sacramentum; an: Corpus Christi et species simul constituunt sacramentum. Haec ultima sententia est communior (cf. *Suarez,* De euchar. disp. 42, sect. 3); sed res non est magni momenti, quia est quaestio de modo loquendi tantum. Idem valet de sententia communiter recepta hoc sacramentum intrinsecus constitui verbis formae moraliter permanentibus et in ratione signi materiam determinantibus. Communis quoque est alius loquendi modus de eucharistia, scilicet: In eucharistia species sunt sacramentum tantum;

corpus Christi est res sacramenti et sacramentum; gratia sacramento producta est res sacramenti tantum (cf. supra n. 28). Ita docet *Innocentius III* (*Denz.* n. 415).

c) Restat quaestio de materia, ex qua, et de forma, qua conficitur eucharistia. *De materia* non est diversitas opinionum quantum ad panem triticeum et vinum de vite. Solum quaeritur, qui panis sit triticeus, et quid requiratur, ut habeatur vinum de vite. De hac re multae inquisitiones fieri possunt, quae potius pertinent ad theologiam moralem (cf. *Lehmkuhl* II[11], n. 159 sqq). Latini consecrant panem azymum, graeci panem fermentatum. Utraque materia est valida.

De forma vero gravior est disputatio cum orientalibus schismaticis, qui iam per plura saecula docent non solis verbis: «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus», fieri consecrationem, sed insuper requiri *epiclesim,* i. e. orationem, qua Deus rogatur, ut mittat Spiritum Sanctum ad convertenda panem et vinum in corpus et sanguinem Christi. Contraria doctrina est certa.

Quidam theologi putant ad verba: «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus», necessario addenda esse alia verba, quae in canone praescribuntur, ut sensus magis determinetur (cf. *Suarez,* De euchar. disp. 59, sect. 1; disp. 60, sect. 1). De hac re ecclesia nihil definivit.

140. **Prob. pars I.** *Materia, ex qua eucharistia conficitur, est panis triticeus et vinum de vite.* In S. Scriptura Christus dicitur consecrasse panem et vinum. Fuisse vinum de vite tum per se patet, quia «vinum» sine alia voce addita significat vinum de vite, tum efficitur ex verbis Matthaei, qui statim post institutionem eucharistae addit: «Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis» (Mt 26, 29). Panem fuisse triticeum non diserte dicit Scriptura, sed efficitur ex doctrina traditionis. Hoc iam testatur *Irenaeus* (Contra haer. l. 4, c. 18, n. 4). In *decreto pro armenis* docetur: Eucharistiae «materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet» (*Denz.* n. 698). Cur aqua admisceatur, ibidem exponitur et in *concilio tridentino* sess. 22, c. 7 (*Denz.* n. 945), quod addit hunc canonem: «S. q. d. . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, A. S.» (cf. *Denz.* n. 956). In *Missali Rom.* (De defect. III) statuitur: «Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum.» *Catechismus Rom.:* «Nullus panis nisi triticeus apta ad sacramentum materia putandus est; hoc enim apostolica traditio nos docuit, et ecclesiae catholicae auctoritas firmavit» (Pars II, c. 4, n. 13). Consentiunt theologi omnes (*Suarez* disp. 44, sect. 1) neglecta singulari opinione *Caietani* et *Biel*, qui putabant omnem panem, ex quocumque frumento confectum, esse materiam validam (cf. *S. Thomas* 3, q. 74, a. 3).

Cum quidam graeci docere coepissent panem azymum non valide consecrari (cf. *Denz.* n. 350), *concilium florentinum* definivit: «in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici» (*Denz.* n. 692). Sacra Scriptura clare testatur Christum primo die azymorum consecrasse panem (Mt 28, 17. Mc 14, 12. Lc 22, 7). Sed quia fermento non mutatur essentia panis, ad validitatem uterque panis sufficit; et sacerdotes variarum ecclesiarum leges sui ritus sequi debent. Qui fuerit mos temporibus apostolicis, disputant eruditi (cf. *Wirceburgenses,* De euchar. n. 293 sqq).

Olim *encratitae* pro vino in eucharistiae celebratione substituerant aquam, quare *hydroparastatae* seu *aquarii* vocabantur. Ante aliquot annos *A. Harnack* librum edidit (Brot und Wasser, die eucharistischen Elemente bei Justin), quo probare conatus est veteres christianos indifferenter adhibuisse vinum aut aquam ad eucharistiam conficiendam. At omnes concedunt conatum cassum fuisse. Refutationem scripsit *Al. Scheiwiler* (Die Elemente der Eucharistie in den drei ersten Jahrhunderten, Mainz 1903).

Alia quondam fuit disputatio, quid fieret de aqua, quae vino admiscetur. *Innocentius III* ait: «Inter opiniones praedictas illa probabilior iudicatur, quae asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari» (*Denz.* n. 416). Hanc sententiam omnes scholastici defendunt (*S. Thomas* 3, q. 74, a. 8; *Suarez,* De euchar. disp. 45, sect. 4, n. 3). Ratio est, quia verbis «Hic est sanguis meus» designatur totum contentum in calice. Quia totum consecratur, sacerdos sumpto toto censetur ieiunus, sed sumpta ablutione non iam est ieiunus. Sed modica tantum aqua, nihil aliud, est admiscendum. *Missale* (De defect. IV) ait: «Si vinum sit factum penitus acetum vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum. Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre vel mustum de uvis tunc expressum . . . vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.»

141. **Prob. pars II.** *Forma consecrandae eucharistiae sunt verba Christi: «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus»*, seu quod idem est: «Hic est calix sanguinis mei». Nam a) evangelista et S. Paulus censendi sunt voluisse indicare omnia, quae necessaria sunt ad eucharistiam celebrandam, cum efferant praeceptum Christi hoc faciendi in sui commemorationem. Narrant autem Christum benedixisse et de pane et vino protulisse illa verba, quae supra (n. 103) relata sunt; non vero indicant ullam aliam formam vel orationem, qua Christus consecraverit. *Ambrosius Catharinus* quidem libro «Quibus verbis Christus eucharistiae sacramentum confecerit» (qui liber est in Indice librorum prohibitorum) docet Christum illa verba «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus» historice tantum dixisse, et sic etiam

nunc a sacerdotibus dici, et ideo alias preces necessarias esse. Sed hoc est improbabile; nam cum neque Scriptura neque traditio doceat, quae sint alia illa verba, divinando forma consecrationis excogitanda esset. Ex altera vero parte verba, quae in Scriptura referuntur, determinate significant praesentiam corporis et sanguinis Christi; ergo sufficiunt ad constituendam formam sacramenti. Benedictio autem, de qua loquuntur evangelistae, aut refertur ad ipsam formam sacramenti, quae est vera benedictio panis et vini; aut significat aliquid praecedens ipsam consecrationem, quemadmodum innuit *concilium tridentinum,* quod ait sess. 13, c. 1: Christus *post* benedictionem protulisse diserta ac perspicua verba «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus» (*Denz.* n. 874).

b) Si consulimus traditionem, multa et manifesta testimonia adsunt. *S. Iustinus* ait eucharistiam consecrari oratione, quae contineat verba Christi, δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ (Apol. I, n. 66). *Tertullianus:* «Acceptum panem et distributum discipulis suis corpus illum suum fecit, ‚Hoc est corpus meum' dicendo» (Adv. Marc. l. 3, c. 19). *S. Gregorius Nyss.:* «Hic panis sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento transmutatur, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: Hoc est corpus meum» (Orat. catech. c. 37). *S. Ioannes Chrysost.:* «Figuram Christi implens stat sacerdos, verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est. ‚Hoc est corpus meum', inquit. Hoc verbum transformat ea, quae proposita sunt» (De prodit. Iudae hom. 1, n. 6). *S. Ambrosius:* «Quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur» (De myst. c. 9). Et in libro 4 «De sacramentis» c. 4: «Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam et reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.»

c) In *concilio florentino* voluerunt latini, ut in definitione diceretur solis verbis divinis fieri consecrationem. Sed graeci «dixerunt, quod hoc non erat necessarium; immo si poneretur, ecclesia eorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuisset aliud. Unde cum semper fuerimus concordes, in hoc diffinitio non debet fieri» (*Hardouin,* Collect. concil. IX 981). Dein *Bessarion* suo et aliorum nomine professus est coram summo pontifice: «Quoniam ab omnibus sanctis doctoribus, maxime ab illo beato Ioanne Chrysostomo, nos audivimus verba dominica esse, quae mutant et transsubstantiant panem illum in corpus Christi et vinum in sanguinem, et quod divina verba illa salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, de necessitate ipsum doctorem et eandem suam sententiam sequimur» (l. c. 983). *Eugenius IV*

in decreto pro armenis ait: «Forma huius sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur» (*Denz.* n. 698). Idem colligitur ex *concilio tridentino* sess. 13, c. 3, secundum quod statim post consecrationem est corpus Christi sub specie panis, et sanguis Christi sub specie vini *ex vi verborum* (*Denz.* n. 876), quod ad sola verba «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus» referri potest.

Pius VII litteris apostolicis die 8 Maii 1822 ad patriarcham antiochenum graecorum melchitarum datis in virtute oboedientiae omnibus et singulis praecepit, «ut non auderent sive in publico sive privatim defendere ac tueri opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, qua docetur formam, qua vivificum sacramentum perficitur, non in solis Iesu Christi verbis consistere» (*Laemmer*, In decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis, Friburgi 1865, 56). *Pius X* declaravit ecclesiam non posse permittere sententiam, «quae tenet apud graecos verba consecrationis effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa, quam epiclesim vocant» (Acta apost. sedis 1911, 119).

His efficitur epiclesim non esse partem essentialem formae, sed totam formam consistere in verbis Christi, quae a sacerdote non mere historice recitantur, sed per modum propositionis practicae nomine Christi super materiam praesentem pronuntiantur. Hanc doctrinam proposuerunt *Benedictus XII* et *Clemens VI* (apud *Raynaldum*, Annal. ad a. 1341, n. 68, et ad a. 1351, n. 11).

142. *Obi. I.* Verba «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus», in ore sacerdotis per se significant corpus et sanguinem sacerdotis. Ergo ad validitatem necessario addenda sunt verba, quae in canone praecedunt: «Qui pridie quam pateretur» etc., ut pateat ea dici in persona Christi.

Resp. *Dist. antec.* Nisi sacerdos habet intentionem verba illa pronuntiandi nomine Christi, significant corpus et sanguinem sacerdotis, *trans. antec.* Si vult ea pronuntiare nomine Christi, significant corpus et sanguinem sacerdotis, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* *Scotus* quidem putabat verba praecedentia canonis requiri; sed *S. Thomas* (3, q. 78, a. 1 ad 4) et plurimi theologi censent determinationem sensus verborum fieri intentione ministri (cf. supra n. 47 sqq).

143. *Obi. II.* *S. Thomas* docet omnia verba incipiendo ab «Hic est calix sanguinis mei» usque ad «Haec quotiescumque feceritis» esse essentialia. «Praedicta verba sunt de substantia formae, sed per prima verba, cum dicitur: ‚Hic est calix sanguinis mei', significatur ipsa conversio vini in sanguinem . . . per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc sacramento» (3, q. 78, a. 3). Ergo omnia verba, quae super calicem dicuntur, sunt essentialia.

Resp. *Transeat totum.* Teneat hanc sententiam, qui vult. Omnia enim verba, quae praescribuntur in consecratione calicis, exceptis illis «mysterium

fidei», sunt verba Christi, quae ab evangelistis referuntur. Quaestio autem, quae in thesi proponitur, est, num praeter verba Christi alia oratio requiratur.

Ceterum multi thomistae, ut *Dom. Soto* (In 4, dist. 11, q. 1, a. 3) dicunt S. Thomam non loqui de essentia sed de substantia seu de integritate formae sacramentalis. Hoc fundamentum habet in ipso textu, quia S. Thomas dicit verbis «Hic est calix sanguinis mei» significari conversionem vini in sanguinem, ceteris autem verbis efficaciam sanguinis Christi. Atqui verbis, quae significant conversionem, etiam efficitur conversio, quia formae sacramentales significando efficiunt. Sicut verbis «Hoc est corpus meum» fit conversio panis, ita verbis «Hic est calix sanguinis mei» fit conversio vini. Haec est doctrina communissime recepta (cf. *Suarez,* De euchar. disp. 60, sect. 1; *De Lugo* disp. 11, sect. 4). Alio loco (In 4, dist. 8, q. 2, a. 2) *S. Thomas* ait: Verba «illa, quae sequuntur, sunt essentialia sanguini». Si hic vox «essentialia» premitur, haec sententia a plurimis theologis recepta non est (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor II[11], n. 171). Ratio est, quia in variis liturgiis modo haec modo illa ex istis verbis desunt.

144. Obi. III. Secundum doctrinam quorundam Patrum et secundum usum liturgiarum orientalium consecratio fit epiclesi seu invocatione, qua post recitata verba «Hoc est corpus meum», «Hic est sanguis meus» Deus rogatur, ut transsubstantiationem efficiat. Ergo non sola verba Christi sunt essentialia.

Resp. *Neg. antec.* Nam quod SS. Patres attinet, primis tribus saeculis verba invocationis in nullo documento leguntur. Vox epiclesis legitur quidem, etiam de eucharistia, sed nondum habet illam determinatam significationem. E. g. *S. Irenaeus* ait: «Panis percipiens invocationem Dei iam non communis panis est sed eucharistia» (Contra haer. l. 4, c. 18, n. 5). Sed postea dicit: «Panis percipit verbum Dei (λόγον τοῦ Θεοῦ), et fit eucharistia» (l. 5, c. 2, n. 2). Ergo invocationem intellegit verba Christi, sicut in fragmento 35 formam baptismi vocat epiclesim (*M* PG 7, 1248). Alii quidam Patres orationes omnes canonis simul sumptas vocant epiclesim, et verbis canonis attribuunt consecrationem, non distinguentes, quae sint verba essentialia aut non essentialia.

Sensum epiclesis in liturgiis orientalibus graeci in concilio florentino exposuerunt duplici modo: a) Epiclesis, etsi tempore sequitur consecrationem, tamen secundum sensum refertur ad tempus ante consecrationem. De qua re *Bessarion* ait: «Quodsi rerum natura tale aliquod verbum pati posset, quod mox et sine alicuius temporis intervallo rem omnem exprimeret, profecto nos simul et eodem tempore cum verbis Domini cetera omnia pronuntiaremus. . . . Ceterum quoniam natura rerum id vetat, necesseque est per intervalla temporis unum post aliud verbum pronuntiare . . . oportet haec aliaque huiusmodi non tamquam in tempore, in quo dicuntur, ted tamquam in tempore, pro quo dicuntur, ita intellegere, ac si tempus illud maneret minimeque deflueret» (De sacram. euchar.; *M* PG 161, 516 sq).

b) Epiclesis praeterea est oratio, qua Deus rogatur, ut eucharistiam efficiat *nobis* corpus et sanguinem Christi, seu ut eam salutarem nobis esse concedat. Ita in sess. 25 concilii graeci declararunt: «Fateri nos diximus per haec verba [Hoc est corpus meum] transsubstantiari sacrum panem et fieri corpus Christi; sed postea, quemadmodum et ipsi dicitis: ,Iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum', ita nos quoque

oramus, dicentes: ut Spiritus Sanctus descendat super nos et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa Spiritu Sancto, ut fiant communicantibus in purgationem animae» (*Mansi,* Collect. conc. XXXI 106); cf. *Saville* in Dictionnaire de théologie catholique s. v. Épiclèse eucharistique; *H. Hoeller,* Die Epiklesis der griech.-orient. Liturgie, Wien 1912.

Prop. XVIII. Effectus sumptionis eucharistiae est specialis animae et corporis cum Christo unio.

145. **Stat. quaest.** Cum eucharistia instituta sit per modum spiritualis cibi et potus, nemo autem cibum sumat, nisi qui vivat, patet *eucharistiam esse sacramentorum vivorum, non mortuorum.* Quare apostolus monet: «Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini» (1 Cor 11, 28 sq). Indigne manducare nihil aliud est ex contextu nisi cum conscientia peccati mortalis manducare. Ita concors est doctrina Patrum. *S. Cyprianus* reprehendit sacerdotes, qui lapsos celerius ad communionem admittebant: «Nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu iis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini» (Ep. 16, n. 2; ed. *Hartel*). *S. Ambrosius:* «Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus... ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet» (In Luc. l. 6, n. 70). Idem docent theologi, ut *S. Thomas:* «Ille, qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulat sibi peccatum, quam remissionem sui peccati consequatur» (3, q. 79, a. 3).

Cum *Lutherus* in libro «De captivitate babylonica» in fine tractatus de eucharistia docuisset eucharistiam esse medicinam omnium peccatorum praeteritorum, praesentium, futurorum, dummodo quis eam indubitata fide reciperet, *concilium tridentinum* sess. 13, c. 7 et can. 11 hanc doctrinam damnavit, simulque docet nullum peccati mortalis sibi conscium absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debere (*Denz.* n. 880 893).

Ergo eucharistia non confert primam gratiam sed augmentum gratiae, quia omne sacramentum rite susceptum confert aut primam gratiam aut secundam (supra n. 15). Restat igitur quaestio, quis sit effectus sacramenti eucharistiae proprius. Dicimus esse unionem specialem animae et corporis cum Christo.

146. **Prob. pars I.** *Effectus eucharistiae est specialis unio animae cum Christo.* Hoc ipse Christus testatur: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Qui manducat me, et ipse vivet propter me» (Io 6, 57 sq). Unio cum Christo con-

sistit in caritate. Ergo sacramentum eucharistiae directe ordinatur ad augendam caritatem propter se ipsam. *S. Ioannes Chrysost.:* «Volens nobis ostendere amorem, quem habet erga nos, propterea se nobis admiscuit, et corpus suum nobis inseruit, ut unum quid simus, sicut corpus iunctum capiti. Ardenter enim amantium hoc argumentum est. . . . Ut leones ergo ignem spirantes ab illa mensa recedamus, diabolo terribiles» (In Ioan. hom. 45 vel 46, n. 2 sq). *S. Augustinus:* «Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat» (In Ioan. tract. 26, n. 13). *S. Thomas:* «Hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute caritatis. Unde *Damascenus* l. 4 orth. fid. c. 14 a medio comparat hoc sacramentum carboni, quem Isaias vidit, Is. 6 [cf. supra n. 127]. Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni; ita et panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati. Sicut autem *Gregorius* dicit in homilia Pentecostes (30 in evang., parum a principio), amor Dei non est otiosus; magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum secundum illud 2 Cor 5, 14: ‚Caritas Christi urget nos.' Et inde est, quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae secundum illud Cantic. 5: Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi» (3, q. 79, a. 1 ad 2). *Suarez:* «Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae [cf. supra n. 9 et 20], at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore eius» (De euchar. disp. 63, sect. 1, n. 3).

Concilium tridentinum sess. 13, c. 2: «Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me, et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput exsistit, cuique nos tamquam membra artissima fidei, spei et caritatis conexione adstrictos esse voluit» (*Denz.* n. 875; cf. n. 1981). Eucharistia

delet peccata venialia et praeservat a mortalibus, quia caritas excludit peccatum mortale, et fervor caritatis opponitur directe peccato veniali. Cum hoc sacramentum suscipiatur per modum cibi et potus, *Eugenius IV* in decreto pro armenis ait: «Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem» (*Denz.* n. 698). Non vero directe hoc sacramento remittuntur poenae temporales, quia hae non obstant caritati, sed indirecte remittuntur propter actus caritatis, ad quos homo excitatur (*S. Thomas* 3, q. 79, a. 5). Alii tamen censent etiam directe remitti poenas temporales hoc sacramento.

147. **Prob. pars II.** *Effectus eucharistiae est specialis unio corporis nostri cum Christo.* Quatenus caritas et aliae virtutes infusae etiam effectus aliquos in corpus exercent, cum sine corporis cooperatione actus virtutum fieri nequeant, per se patet eucharistiae effectum non in sola anima esse sed etiam aliquatenus ad corpus extendi. Sed SS. Patres eucharistiae effectum magis immediatum in corpus tribuere videntur, maxime ratione immortalitatis. Ita *S. Irenaeus* arguit contra gnosticos: «Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur. . . . Corpora nostra, percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia» (Contra haer. l. 4, c. 18, n. 5). *S. Gregorius Nyss.:* «Dispensatione gratiae se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, commixtus corporibus fidelium . . . ut unione cum immortali etiam homo particeps fiat incorruptionis» (Orat. catech. c. 37). *S. Cyrillus Alex.:* «Quidnam Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile sed eulogiam potius illam, quae est in participatione sanctae carnis et sanguinis, quae integrum hominem ad incorruptionem revocat. . . . Vivificat igitur sanctum Christi corpus eos, in quibus fuerit, et in incorruptione conservat, nostris coniunctum corporibus» (In Ioan. l. 3, c. 6). Similiter alii Patres. Eadem est doctrina theologorum, ut *Suarez* (De euchar. disp. 64), *De Lugo* (De euchar. disp. 12, sect. 5), *Franzelin* (De euchar. thes. 19).

Christus dixit: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die» (Io 6, 55). Si per sacram communionem «concorporei et consanguinei Christi» efficimur, ut ait *S. Cyrillus Hieros.* (Catech. 22, n. 4), valet quod apostolus ait: «Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam» (Eph 5, 29). Christus autem fovet carnem, quam contactu sacrae eucharistiae sacravit, quatenus temperat fomitem peccati et sic corpus praeparat ad beatam immortalitatem. «Christus, exsistens in nobis, sopit saevientem in membris nostris carnis legem, pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat» (*S. Cyrillus Alex.,* In Ioan. l. 4, c. 2). Utique haec intellegenda sunt pro condicione mortalis huius vitae, quae est tempus militiae, nondum per-

fectae victoriae. Unde pro dispositione divinae providentiae secundarii effectus huius sacramenti varii erunt in variis hominibus, cum principalis effectus augmenti gratiae invariabili lege secundum cuiusvis cooperationem producatur (cf. *Catech. Rom.* Pars II, c. 4, n. 47 sqq).

148. *Obi. I.* Ecclesia die cinerum in tertia Postcommunione orat: «Hoc tuum sacramentum sit . . . ablutio scelerum . . . sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium peccatorum.» Ergo ex mente ecclesiae eucharistia delet omnia peccata.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Eucharistia delet peccata, ut est sacrificium, *conc. conseq.,* quod postea explicandum erit. Eucharistia, i. e. sacra communio delet peccata, *subdist. conseq.:* directe, quasi per eam peccata mortalia remittantur, *neg. conseq.;* indirecte, quatenus nobis dat gratiam ad vitanda et detestanda peccata, *conc. conseq.*

S. Thomas addit: Est ablutio scelerum, quorum conscientiam non habemus. Quod sic explicat: «Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet, et remissionem peccati» (3, q. 79, a. 3). Plurimi theologi probabile censent peccatorem, qui cum bona fide et supernaturali attritione de omnibus peccatis eucharistiam suscipiat, vi sacramenti iustificari. Ratio est, quia peccator habens bonam fidem et attritionem, non ponit obicem gratiae; ex altera parte eucharistia est per se efficax ad producendam gratiam; ergo talis homo gratiam accipiet. Hoc per accidens fit, quia ad hoc sacramentum non est institutum; non est tamen contra intentionem Christi, qui sacramenta ita instituit, ut ad instar virium physicarum effectum suum producant, quoties non adest impedimentum seu obex. Ita docent e. g. *Bellarminus* (De euch. l. 4, c. 19 in fine) et *Suarez* (disp. 63, sect. 1, n. 10).

Si peccator actum perfectae contritionis elicit, iustificatur; et si hoc facit post acceptam communionem, quamdiu Christus sub speciebus praesens est, probabiliter effectum sacramenti consequitur. Haec est quaedam quasi *reviviscentia sacramenti,* quia per se eucharistia effectum producit in ipsa manducatione. Aliam autem reviviscentiam (cf. supra n. 53*b*) theologi non agnoscunt in hoc sacramento, quia eucharistia non pertinet ad ea sacramenta, quae repeti non possunt (cf. *De Lugo,* De euchar. disp. 9, sect. 6, n. 108; disp. 10, sect. 2, n. 46 sq).

149. *Obi. II.* Quidam homines post eucharistiae susceptionem non sunt magis ferventes quam antea, immo mox in peccata gravia recidunt. Ergo effectus eucharistiae non est fervor caritatis.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Eucharistia non tollit libertatem hominum neque ad fervorem eos necessitat, *conc. conseq.;* fervor caritatis non est specialis fructus huius sacramenti in hominibus debite cooperantibus, *neg. conseq.* Ob hoc ipsum, quod eucharistia excitat hominem ad caritatem, magis quam alia sacramenta exigit, ut homo convenientes affectus eliciat, quia prae ceteris virtutibus caritatem oportet esse spontaneam.

150. *Obi. III.* Materia corporis humani, quod contactu eucharistiae consecratum esse dicitur, in morte dissolvitur et fit essentialiter alia materia. Ergo eucharistia non conservat hoc corpus ad immortalitatem.

Resp. *Dist. antec.:* Materia corporis humani in morte ita dissolvitur, ut non resuscitetur essentialiter idem corpus, *neg. antec.;* ut essentialiter idem corpus resuscitandum et glorificandum sit, *conc. antec.* Et *neg. conseq.* (cf. tom. II, n. 436 sqq).

Schol. 1. De necessitate sacramenti eucharistiae.

151. a) *Eucharistia sacramentaliter suscipi non potest nisi ab homine baptizato,* quia baptismus est necessaria condicio susceptionis ceterorum sacramentorum. Ergo si homo non baptizatus speciem consecratam manducaret, esset susceptio pure materialis sine ulla sacramentali efficacia, quia eucharistia neque significat neque efficit nisi augmentum illius vitae, quam homo baptismo accepit. Etiam tum esset pure materialis susceptio, si baptizatus reciperet eucharistiam sine ulla intentione recipiendi sacramenti, e. g. si nesciret esse panem consecratum, quem manducaret (supra n. 53 *a*).

Omissa igitur hac susceptione pure materiali, duplex susceptio eucharistiae distinguitur: in re aut in voto; et quia susceptio in re potest esse fructuosa aut infructuosa, si scilicet cum obice suscipitur, habetur *triplex susceptio sacramenti eucharistiae,* de qua *concilium tridentinum* sess. 13, c. 8 docet «quosdam *sacramentaliter* dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum *spiritualiter,* illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro *sacramentaliter simul et spiritualiter;* hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant» (*Denz.* n. 881). Communio spiritualis seu explicitum votum communionis non producit effectum ex opere operato sed ex opere operantis (*S. Thomas* 3, q. 80, a. 1; cf. *Fr. de Vouille,* L'exercice de Communion spirituelle, Paris 1899).

b) *Susceptio sacramentalis eucharistiae non est necessaria necessitate medii,* ut baptismus. Ergo infantes baptizati sine eucharistiae sumptione salvantur (supra n. 106 *c* 107 *d*), quia ad salutem nihil requiritur nisi status gratiae, qui iam ante eucharistiae sumptionem praesupponitur. Contrariam doctrinam *concilium tridentinum* sess. 21, can. 4 damnavit (*Denz.* n. 937).

Latiore sensu necessitas aliqua eucharistiae admitti potest pro adultis, quatenus eucharistia est antidotum, quo a peccatis mortalibus praeservamur. Ergo si quis diu ex pura neglegentia abstinet ab hoc remedio peccatorum a Christo instituto, se exponit periculo graviter peccandi (*Suarez,* De euchar. disp. 40, sect. 2, n. 16).

Consequenter *neque votum eucharistiae proprie dictum est necessarium,* quia nemo debet ut medium necessarium optare, quod non est medium necessarium. Ceterum votum improprie dictum eucharistiae omnes baptizati habent vel habere debent, quia per baptismum volunt implicite saltem ius acquirere suscipiendi eucharistiam, et quia per

baptismum obligationem suscipiunt eucharistiam accipiendi, in quantum id praeceptum est. Hoc modo explicanda sunt quae docet *S. Thomas* 3, q. 73, a. 3 (cf. *Suarez* l. c. n. 22).

c) *Eucharistiae usus necessarius est necessitate praecepti divini et ecclesiastici.* Christus enim dixit: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis» (Io 6, 54). Cum his verbis non significetur necessitas medii, enuntiatur praeceptum divinum, sicut et illis verbis: «Hoc facite in meam commemorationem» (Lc 22, 19), quae S. Paulus ad omnes fideles extendit (1 Cor 11, 26). *S. Thomas* ait: «Manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto ecclesiae sed ex mandato Domini» (3, q. 80, a. 11). Idem docent alii theologi communiter, ut *Suarez* (De euchar. disp. 69, sect. 1) et *De Lugo* (De euchar. disp. 16, sect. 1) contra paucos dissentientes (cf. *Denz.* n. 875).

Ecclesia praeceptum divinum *quoad tempus impletionis* exactius determinavit in *concilio lateranensi IV:* «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti . . . suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum» (*Denz.* n. 437). *Concilium tridentinum* sess. 13, can. 9: «Si quis negaverit omnes et singulos christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae, A. S.» (*Denz.* n. 891).

Si quaeritur, *quando pueri censeantur ad annos discretionis pervenire,* respondit *congregatio de sacramentis* die 8 Aug. 1910: «Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad sacram communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis. . . . Cognitio religionis, quae in puero requiritur, ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est, qua fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad sanctissimam eucharistiam accedat. Obligatio, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est, in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum» (*Denz.* n. 2137 sqq). Cf. *Fr. Mueller* in Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1913, 504 sqq.

De obligatione ex praecepto divino accipiendi sacram communionem in articulo mortis ait *Suarez:* «Probabile est iure divino obligari hominem ad communionem in articulo mortis. . . . Haec sententia non est admodum recepta, et ideo solum illam affirmo ut probabilem et piam» (De euchar. disp. 69, sect. 3, n. 2). Nunc autem videtur ab omnibus fere esse recepta (*Lehmkuhl,* Theol. moral. II[11] n. 195 sqq);

neque tamen ullo argumento ita probatur, ut absolute certa dicenda sit (cf. *De Lugo,* De euchar. disp. 16, sect. 2, n. 25 sq).

Optat ecclesia, ut in singulis missis fideles adstantes communicent, ut ait *concilium tridentinum* sess. 26, c. 6 (*Denz.* n. 944). Quia vero inter theologos ortae erant vehementes disputationes de quaestione, quid requireretur, ut quis cotidie sacram communionem reciperet, *congregatio sacri concilii* his disputationibus finem imposuit declarando: «Communio frequens et cotidiana . . . omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut condicionis pateat, ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, impediri ab ea possit» (*Denz.* n. 1985).

d) *Non est praeceptum divinum, ut omnes fideles sumant eucharistiam sub utraque specie.* Hoc constat ex antiquissimo usu ecclesiastico. Nam primis saeculis fideles panem consecratum secum in domos suos deferebant, ibique sumebant. Hoc testantur *Tertullianus* (Ad uxor. l. 2, c. 5), *S. Basilius* (Ep. 93), *S. Ambrosius* (De excessu fratris sui Satyri l. 2, n. 43), *Eusebius* (Hist. eccl. l. 6, c. 44), alii. Infantibus vero dabatur eucharistia sub sola sanguinis specie, ut referunt *S. Cyprianus* (De lapsis c. 25) et alii. In «missa praesanctificatorum», cuius usus in oriente et occidente est antiquissimus, una tantum panis species sumitur.

Ecclesia autem ex iustis causis usum introduxit laicis et etiam sacerdotibus missam non celebrantibus dandi communionem sub sola panis specie. Hoc factum est paulatim inde a saeculo XII (cf. *S. Thomas* 3, q. 80, a. 12). Causae erant hae: a) periculum effusionis sanguinis, maxime in communione multorum, b) difficultas speciem vini asservandi et ad aegrotos deferendi, c) difficultas obtinendi sufficientem quantitatem vini in variis regionibus, d) aversio multorum a vino generatim et a bibendo ex eodem calice cum aliis, e) periculum infectionis.

Cum saeculo XV *husitae* docerent communionem etiam laicis necessario sub utraque specie sumendam esse (unde utraquistae vel calixtini dicti sunt), *concilium constantiense* hunc errorem damnavit: «Licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri. . . . Pertinaciter asserentes oppositum praedictorum tamquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi» (*Denz.* n. 626). Cum *Calvinus* eundem errorem renovasset, *concilium tridentinum* sess. 21 eum iterum damnavit can. 1: «S. q. d. ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos christifideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, A. S.»; can. 2: «S. q. d. sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus

adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, A. S.» (*Denz.* n. 934 sq; cf. n. 930 sq).

De obiectione petita ex Io 6, 52 sqq iam supra diximus (n. 106). Calvinistae ad illum textum provocare nequeunt, quia negant ibi sermonem esse de eucharistia. Verba autem institutionis Christus immediate direxit ad apostolos, quos ibi sacerdotes instituit ad missae sacrificium celebrandum. Atqui non omnia, quae valent de sacerdotibus sacrificium offerentibus, etiam valent de laicis vel aliis communionem recipientibus. Ergo ex verbis institutionis haec quaestio decidi nequit (cf. *Bellarm.*, De euchar. l. 4, c. 20 sqq).

Schol. 2. De ministro eucharistiae.

152. a) Quia eucharistia est sacramentum permanens, distinguenda est eius confectio a distributione. Itaque *minister conficiendae eucharistiae est solus sacerdos.* Nam solis apostolis Christus dixit: «Hoc facite in meam commemorationem» (Lc 22, 19). Neque umquam in traditione ecclesiastica alios praeter sacerdotes eucharistiam confecisse audimus. Secundum *S. Iustinum* ille «qui fratribus praeest», eucharistiam consecrat, diaconi vero eam distribuunt (Apol. I, c. 65). Secundum *S. Hieronymum* sacerdotes sunt, «ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur» (Ep. 146, n. 1). *S. Ioannes Chrysost.* in libro 3 de sacerdotio n. 4 ob hoc ipsum adeo extollit dignitatem sacerdotalem, quod sacerdotes habeant potestatem offerendi sacrificium missae (cf. supra n. 141 *b*). Idem docent alii Patres, idem theologi in commentariis in l. 4 sent., dist. 13 vel in Summam 3, q. 82, a. 1. Idem patet ex ritu ordinationis, quia in sola ordinatione sacerdotis dicitur: «Accipe potestatem offerendi in ecclesia sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis.»

Idem docent concilia. Ita *concilium nicaenum I* can. 18 ait de diaconis: «qui potestatem non habent offerendi». Contra *albigenses* definivit *concilium lateranense IV* de sacramento altaris: «Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus» (*Denz.* n. 430). *Concilium tridentinum* sess. 22, c. 1: Christus in ultima cena hoc sacramentum «apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et iisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: ‚Hoc facite in meam commemorationem‘, uti semper ecclesia catholica intellexit et docuit»; can. 2: «S. q. d. illis verbis: ‚Hoc facite in meam commemorationem‘, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, A. S.» (*Denz.* n. 938 949). *Eugenius IV:* «Sacerdos, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum» (*Denz.* n. 698).

b) *Sacerdos est etiam minister ordinarius distribuendae eucharistiae;* nam «semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus com-

munionem acciperent» (*Conc. trid.* sess. 13, c. 8; *Denz.* n. 881). Nihilominus iam in vetere ecclesia diaconis permittebatur cum quadam restrictione distributio eucharistiae, et adhuc permittitur. Quae vero condiciones requirantur, ut sacerdotes vel diaconi licite eucharistiam distribuant, et quae sit obligatio et quis modus administrandi, docetur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theol. moral. II[11], n. 180 sqq).

PARS III.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 85; 3, q. 83; *Bellarminus,* De eucharistia l. 5 sq; *Suarez,* De eucharistia disp. 73 sqq; *De Lugo,* De eucharistia disp. 19 sqq; *Pasqualigo,* De sacrificio novae legis, Lugduni 1662; *Franzelin,* De euchäristia thes. 8 sqq; *F. Stentrup,* Soteriologia thes. 84 sqq; *Sasse,* De sacramentis I, thes. 19 sqq; *N. Gihr,* Das heilige Meßopfer [11], Freiburg 1912; etiam gallice: Le saint sacrifice de la Messe, Paris 1894; *J. Souben,* Les sacrements I 125 sqq; *F. S. Renz,* Die Geschichte des Meßopferbegriffes, Freising 1902.

PRAENOTANDA DE SACRIFICIO IN GENERE.

153. Ecclesia catholica docet *eucharistiam non esse sacramentum tantum sed etiam sacrificium,* sed sub alio et alio respectu. Sacramentum est eucharistia, in quantum est cibus spiritualis, dandus fidelibus ad eorum sanctificationem. Sacrificium vero est, in quantum est donum Deo oblatum in agnitionem supremae maiestatis divinae. Est igitur actus pertinens ad cultum divinum seu ad cultum latriae.

Deum esse colendum tum naturalis ratio dictat (cf. tom. I, n. 40 sqq), tum revelatio docet: «Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies» (Mt 4, 10). Actus autem cultus divini partim sunt interni, partim sunt externi, quemadmodum iam vetus lex praeter internam agnitionem Dei ut supremi Domini multas quoque caerimonias externas ad cultum divinum spectantes praeceperat. *Inter actus externos cultus praecipuus est sacrificium liturgicum.* Cultus quidem externus, qui non procedit ex recta in Deum mente, Deo non placet (Is 1, 11 sqq), quia tota dignitas moralis actuum externorum derivatur ab actibus internis. Nihilominus si quaeritur, quomodo sacrificium specifice differat ab aliis actibus virtutum vel ab aliis actibus religionis, non recte respondetur indicando ea, quae sacrificio communia sunt cum aliis actibus latriae vel virtutum; non magis quam si quis ad quaestionem, quae sit differentia specifica hominis, responderet hominem esse substantiam, vel esse animal. Haec notanda sunt, quia his ultimis annis quidam studuerunt propriam sacrificii rationem explicare dicendo sacrificium esse actum caritatis, oboedientiae, submissionis Deo exhibitum. Omnes sane omnino theologi semper docuerunt requiri ad sacrificium actus internos, sicut requiruntur ad quodvis virtutis et religionis exercitium, immo hos actus internos esse id, quod sit principale in diiudicando valore morali sacrificii. At hoc est extra statum quaestionis, si agitur de indicanda

differentia specifica, qua sacrificium distinguitur a caritate, ab oboedientia, ab oratione, ab omnibus, quae non sunt sacrificium proprie dictum.

154. *Sacrificium liturgicum seu proprie dictum pertinere ad actus externos religionis patet ex S. Scriptura.* Nam actus internos virtutum et etiam religionis exercere omnes homines debent; ad sacrificia autem offerenda sacerdotes constituti erant, quibus solis sacrificare liceret (Ex 28, 1 sqq; cf. 2 Par 26, 16 sqq). «Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. . . . Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron» (Hebr 5, 1 4). *Est igitur sacrificium pars cultus publici a Deo instituti.*

Interdum quidem a SS. Patribus et theologis inculcatur «verum» sacrificium esse bonam voluntatem seu bonum opus, quo «inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter boni esse possimus» (*S. August.,* De civ. Dei l. 10, c. 6). Hic «verum» sacrificium non est idem ac sacrificium proprie dictum et liturgicum, sed verum dicitur illud, quod solum per se moralem valorem habet, et sine quo liturgicum sacrificium non reddit offerentem Deo gratum. Ideo *S. Augustinus* (l. c. c. 5) ait: «Illud, quod ab omnibus appellatur sacrificium [externum et liturgicum], signum est veri sacrificii.» Similiter *S. Thomas,* ut probet sacrificium non esse offerendum nisi soli Deo, sic ait: «Exterius sacrificium repraesentativum est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana se ipsam Deo offert; offert autem se mens nostra Deo quasi suae creationis principio, quasi suae operationis auctori, quasi suae beatitudinis fini; quae quidem conveniunt soli summo rerum principio» (Contra gent. l. 3, c. 20, n. 9). Hic iterum nihil aliud statuitur nisi liturgicum sacrificium esse signum sacrificii interni moralis. Hoc omnes theologi unanimiter docuerunt.

Eadem res in S. Scriptura effertur, quoties dicitur sacrificium internum et morale magis placere Deo quam nudum sacrificium externum et liturgicum. «Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut oboediatur voci Domini? Melior est enim oboedientia quam victimae; et auscultare magis quam offerre adipem arietum» (1 Reg 15, 22). «Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis; sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies» (Ps 50, 18 sqq). Sunt multa similia dicta (Ps 49, 14 23; 140, 2; Ier 7, 21 sqq; Os 14, 3; Sap 3, 6; Rom 12, 1; 15, 16; Phil 2, 17; Hebr 13, 16), quibus probatur sacrificium liturgicum non esse idem atque bona opera, sive mere interna sive etiam externa, quia cum iis comparatur. In tractatu autem de sacrificio missae agendum non est de sacrificiis moralibus bonorum operum, sed de sacrificio liturgico, quod est praecipua pars cultus liturgici.

155. *Sacrificium liturgicum est in genere signi;* quare a SS. Patribus et ab ecclesia in liturgia interdum vocatur «sacramentum», ut a *S. Augustino* (De civ. Dei l. 10, c. 5): «Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est.» *S. Thomas* ait: «Est modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subiectionis et honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii» (2, 2, q. 85, a. 1).

Quod hic indicatur *sacrificium esse donationem seu oblationem alicuius rei substantialis Deo factam,* non utique ad utilitatem Dei sed ad cultum Dei, hoc etiam indicatur in Sacra Scriptura. Primum sacrificium, cuius mentio fit, est illud, quod obtulerunt Cain et Abel (Gn 4, 3 sq; Hebr 11, 4); hoc autem vocatur *mincha,* i. e. donum seu munus Deo oblatum. Apostolus ait: «Omnis sacerdos constituitur, ut offerat dona et sacrificia» (Hebr 5, 1; 8, 3). Hic dona et sacrificia aut unum idemque sunt, aut dona *(δῶρα)* intelleguntur sacrificia incruenta, sacrificia *(θυσίαι)* intelleguntur sacrificia cruenta, quae erat divisio usitata apud hebraeos. Sed ratio rei substantialis Deo oblatae in utrisque eodem modo apparet.

156. Non tamen omnis oblatio Deo facta est sacrificium, sed ad hoc *requiritur, ut res oblata immutatione aliqua subtrahatur communi usui et fiat Deo sacra.* Ita *S. Thomas* docet: «Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi circa ipsum nihil fiat, sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur» (2, 2, q. 85, a. 3 ad 3). «Si aliquid exhibeatur in cultum divinum quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, consumendum, et oblatio est et sacrificium. . . . Si vero sic exhibeatur, ut integrum maneat divino cultui deputandum vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium» (l. c. q. 86, a. 1). Ergo ex mente S. Thomae ad sacrificium requiritur, ut res oblata non maneat integra, sed consumatur aliquo modo.

Utrum de conceptu sacrificii sit destructio rei, an sufficiat moralis aliqua immutatio, disputant theologi. Negant requiri destructionem *Arriaga* (De euchar. disp. 49), *Viva* (De euchar. disp. 5, q. 1, a. 2), alii, quam sententiam *Suarez* probabilem censet (De euchar. disp. 73, sect. 5, n. 5); eadem sententia pluribus recentioribus theologis placet, ut *Scheeben, Schanz,* aliis. Affirmant requiri destructionem *Bellarminus* (De euchar. l. 5, c. 2), *Vazquez* (De euchar. disp. 220, c. 2, n. 12),

De Lugo (De euchar. disp. 19, sect. 1, n. 7), alii. Ex recentioribus theologis *Sasse* censet hanc sententiam esse «unice veram» (De sacram. I 477); *Van Nort* eam habet probabiliorem (De sacram. I, n. 430), *Pohle* probabilem (Lehrbuch der Dogmatik III⁵, 350). A priori quaestio decidi nequit. Si vero respicimus ritus sacrificales, quibus homines reapse usi sunt, quaestio oritur, utrum hae vel illae oblationes fuerint purae oblationes an sacrificia proprie dicta. Nihilominus negari nequit in illis ritibus, quorum indoles sacrificalis certa est, semper fuisse aliquam destructionem aut formalem ut mactationem animalium, aut virtualem ut effusionem libamentorum. Etiam in sacrificio omnium praestantissimo, i. e. in sacrificio crucis, habetur destructio hostiae. Ergo haec sententia bono fundamento sustinetur. Ceterum quidquid est de hac quaestione speculativa, certum est in sacrificio, quod Deus instituit, omnia elementa necessaria sacrificii inveniri.

Ipsa materialis destructio vel immutatio per se est sola proxima dispositio materiae, ad quam accedat necesse est *sensibilis oblatio ut forma*. Nam eo quod animal occiditur vel res aliqua comburitur, nondum significatur suprema Dei maiestas et hominum submissio, sed necessario sensibilis aliqua actio oblationis requiritur, qua haec destructio ad finem sacrificii refertur. Supposita debita institutione talis actio est e. g. effusio sanguinis animalis occisi ad altare (Lv 1, 2 sq), vel combustio thuris super altari, alia similia. Haec ordinatio rei destructae ad cultum Dei multis modis fieri potest. Si agitur de cultu a Deo revelato, in eo consistit, quod minister a Deo institutus secundum modum a Deo praeceptum sacrificium facit. Sive tunc destructio fit ab ipso sacerdote sive ab alio, nihil interest, dummodo oblatio fiat a sacerdote. Ita Christus non occidit semetipsum, sed revelavit se ex mandato Patris libere accepturum esse mortem pro salute hominum (Mt 20, 28; Mc 10, 45; Lc 22, 19 sq; Io 10, 17 sq). Itaque quando in cruce mortuus est, «per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo» (Hebr 9, 14); quae sensibilis oblatio erat forma sacrificii crucis.

157. *Res significata sacrificio est Dei maiestas suprema et ex altera parte perfecta submissio hominis Deo debita.* Homo igitur ad agnoscendum supremum Dei dominium se abdicat aliqua re, quam possidet, eamque destructione formali vel aequivalenti Deo offert. Haec est significatio latreutica, quae omni sacrificio essentialis est. Sed *in statu naturae lapsae sacrificium simul habet significationem propitiationis,* quatenus homo sacrificio confitetur se reum esse mortis, et hac humili confessione veniam impetrare studet (Hebr 10, 1 sqq). Pretiosissima res, quam homo naturaliter possidet, est eius vita. Hanc autem quia destruere non debet, alia res substituitur, ut olim praecipue animalia, quorum oblationem Deus ipse in hunc finem destinaverat: «Anima

carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit» (Lv 17, 11). Ergo quamvis omnibus actibus religionis fiat agnitio divinae excellentiae, tamen hoc est sacrificio speciale, quod in eo ritu sensibili et maxime apto repraesentatur supremum Dei in vitam humanam et res omnes creatas dominium. Sacrificia veteris testamenti simul erant typi sacrificii crucis futuri (Hebr c. 9). Sacrificium missae est repraesentatio sacrificii crucis iam facti. Sic *omnia sacrificia aut typice aut mystice ad sacrificium crucis referuntur.*

Ex dictis colligitur *sacrificium esse signum ad placitum,* quod non ex natura rei est determinatum in ratione signi, ut fumus est naturale signum ignis, sed institutione indiget. Nam etsi e. g. occisio animalis apta est ad significandum supremum Dei dominium, possunt tamen animalia ad alios fines occidi. Ergo ut haec occisio fiat sacrificium, determinari eam necesse est ad significandum Dei dominium. Per se quidem, si de sola natura rei agitur, possunt singuli homines eligere res aptas et modum offerendi ad manifestandam internam aestimationem, quam habent de excellentia divina. Nihilominus placuit Deo revelare in vetere et in novo testamento, quibus sacrificiis coli velit. Hac revelatione divina excluduntur alia sacrificia, quia Deus eo tantum modo coli debet, quo ipse vult. Neque sacrificia tantum sed etiam ministros sacrificiorum Deus instituit exclusis omnibus aliis. Sic igitur ad rationem sacrificii, quale in hoc ordine supernaturali exsistit, requiritur *oblatio per legitimum ministrum legitime facta.*

158. *Divisio sacrificiorum:* Si sacrificium principaliter offertur ad colendam Dei maiestatem, vocatur *sacrificium latreuticum.* Si principaliter offertur ad agendas Deo gratias pro beneficiis ab eo acceptis, vocatur *sacrificium eucharisticum.* Si principaliter offertur ad satisfactionem pro peccatis, vocatur *sacrificium propitiatorium.* Si principaliter offertur ad gratias a Deo obtinendas, vocatur *sacrificium impetratorium.* Haec est divisio secundum fines, qui ceteroquin in omni sacrificio intenduntur aliquo modo, et in sacrificio missae omnes singulari modo verificantur.

Sacrificia veteris testamenti habent multa nomina. *Korban, προσφορά,* oblatio est commune nomen omnium sacrificiorum. *Ishe* vel *lechem ishe,* i. e. cibus ignis per se vocatur sacrificium, quod comburendum erat, sed idem nomen dicitur etiam de aliis sacrificiis. *Holocaustum* (*ola, kalil*) erat sacrificium, quod totum comburendum erat ad finem latreuticum. *Sebach shelamim* seu «sacrificium pacificum» erat sacrificium eucharisticum. *Sebach* est cruentum, *mincha* est incruentum sacrificium. *Chattath* est sacrificium propitiatorium, graece *τὸ περὶ ἁμαρτίας* vel simpliciter *ἁμαρτία.* *Nesek* est libatio, *σπονδεῖον, σπονδή.* In horum omnium sacrificiorum locum successit in novo testamento unum missae sacrificium.

Prop. XIX. Veritas sacrificii missae constat ex S. Scriptura.

159. *Stat. quaest.* Ritus ille, quo eucharistia conficitur, vocatur sacrificium missae. *Nomen missae* videtur primum reperiri apud *S. Ambrosium* (Epist. 20, n. 4 sq). Etymologice idem est ac missio. Cur hoc nomen electum sit, dupliciter exponitur. *S. Isidorus Hispalensis* ait: «Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur... et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur» (Etymol. l. 6, c. 19, n. 4. *M* PL 82, 252). Itaque antequam sacrificium inciperet, diaconus dimittebat catechumenos. Ex hac caerimonia sequens sacrificium dictum est missa. Haec est probabilior explicatio. *Rupertus Tuitiensis* ait: «Hoc sacrosanctum altaris mysterium idcirco missa dicitur, quia ad placationem et solutionem inimicitiarum, quae erant inter Deum et homines, sola valens et idonea missio est» (De div. offic. l. 2, c. 20. *M* PL 170, 46). Hoc sensu missa est legatio pacis ad Deum. Graecum nomen est *λειτουργία*.

Celebrationem eucharistiae esse sacrificium negant omnes novatores saeculi XVI et eorum asseclae usque ad nostra tempora. Contra quos concilium tridentinum dogma catholicum definivit. Secundum protestantes religio christiana caret eo cultu, quem sive naturali ratione sive revelatione dictante ceteri omnes homines essentialem partem religionis exercendae habuerunt et habent. Protestantes soli sunt in toto mundo, qui sacrificium liturgicum non agnoscunt, nisi forte excipiendae sunt quaedam nationes barbarae et religionis paene rudes.

160. *Arg. 1.* Ex Vetere Testamento.

a) *Ex vaticinio Malachiae.* Malachias propheta praedixit futurum esse in regno messianico sacrificium proprie dictum, quod ubique gentium offeratur. Atqui nisi missa est verum sacrificium, hoc vaticinium non est impletum. Ergo missa est verum sacrificium.

Prob. mai. Malachias praedixit futurum esse in regno messianico sacrificium proprie dictum, quod ubique gentium offeratur. Quia sacerdotes iudaei, neglegenter et fraudulenter offerentes sacrificia, Deum gravissime offenderant, annuntiatur iis reiectio sacrificiorum leviticorum et institutio sacrificii novi in regno messianico offerendi. «Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum» (Mal 1, 10 sq).

Haec prophetia refertur ad tempus messianicum. Nam Deum coli inter omnes gentes, constanter a prophetis effertur ut nota temporis messianici (cf. Is 11, 10; 49, 6; 60, 9; 66, 19; Am 9, 12; Mich 4, 2 etc.). Certe tempore Malachiae Deus non colebatur ubique inter gentes, neque sacrificiis, quae gentiles suis diis offerebant (cf. 1 Cor

10, 20), neque sacrificiis, quae iudaei inter gentes dispersi offerebant, tum quia iudaei non erant ubique a solis ortu usque ad occasum, tum quia inter gentes non offerebant sacrificia. De his igitur iudaeis in dispersione viventibus non poterat ita gloriari Deus. Ergo vaticinium Malachiae refertur ad tempora messianica.

Vaticinio Malachiae praedicitur sacrificium proprie dictum. Nam propheta utitur terminis, qui apud iudaeos significabant sacrificium proprie dictum. Praedicit futuram esse novam «oblationem» *(mincha)* mundam. *Mincha* centies circiter legitur in libris Ex., Lev., Num., ubi semper significat sacrificium incruentum. Vocabulum *muggash* «offertur» in contextu quinquies dicitur de sacrificio proprie dicto (Mal 1, 7 sq; 2, 12; 3, 3). Eundem sensum habet multis aliis locis Scripturae, ut Ex 32, 6; Lv 2, 8; Am 5, 25 etc. *Muktar* proxime significat «suffitur», sed dicitur de omni genere sacrificiorum (Lv 1, 9 17; 3, 11 16; 4, 10 35 etc.). Sensum sacrificialem postulat etiam oppositio inter cultum veterem et novum. Nam Deus dicit se reicere sacrificia vetera tam turpiter tractata, et se velle instituere oblationem novam et mundam ubique offerendam nomini suo.

Prob. min. Nisi missa est verum sacrificium, hoc vaticinium non est impletum. Nam aliud sacrificium non est, quod in omni loco Deo offertur, et quod est essentialiter mundum. Si vero missa est sacrificium, in quo Christus est offerens et hostia, ut ecclesia catholica docet, hoc sacrificio Deus a solis ortu usque ad occasum glorificatur inter omnes gentes. Ergo vaticinio Malachiae postulatur, ut missa sit sacrificium verum et proprie dictum.

SS. Patres unanimiter vaticinium Malachiae de sacrificio missae explicant, incipiendo a S. Iustino M. et Tertulliano usque ad ultimos Patres, quos dein sequuntur theologi pari consensu. *Concilium tridentinum* sess. 22, c. 1 docet: «Haec illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit» (*Denz.* n. 939).

b) *Aliud argumentum ex sacerdotio Melchisedech ut typi Christi.* Melchisedech ut typus Christi futuri sacerdotis obtulit sacrificium panis et vini. Ergo etiam Christus offert sacrificium per modum panis et vini, quod fit in sacrificio missae.

Melchisedech (Gn 14, 18 sqq) esse typum Christi, Christus ipse testatur, docens de se dictum esse Ps 109, in cuius versu quarto leguntur haec verba: «Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech» (Mt 22, 43; Mc 12, 36; Lc 20, 42). Idem docent apostoli (Act 2, 34 sq). S. Paulus ait: «Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech» (Hebr 5, 5 sq). Et iterum: «Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem,

et non secundum ordinem Aaron dici.... Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum» (Hebr 7, 11 17 sq).

Melchisedech est typus Christi ratione sacrificii, quod obtulit. De Melchisedech pauca haec narrantur: «Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei [Abrahamo] et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit caelum et terram; et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus» (Gn 14, 18 sqq). Itaque si Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, his verbis indicatur specialis ratio huius ordinis sacerdotalis. Duo autem dicitur Melchisedech fecisse, scilicet protulisse panem et vinum et benedixisse Abram. In benedictione indicatur quidem praerogativa Melchisedech prae Abram, quia maior benedicit minori (Hebr 7, 7), sed nullus in ea cernitur specialis ordo sacerdotii. Ergo hic ordo potius quaerendus est in prolatis pane et vino, quae actio explicatur illis verbis: «Erat enim sacerdos Dei altissimi.» Haec ratio intellegitur, si Melchisedech panem et vinum in sacrificium obtulit. 'Verbum quidem *hozi*, graece ἐξήνεγκε, latine «proferens» non est per se terminus sacrificalis, potest tamen dici de sacrificio (e. g. Iud 6, 18 sq). Hic autem id, quod fecit Melchisedech, dicendum est fuisse sacrificium, quia additur: «erat enim sacerdos», quod incisum in textu masoretico iungitur cum praecedentibus, et puncto separatur a sequentibus. Neque probabile videtur Melchisedech obtulisse panem et vinum Abram et sociis eius, cum hi haberent magnam copiam ciborum (Gn 14, 11), et cum potius ab Abram decimas acceperit. De sacrificio textum intellexerunt SS. Patres omnes, qui eum exponunt, et ceteri scriptores catholici, exceptis Caietano et quibusdam recentioribus. Ecclesia in missa iubet sacerdotes orare: «Sacrificium, quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.»

Si Melchisedech erat typus Christi, in quantum panem et vinum in sacrificium obtulit, Christus ut antitypus in ultima cena sub speciebus panis et vini sacrificium obtulit, et apostolis mandavit, ut et ipsi hoc sacrificium offerrent. De qua re *concilium tridentinum* sess. 21, c. 1: Christus «sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et iisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit» (*Denz.* n. 938). Multis testimoniis ostendit *Bellarminus* hanc esse SS. Patrum sententiam (De euchar. l. 5, c. 6). Audiamus testimonium, quod ipse non affert. *S. Ioannes Chrysostomus* in homilia de Melchisedech n. 3 ait: «Ille prophetico spiritu motus, futuram obla-

tionem pro gentibus proferendam intellegens, pane et vino Deum coluit, Christum venturum imitatus . . . Deus ad eum, qui ex virgine Maria nasciturus erat, Iesum Christum, Filium Dei, clamat et dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech . . . pane et vino afferentium oblationem in perpetuum adducens» (*M* PG 51, 261 sq).

c) *Aliud argumentum ex Vetere Testamento* sic fieri potest. Deus promisit se tempore messianico sumpturum esse sacerdotes ex gentibus: «Et assumam ex iis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus» (Is 66, 21). Ubi autem sacerdotium, ibi est sacrificium (Hebr 8, 3). Ergo in ecclesia Christi est sacerdotium et sacrificium. Quare idem propheta ait: «In illa die erit altare Domini in medio terrae Aegypti. . . . Et cognoscetur Dominus ab Aegypto . . . et colent eum in hostiis et muneribus» (Is 19, 19 sqq). Cf. Ps 21, 28 sqq.

161. *Arg. 2.* Ex Novo Testamento.

a) *In institutione eucharistiae* Christus dixit: «Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur»; «Hic est sanguis meus, qui effunditur in remissionem peccatorum» (supra n. 103). Atqui his verbis Christus instituit sacrificium proprie dictum. Ergo celebratio eucharistiae est sacrificium proprie dictum.

Prob. min. Sanguinem effundere pro peccatis et in Vetere et in Novo Testamento idem est atque offerre sacrificium (e. g. Lv 14, 17; 17, 11, multis aliis locis). «Omnia paene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio» (Hebr 9, 22). Similiter sacrificium crucis saepe sic describitur, quod sanguine Christi pro nobis effuso Deo reconciliati sumus (Rom 3, 25; 5, 9. Eph 1, 7. Col 1, 14 20. Hebr 9, 11 sq. 1 Petr 1, 19. 1 Io 1, 7).

Christus autem dixit in eucharistia sanguinem suum effundi. Nam secundum Lucam dixit: *Τοῦτο τὸ ποτήριον . . . τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον* (Lc 22, 20), ubi ponitur calix ut continens pro sanguine ut contento; atqui pro sanguine non potest poni calix, nisi quatenus sanguis est in calice; ergo sanguis, quatenus in calice est, effunditur in remissionem peccatorum. Omnes quoque evangelistae loquuntur de actione temporis tunc praesentis. Nam dicunt: *Τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ ἐκχυννόμενον.* Atqui in lingua graeca participium praesentis coniunctum cum verbo *ἐστίν* significat id, quod tunc fit, non quod factum est vel futurum est (cf. *Beelen,* Grammat. Graecit. N. T. 374). Ergo sanguis Christi effunditur in confectione eucharistiae, quam apostoli et eorum in sacerdotio successores ex mandato Christi celebrant. Simile argumentum fieri potest ex verbis: *Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον* (Lc 22, 19) vel *κλώμενον* (1 Cor 11, 24).

Concilium tridentinum docet sess. 22, c. 1: Christus «in cena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium . . . corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub

earundem rerum symbolis apostolis ... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit» (*Denz.* n. 938). Idem docent SS. Patres, ut *Iustinus, Irenaeus, Cyprianns,* alii, quorum testimonia infra audiemus, idem theologi scholastici unanimiter. Idem efficitur ex liturgiis occidentalibus et orientalibus, in quibus omnibus manifestatur firma persuasio ritum a Christo institutum esse sacrificium proprie dictum.

b) *Alii textus.* S. Paulus scribit: «Quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum» (1 Cor 10, 20). De his verbis ait *concilium tridentinum* sess. 21, c. 1: «Oblationem a Malachia praedictam non obscure innuit apostolus Paulus, corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intellegens» (*Denz.* n. 939). Scilicet illo loco apostolus non interdicit simplicem manducationem idolothytorum, quam licitam esse declarat (1 Cor 10, 25 sqq), sed participationem sacrificiorum gentilium, quia mensae purae eucharistiae participes non debent simul altaris daemoniorum esse participes. Ergo non manducatio manducationi, sed participatio sacrificalis participationi sacrificali opponitur (cf. *Bellarminus,* De euchar. l. 5, c. 14).

Etiam alio loco apostolus ait: «Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt», i. e. iudaei (Hebr 13, 10). Longe plurimi exegetae catholici veteres et recentes verba intellegunt de altari eucharistico. Pauci sic explicant: Habemus altare crucis, de quo iudaei spiritualiter manducare non possunt. Explicatio non sane obvia sed satis dura, quae eo minus in contextum quadrat, quia apostolus escis iudaeorum opponit cibum christianorum. Illis escae nihil profuerunt; nos habemus altare, de quo utiliter manducamus.

162. *Obi. I.* Malachias non dicit: Aliquando offeretur sacrificium mundum, et magnum erit nomen Domini inter omnes gentes; sed dicit: Sacrificium offertur, et magnum est nomen Domini. Ergo loquitur de sua aetate, quatenus tunc Deus ubique terrarum habebat aliquos, qui eum mundo corde colebant.

Resp. *Dist. antec.:* Malachias utitur formis loquendi (participiis), quae possunt et rem praesentem et futuram significare, et hic necessario significant rem futuram, *conc. antec.;* quae solum significant rem praesentem, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Participia hebraica non habent eandem vim atque participia e. g. graeca, sed significant statum permanentem et possunt etiam ad tempus futurum referri, ut e. g. Gn 15, 14. Praeterea frequenter prophetae describunt res, quas futuras vident, ut praesentes (cf. Is 9, 6; 40, 1 sqq; 60, 4). Ergo etsi Malachias de re ut praesenti loqueretur, non ideo excluderetur praedictio de re futura. Magnam autem gloriam Domini inter gentes non posse explicari provocando ad paucos et occultos adoratores, quos tunc fortasse Deus ubique habuit, videtur per se manifestum. Propheta clare opponit sacrificium universale ubique celebrandum sacrificio ordinis levitici.

163. *Obi. II.* Nisi Christus in Novo Testamento dictus esset sacerdos secundum ordinem Melchisedech, et nisi christiani vidissent quandam similitudinem inter Christum instituentem eucharistiam et Melchisedech proferentem panem et vinum, nemo textum Gn 14, 18 explicasset de oblatione sacrificii. Ergo haec interpretatio non eruitur ex textu, sed infertur in textum.

Resp. *Trans. antec.* Saepe prophetia verbalis vel realis optime explicatur impletione. Itaque cum Spiritus Sanctus, qui inspiravit narrationem Genesis, etiam revelaverit Melchisedech secundum ordinem sacerdotii esse typum Christi, recte egerunt doctores christiani, comparantes actionem sacerdotalem Christi cum correspondente actione Melchisedech et inde deducentes ipsam quoque actionem Melchisedech fuisse actionem sacrificalem. Ceterum, ut diximus, in narratione ipsa hoc satis indicatur illo inciso: «Erat enim sacerdos.»

Dices: Cur S. Paulus, qui tam diligenter comparat Christum et Melchisedech (Hebr 7, 1 sqq), nullam mentionem facit illius sacrificii?

Resp. Quia ad propositum eius non conferebat. Volebat enim ostendere Melchisedech ut typum Christi esse maiorem sacerdotibus leviticis. Hanc praecellentiam poterat ostendere eo, quod Melchisedech benedixit Abram et ab eo decimas accepit, non vero eo, quod panem et vinum obtulit.

164. *Obi. III.* In Vulgata institutio eucharistiae narratur in forma futuri: «Hic est sanguis meus, qui effundetur» (Mt 26, 28), quam versionem ecclesia recepit in canonem missae. Atqui hac loquendi forma significatur sacrificium crucis, non sacrificium eucharistiae. Ergo probari nequit hoc textu Christum in ultima cena obtulisse sacrificium.

Resp. *Dist. antec.:* Sic nunc legitur in Vulgata, *conc. antec.;* sic semper legebatur in Vulgata, *neg. antec.;* nam codex fuldensis, omnium vetustissimus, et alii codices exhibent «effunditur». Et adhuc in Vulgata habetur: «Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur» (Lc 22, 19). Ceterum non ex versione sed ex textu originali res est diiudicanda. Neque tamen versio «effundetur» est falsa. Nam sacrificium a Christo in cena oblatum refertur ad sacrificium crucis ut anticipata repraesentatio eius. Si dicitur: sanguis effunditur, directe significatur sacrificium praesens et indirecte sacrificium futurum, cuius illud est imago. Si dicitur: sanguis effundetur, directe significatur sacrificium futurum et indirecte sacrificium praesens. Ergo idem alio modo significatur. Sic patet responsum ad *min.* et *conseq.*

165. *Obi. IV.* S. Paulus docet in nova lege esse unum sacrificium crucis et unum aeternum sacerdotem Christum (Hebr 7, 23 sq; 10, 14). Atqui his excluduntur alia sacrificia et alii sacerdotes. Ergo missa non est sacrificium.

Resp. *Dist. mai.:* S. Paulus docet esse unum sacrificium, quo unus sacerdos Christus pro peccatis omnium hominum satisfecit et omnes gratias meruit, *conc. mai.;* docet instituta non esse in novo testamento signa quaedam sensibilia, quibus satisfactiones et merita Christi hominibus applicentur, et ministros Christi, qui illa signa sensibilia administrent, *neg. mai. Dist min.:* Excluduntur alia sacrificia, quibus nova satisfactio pro peccatis Deo praestatur, et excluduntur ministri independentes a Christo, *conc. min.;* excluditur sacrificium, quod est signum sensibile ad satisfactionem et merita in cruce

parta hominibus applicanda; et excluduntur sacerdotes ministri Christi, qui Christi nomine legatione funguntur, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

S. Paulus opponit unum sacrificium crucis multis sacrificiis veteris legis inter se independentibus, quibus non poterant iustificari homines; et opponit unum Christum multis sacerdotibus veteris legis, quorum alter non erat minister alterius. Neque vero negat sed docet in ecclesia quoque esse «dispensatores mysteriorum Dei» (1 Cor 4, 1) et λειτουργούς (Rom 15, 16; cf. Phil. 2, 17), per quos Christus ipse pergit fungi munere sacerdotali.

Prop. XX. Veritas sacrificii missae constat ex doctrina traditionis.

166. *Stat. quaest.* A SS. Patribus missam vocari sacrificium est tam evidens, ut ne protestantes quidem hoc negent. Sed iam *Lutherus* in libro De capt. babyl. et alii post eum dixerunt a Patribus missam vocari sacrificium propter orationes, quae in ea fiant, cum etiam in S.Scriptura orationes vocentur sacrificium (Ps 140, 2). *Chemnitius* et alii dixerunt eucharistiam vocari sacrificium, quod in actione cenae homines se ipsos Deo voveant (cf. *Bellarm.*, De euchar. l. 5, c. 15). E catholicis nostrae aetatis *Fr. Wieland* in libello «Mensa und Confessio» (Muenchen 1906) contendit a primis Patribus solas preces liturgicas dictas esse sacrificium, usum autem vocandi ipsam eucharistiam sacrificium ab Irenaeo introductum et postea universaliter receptum esse, nihilominus veram rationem sacrificii etiam nunc potius in precibus liturgicis quam in oblatione corporis et sanguinis Christi reponendam esse. Libellum (qui positus est in «Indice») refutavit *E. Dorsch* (Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt, Innsbruck 1909). Illa opinio manifeste pugnat cum doctrina *concilii tridentini* sess. 22, c. 2 (*Denz.* n. 940).

167. *Arg. 1.* **Ex SS. Patribus.**

In *Doctrina duodecim apostolorum* c. 14 sq haec praecipiuntur: «Die dominica convenientes, frangite panem et eucharistizate, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum proximo suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est illud [sacrificium] a Domino dictum: ‚In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus.' Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino.» Hoc igitur loco vaticinium Malachiae dicitur impleri sacrificio eucharistiae, ad quod celebrandum constituendi sint digni episcopi et diaconi.

S. Iustinus M.: Similae oblatio in vetere lege «figura erat panis eucharistiae, quem Dominus noster Iesus Christus in recordationem passionis, pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptae, fieri praecepit, . . . Hinc de sacrificiis quidem, quae tunc a vobis [iudaeis]

offerebantur, sic Deus per Malachiam (1, 10 sqq) loquitur.... De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est de pane eucharistiae et de calice similiter eucharistiae iam tunc praedicit, illud etiam addens nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari» (Dial. c. Tryph. n. 41). Christianos igitur, «qui sacrificia offerunt ea, quae Iesus Christus praecepit, i. e. quae in eucharistia panis et calicis a christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur» (n. 117). Conficitur autem hoc sacrificium ab eo, qui praeest, ministrantibus diaconis (Apol. I, n. 65).

S. *Irenaeus:* Iesus in ultima cena «novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo...de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignavit... manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, et hoc purum» (Contra haer. l. 4, c. 17, n. 5). «Non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem hic, sacrificia in populo, sacrificia in ecclesia, sed species immutata est tantum» (l. c. c. 18, n. 2); et alia, quae supra iam citata sunt (n. 114).

S. *Cyprianus* inculcat sacrificium eodem modo celebrandum esse, quo Christus in ultima cena celebraverit. «Nam si in sacrificio, quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet, quod Christus fecit, et quod faciendum esse mandavit.» Christus enim est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. «Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, i. e. panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.» Sacerdos autem «vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse» (Ep. 62, ed. *Hartel,* quae tota est de sacrificio missae).

Similiter S. *Cyrillus Hieros.* integram catechesim (myst. 5) habuit de sacrificio missae, in qua inter alia ait: «Deum benignum exoramus, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace... Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum ... demereri et propitiare satagentes.»

S. *Ioannes Chrysost.* in illa verba: «Christus semel oblatus est» (Hebr 9, 28) haec dicit: «Quid igitur, an non nos cotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ... eundem semper offerimus, non nunc unam ovem, cras aliam, sed semper eandem, adeoque unum est sacrificium, non multa. Etenim hac ratione quando multis in locis offertur Christus,

numquid multi sunt Christi? Nullatenus, sed unus ubique est Christus.... Sicut ergo multis in locis oblatus, unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex noster ille est, qui tunc obtulit hostiam nos emundantem; illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata et consumi non potest» (In Hebr. hom. 17, n. 3).

S. Augustinus: «Mensam sacerdos ipse mediator novi testamenti exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo; id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti... quia pro illis omnibus sacrificiis corpus eius offertur» (De civ. Dei l. 17, c. 20).

Haec sufficiant, etsi plurima alia testimonia Patrum praesto sunt.

168. *Arg. 2.* Ex liturgiis.

In omnibus liturgiis orientalibus et occidentalibus effertur ratio sacrificii. De *liturgia romana* nihil dicendum est, quia res est manifesta et nota. *Liturgia S. Iacobi:* «Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum, Domine...» (*Renaudot,* Liturg. orient., ed. Francofurti 1847, II 32 sq). *Liturgia S. Basilii:* «Rex regnantium et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur» (*Goar,* Euchol. graec. 170). *Liturgia armenorum:* «Dedisti nobis unigenitum Filium tuum ... victimam et regem unctum, agnum et panem vitae, (offerentem) sacerdotem et oblationem» (*Daniel,* Cod. liturg. IV 463). *Liturgia mozarabica:* «Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremendae maiestati tuae spirituales victimas immolantes, offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit. . . . Hostiaque immolata vivit, et vivens iugiter immolatur; hostia, quae sola Deo placere praevalet, quia Dominus est» (*M* PL 85, 187). *Liturgia gothico-gallicana:* Iesus Christus «formam sacrificii perennis instituens hostiam se tibi primum obtulit, et primus docuit offerri» (*M* PL 72, 314). Similia dicuntur in omnibus liturgiis. Ergo Orienti et Occidenti semper persuasum erat missam esse sacrificium proprie dictum.

169. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Concilium lateranense IV: In missa «idem ipse sacerdos est sacrificium, Iesus Christus» (*Denz.* n. 430; cf. 424). *Concilium tridentinum* sess. 22, can. 1: «S. q. d. in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam ad manducandum dari, A. S.» Can. 2: «S. q. d. illis verbis: ‚Hoc facite in meam commemorationem', Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, A. S.» Cap. 2: «In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit. . . . Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola

offerendi ratione diversa» (*Denz.* n. 940 948 sq). In *Professione fidei tridentina:* «Profiteor in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis» (*Denz.* n. 997). *Pius V* damnavit hanc propositionem (45) *Michaelis Baii:* «Sacrificium missae non alia ratione est sacrificium quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat» (*Denz.* n. 1045).

170. *Obi. I.* *S. Iustinus* ait: «Preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola esse perfecta et Deo accepta sacrificia et ipse pronuntio» (Dial. cum Tryph. n. 117). Ergo secundum eum sacrificium unice consistit in orationibus Deo oblatis.

Resp. *Conc. antec.* *Neg. conseq.* et *consequentiam.* S. Iustinus ibi solum inculcat non oblationem animalium per se placere Deo sed internam mentis devotionem. Non ideo negat, sed diserte docet eucharistiam offerri in sacrificium, ut supra (n. 167) audivimus. Sic etiam hic dicit christianorum preces fieri in recordatione panis et vini, qua memoriam passionis Christi renovent. Ergo preces et eucharistia simul constituunt sacrificium.

171. *Obi. II.* SS. Patres dicunt in eucharistia Christum immolari fidelibus, fideles vero in celebratione eucharistiae se ipsos offerre Deo in sacrificium (e. g. *S. August.,* De civ. Dei l. 10, c. 20 et in Ps. 79), et similia, quibus indicatur sacrificium improprie dictum. Ergo non agnoverunt missam esse sacrificium proprie dictum.

Resp. *Dist. antec.:* SS. Patres praeter rationem primariam, qua sacrificium missae constituitur, varias alias rationes indicant, quae in sacrificio missae etiam inveniuntur, *conc. antec.;* negant in missa Christum sensu vero et proprio offerri Deo in sacrificium, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Non soli SS. Patres sed omnes theologi usque ad nostra tempora docent in missa praeter rationem primariam, qua Christus offertur Deo ad agnoscendam supremam eius maiestatem, etiam alios respectus secundarios considerari posse, ut quod immolatio Christi est utilissima fidelibus, quod ecclesia, uniens se cum mente Christi, se ipsam quoque aliquo modo Deo offert in sacrificium, et alia, quae optime conciliantur cum doctrina de missa ut sacrificio proprie dicto.

172. *Obi. III.* Quidam Patres et theologi, ut *Petrus Lombardus* (Sent. l. 4, dist. 12, n. 7) dicunt eatenus in eucharistia Christum immolari in sacrificium, quatenus fiat memoria et repraesentatio sacrificii in cruce oblati. Atqui memoria et repraesentatio sacrificii olim facti non est sacrificium proprie dictum. Ergo secundum hanc doctrinam missa non est sacrificium proprie dictum.

Resp. *Dist. mai.:* Illi Patres et theologi negant missam esse sacrificium proprie dictum, *neg. mai.;* dicunt sacrificio missae Christum non quidem iterum occidi sed tamen fieri memoriam et repraesentationem mortis olim pro hominibus toleratae, *conc. mai.* De hac re statim plura dicemus. *Dist. min.:* Qualiscumque memoria et repraesentatio sacrificii crucis non est sacrificium proprie dictum, *conc. min.;* illa repraesentatio, qua Christus in missa ut sacerdos et hostia se Patri offert, non est sacrificium proprie dictum, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Alia vide apud *Bellarm.,* De euchar. l. 5, c. 15.

Schol. De relatione sacrificii missae ad sacrificium crucis.

173. *Missa non solum est sacrificium proprie dictum, sed simul etiam est repraesentatio et recordatio sacrificii crucis.* Christus instituens hoc sacrificium, dixit: «Hoc facite in meam commemorationem» (Lc 22, 19). Ad quae verba S. Paulus ait: «Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat» (1 Cor 11, 26).

Sensus non is tantum est in celebratione eucharistiae christianos debere sibi in memoriam revocare mortem Domini; sed sensus est celebrationem eucharistiae ex interna sua indole esse annuntiationem mortis Domini. Ita docet *concilium tridentinum* sess. 22, c. 1: Christus, ut ecclesiae suae «relinqueret visibile sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret . . . corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit» (*Denz.* n. 938). Haec doctrina est vetustissima. Ita *S. Cyprianus* ait: «Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni» (Ep. 62, n. 9, ed. *Hartel*). *S. Ambrosius:* «Ante agnus offerebatur . . . nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem» (De off. l. 1, c. 48). *S. Gregorius M.:* «Pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur» (Dial. l. 4, c. 58). Idem docent theologi. *S. Thomas:* «In quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi . . . habet rationem sacrificii» (3, q. 79, a. 7). «Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari» (3, q. 80, a. 12 ad 3). Sub hoc respectu missa vocari solet *sacrificium relativum.*

Quia imitatio passionis Christi in eo consistit, quod sanguis eius a corpore sacramentaliter separatus exhibetur, theologi omnes fere docent consecrationem utriusque speciei esse essentialem sacrificio missae. E. g. *Suarez:* «De essentia huius sacrificii est expressa repraesentatio mortis et passionis Christi; sed haec intrinsece requirit consecrationem utriusque speciei» (De euchar. disp. 75, sect. 6, n. 7). Idem docent *Vazquez* (disp. 222, c. 7, n. 57), *De Lugo* (De euchar. disp. 19, sect. 8, n. 106), *Lessius* (De div. perf. l. 12, c. 13, n. 95), *Gonet* (De sacrif. missae disp. 11, a. 2, § 4, n. 47), alii tam communiter, ut opposita opinio paucorum dissentientium tuto neglegi possit. Nam si una tantum species consecratur, ne ratione quidem sacramentalis significationis verum manet, quod Christus dixit effundi in hoc sacrificio sanguinem suum in remissionem peccatorum. Tota haec mystica effusio in eo est, quod vi verborum corpus Christi ponitur sub specie panis, et sanguis Christi sub specie vini.

Prop. XXI. **Essentia sacrificii missae consistit in consecratione, qua Christus mystice immolatur, quatenus corpus eius et sanguis vi verborum separatim ponuntur sub speciebus panis et vini, et ita mors Christi mystice renovatur et fructus eius nobis applicatur.**

174. **Stat. quaest.** a) Est quidem de fide missam esse sacrificium; sed ecclesia non definivit, quae pars missae et qua ratione constituat essentiam huius sacrificii. In quaestionem non veniunt partes mutabiles, ut evangelia et epistulae, quia missa immutabiliter est sacrificium. Ex partibus immutabilibus eae tantum respiciendae sunt, quae aliquo modo versantur circa corpus et sanguinem Christi, quia obiectum actionis sacrificalis est victima. Distributionem communionis non esse essentialem docet *concilium tridentinum* sess. 22, can. 8 (*Denz.* n. 955). Fractio et mistio specierum non sunt partes essentiales, quia circa solas species versantur, non circa ipsam victimam. Quare de hac re theologi consentiunt, ut *Suarez* (De euchar. disp. 75, sect. 3) et *De Lugo* (De euchar. disp. 9, sect. 3). Consentiunt etiam nullam verbalem oblationem esse de essentia sacrificii, quia Christus non refertur usus esse tali oblatione in institutione eucharistiae, et quia hae preces factae sunt ab ecclesia et variae sunt in variis liturgiis.

b) Revera inter theologos alicuius auctoritatis unica disputatio est, *utrum sola consecratio an consecratio simul cum communione sacerdotis constituat essentiam huius sacrificii,* quatenus communione immolatio Christi perficiatur, qui consecratione ad hoc producitur, ut immoletur. Ita *Dom. Soto* (In 4 Sent., dist. 13, q. 2, a. 1), *Bellarminus* (De euchar. l. 5, c. 27), pauci alii.

Nostra aetate episcopus *I. Bellord* novam theoriam proposuit, secundum quam omne sacrificium essentialiter est *convivium sacrificale.* Quare ne mors quidem Christi in cruce fuit verum sacrificium, nisi quatenus praemissa erat cena eucharistica, quia «ex tota serie eventuum passionis unicus, qui prae se fert essentiales notas sacrificii, est ultima cena, in qua sola Iesus vere ut sacerdos egit». Sic etiam in quantum is, qui mortuus est in cruce, in missa se dat ut sacrum cibum, quo homines participes fiunt fructus huius mortis, mors ipsa Christi fit pars veri sacrificii. Ita in *The Eccl. Review* XXXIII, Philadelphia 1905, 266 sqq, ubi 378 sqq 457 sqq 513 sqq 612 haec theoria a variis theologis refutatur.

E contra *F. S. Renz* vult unicum verum sacrificium omnium temporum esse sacrificium Christi in cruce. «Si post mortem Christi de sacrificio Christi sermo est, hoc non potest esse verum sacrificium, sed sola repraesentatio veri sacrificii, quae vocatur incruentum sacrificium Christi.» In consecratione incohatur haec repraesentatio, in communione perficitur, quia in missa ecclesia se ut unitam cum Christo offert per ipsum et cum ipso in sacrificium; haec autem unio cum Christo fit in communione. Sic igitur «liturgia eucharistica est epulum, quod habet indolem sacrificalem». Consecratio est sacrificatio obiectiva, qua agnus

praeparatur ad epulum, communio autem est sacrificatio subiectiva, qua ecclesia cum Christo olim occiso coniungitur et offertur (Die Geschichte des Meßopfer-Begriffs II 482 sqq). Tolerari quidem potest doctrina, quae docet communionem esse partem essentialem sacrificii missae; sed tolerari non potest opinio, secundum quam missa non est verum et proprie dictum sacrificium, quia hoc est contra definitionem *Concilii tridentini* (supra n. 169).

Proponimus ut sententiam certam, etsi non definitam, essentiam sacrificii missae consistere in sola consecratione.

175. *Arg. 1.* Ex doctrina SS. Patrum.

S. Ioannes Chrysost.: «Figuram Christi implens stat sacerdos verba illa proferens. . . . ‚Hoc est corpus meum', inquit. Hoc verbum . . . perfectum sacrificium implet» (Hom. 1 de prod. Iudae n. 6). Cur illis verbis impletum est sacrificium? Quia «immolatus iacet Christus» in altari (Hom. 2 de prod. Iud. n. 6). «Cum videris Dominum immolatum et iacentem, sacerdotem assistentem sacrificio et orantem, nos omnes rubentes pretioso illo sanguine, numquid adhuc tibi videris inter homines et in terra commorari?» (De sacerd. l. 3, c. 4). *S. Gregorius Nyss.:* Christus iam ante passionem «se ipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium iam esse perfectum. . . . Iam corpus suum ineffabiliter et invisibiliter immolatum erat secundum voluntatem eius, qui potentia sua hoc mysterium peragebat» (Orat. 1 in resurr.; *M* PG 46, 611). *S. Gregorius Naz.* sacerdotem alloquitur: «O Dei cultor, ne cuncteris orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio» (Ep. 171; *M* PG 37, 282). *S. Cyrillus Hieros.*, postquam exposuit ritum consecrationis, ita pergit: «Ubi vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum . . . et hoc sacrificium offerimus» (Catech. myst. 5, n. 8). *S. Cyprianus:* «Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni» (Ep. 63, n. 9; ed. *Hartel*). Itaque hi Patres et alii (quos citant *Suarez* disp. 75, sect. 5 et *Vazquez* disp. 222, c. 5), etsi non de industria inquirunt in quaestionem de essentia sacrificii missae, tamen clare proponunt sententiam, sacrificium missae consistere in consecratione, quatenus ea Christus mystice immoletur.

Idem docent theologi, quos antea citavimus (supra n. 173), et alii plurimi, ut *Cienfuegos* dicat: «Haec sententia non unum aut duos sed exercitum recenset theologorum» (Vita abscondita disp. 5, sect. 1, § 2, n. 10).

176. *Arg. 2.* **Ex ipsa institutione sacrificii missae.**

Secundum *concilium tridentinum* sess. 22, c. 1 Christus ideo sacrificium missae sub speciebus panis et vini instituit, ut sic cruentum crucis sacrificium repraesentaretur (*Denz.* n. 938), seu, quemadmodum ait *Leo XIII* in encyclica «Mirae caritatis» die 28 Maii 1902, ut missa esset «mortis ipsius . . . vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica renovatio». Atqui hac doctrina indicatur rationem formalem sacrificii inveniri in consecratione panis et vini, quatenus ea mors Christi sacramentaliter repraesentatur et renovatur. Ergo thesis nostra auctoritate bene fulcitur.

Ceterum idem concedere debent omnes theologi, qui ex verbis Christi in eucharistia sanguinem suum effundi in remissionem peccatorum concludunt eucharistiae celebrationem esse sacrificium. Nam si missa ideo est sacrificium, quia in ea sanguis Christi effunditur, sola illa mystica sanguinis et corporis separatio, quae in consecratione fit, sacrificii rationem habet.

177. *Arg. 3.* **Ex ratione theologica.**

Illud dicendum est constituere essentiam sacrificii missae, in quo omnia elementa essentialia sacrificii inveniuntur. Atqui inveniuntur haec elementa in consecratione, quatenus haec est mystica mactatio Christi et renovatio sacrificii crucis. Ergo haec est essentia sacrificii missae.

Prob. min. Ad sacrificium requiritur sacerdos legitimus, hostia, destructio formalis vel aequivalens hostiae, oblatio sensibilis. Atqui haec omnia habentur in consecratione eucharistiae. Ergo consecratio eucharistiae est sacrificium.

Nam sacerdos et hostia simul in missa est Christus, ut docet *concilium tridentinum* sess. 22, c. 2: «Una et eadem est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa» (*Denz.* n. 940). Adest hostia in statu victimae, quia, dum vi verborum ponitur corpus Christi sub specie panis et sanguis Christi sub specie vini, Christus sacramentaliter in statu mortis ponitur, et per hanc mysticam mactationem moraliter praesens fit mors, quam Christus in cruce pertulit, et eius fructus hominibus applicatur. Oblatio hostiae eo ipso habetur, quod totum hoc fit nomine Christi et vi institutionis eius. Sacrificium igitur missae intime cohaeret cum sacrificio crucis, quia idem est sacerdos et eadem hostia, quia eadem physica destructio hostiae olim in cruce facta in missa mystice repraesentatur et renovatur, quia tota efficacia missae derivatur ab efficacia sacrificii crucis, cuius est quaedam continuatio et applicatio. Numerice utique singulae missae et inter se et a sacrificio crucis differunt, et specifice seu ratione formae et modi oblationis missa est aliud sacrificium atque sacrificium crucis.

178. *Obi. I.* Sacra communio essentialiter pertinet ad sacrificium missae, ut patet ex institutione Christi. Atqui in communione vera quaedam destructio hostiae habetur. Ergo communio dicenda est pars formalis sacrificii missae.

Resp. *Dist. mai.:* Sacra communio essentialiter pertinet ad ritum a Christo institutum, quatenus hic ritus est simul sacramentum et sacrificium, *conc. mai.;* quatenus essentia sacrificii saltem partialiter reponenda est in communione, *neg. mai.* *Dist. min.:* In communione habetur destructio, quam Christus ut principalis offerens efficit per sacerdotem, sicut per eum efficit consecrationem, *neg. min.;* nam Christus non recipit communionem neque sacerdos nomine Christi. Destructio specierum et praesentiae sacramentalis sequitur conaturaliter sumptionem sacramenti, non tamen ordinatur ad colendum Deum, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

179. *Obi. II.* Missa est reale sacrificium. Atqui ad reale sacrificium requiritur realis destructio victimae. Ergo sola mystica mactatio non sufficit.

Resp. *Conc. mai.* *Neg. min.* Ad sacrificium sufficit illa destructio, quae ex institutione divina fit circa victimam ita, ut ordinetur tota actio ad colendum Deum. Christus autem instituit sacramentalem effusionem sanguinis sui ad hoc, ut sacrificium crucis repraesentando renovetur ad Deum colendum. Ergo haec destructio sufficit.

Non quaevis repraesentatio alicuius sacrificii est sacrificium; sed si ipsa victima, antea iam physice immolata, producitur in statu mysticae mactationis, hoc, supposita institutione divina, omnino sufficit, ut victima offeratur ad Deum colendum. Interdum tribuunt *Vazquezio* hanc sententiam, quasi in nuda repraesentatione sacrificii crucis posuerit essentiam sacrificii missae. At hoc non est verum. Ipse postulat omnino, ut adsit hostia et ut in hostia aliquid fiat. «Ex parte formae sacrificium est nota exsistens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis»; ex parte autem materiae «est mutatio rei, quae Deo offertur» (disp. 220, c. 3, n. 25 sq). Missa hoc peculiare habet, quod refertur ad sacrificium crucis. «Dico actionem consecrationis eatenus solum sacrificium seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur, ut ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento cruentum illius sacrificium, quod in cruce oblatum est, repraesentetur» (disp. 222, c. 7, n. 57). Non tamen est nuda repraesentatio, sed Christus in statu victimae immolatae repraesentat mortem suam cruentam in cruce toleratam. «Restat igitur, ut ratio sacrificii Christi incruenti formaliter consistat in mystica illa separatione sanguinis a corpore facta vi verborum» (disp. 223, c. 4, n, 40). Si *Vazquez* nimis insistere videtur in repraesentatione, *Billot* et quidam eius discipuli, qui reponunt essentiam missae in mystica mactatione, non satis attendere videntur ad essentialem nexum sacrificii missae cum sacrificio crucis.

180. *Obi. III.* Consecratione corpus et sanguis Christi producuntur sacramentaliter. Atqui sacrificium non est *productio* victimae, sed positio victimae in statu immolationis ad colendum Deum. Ergo consecratione non constituitur essentia sacrificii.

Resp. *Dist. mai.:* Consecratione corpus et sanguis simpliciter producuntur sine statu immolationis mysticae, *neg. mai.;* producuntur in statu

immolationis mysticae, *conc. mai.* *Dist. min.:* Sacrificium ut tale non est productio hostiae, *conc. min.* Non potest una eademque actione victima produci et immolari, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Consecratio, ut est transsubstantiatio, fit per omnipotentiam divinam, et sic non est sacrificium; sed per transsubstantiationem Christus producitur in statu victimae mystice immolatae, et ipse ut sacerdos hanc suam immolationem ordinat ad cultum Dei; et sic consecratio est sacrificium.

In sacrificio missae potius produci hostiam quam destrui maxime effert *Suarez;* monens «hoc esse singulare et excellens in hoc sacrificio, quod per se primo potius est propter efficiendum quam propter destruendum. . . . Quod potissimum intenditur, est effectio et repraesentatio, ut ita dicam, corporis et sanguinis Christi super altare Dei in honorem eius» (De euchar. disp. 75, sect. 5, n. 6). Addit tamen Christum produci in statu mysticae mactationis. «Dico consecrationem habere rationem sacrificii sub ratione mysticae mactationis ac separationis corporis et sanguinis ex vi verborum, totumque hoc ad essentiam sacrificii pertinere» (sect. 6, n. 6). Ergo non in sola productione ponit Suarez rationem sacrificii, sed in productione cum mystica mactatione. Melius autem dicitur productio non formaliter pertinere ad rationem sacrificii sed praesupponi, et totam rationem sacrificii consistere in mystica mactatione.

Neque vero cum *Lessio* eo sensu haec mystica mactatio dicenda est essentia sacrificii, quasi per consecrationem vi verborum realiter sanguis Christi ab eius corpore separaretur, nisi haec separatio ob statum gloriosum Christi impediretur (De perfect. div. l. 12, c. 13, n. 97). Nam realis separatio neque requiritur neque sufficit, si solum sine effectu attentatur; sed quia mystica mactatio est reale signum, quo hostia ponitur ut mactata in honorem Dei, sufficit ad reale sacrificium.

181. Obi. IV. In eucharistia Christus vero quodam, etsi morali modo destruitur, quatenus ponitur in statu cibi et potus. Atqui hac exinanitione Christi optime explicatur ratio sacrificii missae. Ergo haec potius explicatio est admittenda.

Resp. *Conc. mai.* *Neg. min. et conseq.* Nam eo, quod Christus ponitur in statu cibi et potus, non effunditur eius sanguis, ex qua effusione omnes probant missam esse verum sacrificium, non solum esse relativum sacrificium. Omisso enim hoc argumento nihil ex Scriptura proferre possunt, quo demonstretur missam esse verum sacrificium. Neque ullum vestigium illius explicationis essentiae sacrificii missae in traditione invenitur. Certe nihil probant dicta Patrum, quibus enuntiatur Christum in sacrificio missae prius immolari, ut sic simul in cibum praeparetur, cum eo ipso potius supponatur ratione prius esse immolationem, quam Christus ordinetur ad sumptionem (cf. supra n. 175).

Illam theoriam de immolatione Christi per statum cibi et potus primus proposuit *de Lugo* (De euchar. disp. 19, sect. 5, n. 67), quem secuti sunt theologi non adeo multi, ut *Viva* et *Wirceburgenses.* Sed paulatim fere derelicta erat, quando *Franzelin* (De euchar. thes. 16) eam dissertatione pia et ingeniosa resuscitavit et bonos theologos ad eam sequendam permovit, inter quos e. g. *Sasse* (De sacram. I, thes. 32). Quidam tamen ex eius asseclis eam postea reliquerunt, ut *Gihr* (Die heil. Sakramente I^2 640).

182. *Obi. V.* Christus homo in eucharistia eandem voluntatem se ipsum totum Deo tradendi habet, quam in cruce habuit. Atqui haec voluntas sensibiliter manifestata per praesentiam Christi sub speciebus eucharisticis plane sufficit ad constituendum sacrificium. Ergo in nulla alia re reponenda est ratio formalis sacrificii missae.

Resp. *Conc. mai.* *Neg. min.* In hac obiectione confunditur sacrificium morale cum sacrificio liturgico. Sacrificium liturgicum est actus externus religionis, pertinens ad cultum publicum, qui signis sensibilibus perficitur. Hic actus externus praesupponit in sacrificante voluntatem Deum colendi, quia totus valor moralis actus externi derivatur ex actu interno. Sic etiam in sacrificio missae ritus externus consecrationis valorem suum moralem habet ex actibus Christi sacerdotis internis. Attamen si sacrificium liturgicum explicandum est, quaeritur non de internis actibus Christi, sed de externo signo a Christo instituto ad Deum colendum.

Quare sub hoc respectu admitti nequit theoria, quam ante aliquot annos proposuit *G. Pell* (Noch ein Loesungsversuch in der Messopfer-Frage, Passau 1908), qui ait: Propria essentia sacrificii Christi in eo est, quod Christus omnes vires animae et corporis exercet, tradens se ex caritate simpliciter et sine exceptione Deo ad oboedientiam inviolabilem, quam neque perpessiones neque mors inflectere possunt, et hanc suam mentem manifestans etiam eo, quod sub speciebus eucharisticis praesens est. Haec tamen praesentia sub speciebus, qua mors Christi repraesentatur, est aliquid plane accidentale respectu sacrificii, quod unice consistit in internis actibus Christi. — Ita ille, non attendens ad statum quaestionis, quae non est de internis actibus virtutum in Christo sed de illa externa actione liturgica, quam ecclesia docet esse sacrificium. Sola missa est sacrificium, non Christus sub hostia consecrata ad adorandum expositus in ostensorio, etsi ibi est cum omnibus suis internis virtutum actibus. «Sacra eucharistia, dum in pyxide continetur vel ad aegrotum defertur, sacramenti, non sacrificii rationem habet» (*Catech. Rom.* Pars II, c. 4, n. 71).

Schol. De efficacia sacrificii missae.

183. a) «Omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis implet oblatio» (*S. Leo M.*, Serm. 59, c. 7). «Haec illa [munda oblatio] est, quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum consummatio et perfectio complectitur» (*Conc. trid.* sess. 22, c. 1; *Denz.* n. 939). Est enim missa renovatio et applicatio sacrificii crucis, unde totam suam efficaciam habet (ib. c. 2; *Denz.* n. 940). Ergo ratione efficaciae missa a sacrificio crucis distinguitur ut causa particularis applicans a causa universali meritoria.

Est igitur imprimis missa *sacrificium latreuticum et eucharisticum* (supra n. 158), quod soli Deo offerri potest, et hanc efficaciam ex natura sua et ex opere operato semper et infallibiliter habet. Fuit quidem iam antiquis temporibus in ecclesia usus offerendi missae sacrificium in honorem sanctorum caelitum. *Tertullianus:* «Oblationes pro natalitiis [martyrum] annua die facimus» (De corona c. 3). *S. Cyprianus:*

«Sacrificia pro iis [martyribus] semper, ut meministis, offerimus, quotiens martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus» (Ep. 39, n. 3; ed. *Hartel*). Similiter alii Patres. Hoc recte fieri definivit *concilium tridentinum* (sess. 22, can. 5; *Denz.* n. 952). Attamen non ipsis sanctis offertur sacrificium sed soli Deo in honorem sanctorum. *S. Augustinus:* «Populus christianus memorias martyrum religiosa sollemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur; ita tamen, ut nulli martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum, in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre aut Paule aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit» (Contra Faust. l. 20, c. 21).

b) Missa est *sacrificium propitiatorium,* quia in eo sanguis Christi effunditur in remissionem peccatorum. *Concilium tridentinum* sess. 22, can. 3: «S. q. d. missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, A. S.» (*Denz.* n. 950).

In quantum missa offertur a sacerdote humano et a fidelibus adstantibus, habet valorem ex opere operantis, qui valor eo maior est, quod missa simul offertur ab ecclesia, dilecta Christi sponsa, cuius preces semper sunt Deo acceptae. Principalis tamen valor est ex actione Christi sacrificantis. Non immediate quidem peccator iustificatur sacrificio missae, quia unica media iustificationis ex opere operato sunt baptismus et sacramentum paenitentiae. Quid igitur missa confert ad condonationem peccatorum? Imprimis est *sacrificium impetratorium,* quo homines et alias gratias a Deo impetrant, et, si in peccatis sunt, gratiam conversionis. Praeterea *sacrificio placatus, Deus cessat irasci* et paratus est dare peccatoribus auxilia, quae implacatus negaret. Haec igitur cessatio indignationis divinae ob merita Christi in cruce acquisita et in missa applicata est effectus ex opere operato, qui suo tempore infallibiliter obtinebitur, nisi obstat obex ex parte hominis (cf. *De Lugo,* De euchar. disp. 19, sect. 9, n. 141). Simili modo explicatur propitiatio pro peccatis venialibus. Poenas autem post peccatum deletum restantes delet missa ex opere operato, quia ad hunc finem Deo offeruntur satisfactiones Christi pro vivis et defunctis.

c) *Fructus specialissimus* seu personalis vocari solet ille, quem habet sacerdos offerens, isque nulli alii applicari potest (*Denz.* n. 1108). Similem fructum habent ii, qui missae assistunt eamque cum sacerdote offerunt. *Fructus specialis* seu ministerialis dicitur ille, qui provenit iis, pro quibus sacerdos sua intentione missam applicat, de qua re agitur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II[11], n. 241 sqq). *Fructus generalis* est ille, qui toti ecclesiae provenit, quia omnis missa etiam nomine ecclesiae Deo offertur.

Valor missae in se est infinitus propter infinitam dignitatem Christi offerentis, et sic per missam tantus cultus Deo exhibetur, ut maior exhiberi nequeat. Sed quod attinet gratias propter sacrificium missae hominibus concedendas, hae non possunt esse infinitae. Ergo *valor applicationis est finitus.* Quanta autem mensura gratiae propter missam conferatur, pendet tum ex voluntate Christi, qui hanc rem in instituendo sacrificio missae determinavit, tum ex dispositione eius, pro quo offertur. Quia applicatio fit per voluntatem sacerdotis offerentis, plus fructus accipit ille, pro quo solo sacerdos celebrat, quam multi, pro quibus simul celebrat. Quare non licet pro pluribus offerre, si ex titulo iustitiae sacerdos debet pro uno offerre (*Denz.* n. 1110). Sed per multitudinem offerentium vel assistentium fructus missae singulis non minuitur, quia fructus personalis obtinetur oblatione vel assistentia.

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE.

PRAENOTANDA.

184. Tribus sacramentis baptismi, confirmationis, eucharistiae vita supernaturalis datur, perficitur, alitur. Per se igitur nullum aliud sacramentum ad singulorum privatam utilitatem requiritur. Sed Deus praevidit futurum, ut multi vitam supernaturalem commissis peccatis mortalibus rursus perderent. Quibus, non obstante eorum malitia, misericorditer novum remedium contulit, quo gratiam perditam recuperare possent, «sacramentum videlicet paenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur» (*Conc. trid.* sess. 14, c. 1; *Denz.* n. 896).

Nomen huic sacramento impositum est ab aliqua parte eius, scilicet ab actu virtutis paenitentiae, qui in subiecto suscipiente requiritur. *Paenitentia* (*μετάνοια*), etsi potest quamlibet mutationem prioris voluntatis seu propositi significare, plerumque tamen intellegitur *retractatio et detestatio prioris voluntatis malae seu culpae praeteritae.* Ita in S. Scriptura (e. g. Ib 42, 6; Ioel 2, 12 sq; Mt 3, 8; 12, 41; Mc 1, 4; Lc 5, 32; 10, 13 etc.). Ita apud scriptores ecclesiasticos. E. g. *Lactantius* ait: «Is, quem facti sui paenitet, errorem suum pristinum intellegit, ideoque graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos latine possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim et mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget; castigatque se ipsum dementiae, et confirmat animum suum ad rectius vivendum; tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur» (Instit. div. l. 6, c. 24).

Aliud nomen huius sacramenti est *confessio,* quia qui sacramentum recipit, peccata sua confiteri debet. Apud veteres vocatur etiam *manuum impositio*, quae erat caerimonia ad publicam paenitentiam pertinens.

Definiri potest: Sacramentum paenitentiae est illud sacramentum, quo homini contrito, confesso, parato ad satisfaciendum, per iudicialem sacerdotis sententiam peccata post baptismum commissa remittuntur.

Divisio tractatus erit haec: Primo loco probabimus ecclesiam accepisse potestatem sacramentaliter remittendi peccata post baptismum commissa. Dein inquiremus in materiam, formam, effectum, subiectum, ministrum huius sacramenti.

PARS I.
DE EXSISTENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 84; — Contra gent. l. 4, c. 70 sq; *Bellarminus,* De sacramento paenitentiae l. 1; *Suarez,* De paenitentia; *De Lugo*, De virtute et sacramento paenitentiae; *Petavius,* De paenitentia; *I. Morinus,* Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti paenitentiae, Parisiis 1651; *Palmieri,* De paenitentia, Romae 1879; *I. B. Sasse,* De sacramentis ecclesiae II, Friburgi Brisg. 1898, thes. 7 sqq; *L. de San,* De paenitentia, Brugis 1901; *F. Pignataro,* De disciplina paenitentiali, Romae 1904; *F. Frank,* Die Bußdisziplin von den Apostelzeiten bis zum 7. Jahrhundert, Mainz 1876; *C. Chardon,* Histoire du sacrement de pénitence, apud *Migne,* Cursus theol. XX; *J. Souben,* Les sacrements II, Paris 1905; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik II[5], 418 sqq.

Prop. XXII. Paenitentia est verum novi testamenti sacramentum.

185. *Stat. quaest.* Cum essentia sacramenti paenitentiae in eo consistat, quod ecclesia habet potestatem sacramentaliter remittendi peccata post baptismum commissa, imprimis probandum est ecclesiam a Christo talem potestatem accepisse.

Inter veteres haereticos dicitur *Novatianus* negasse ecclesiam habere potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. Ita testantur *S. Athanasius* (Ep. 4 ad Serap. n. 13), *S. Epiphanius* (Haer. 59, n. 1), *S. Ambrosius* (De paenit. l. 1, c. 3). *Novatiani* aut negabant aut restringebant potestatem ecclesiae remittendi peccata (*Socrates,* H. E. l. 7, c. 25), sicut antea iam *montanistae* (*Tertull.,* De pudic. c. 2). Haeretici saeculi XVI plerique paenitentiam sacramentum a baptismo distinctum esse negabant, eamque in sola baptismi recordatione consistere dicebant (e. g. *Calvinus,* Instit. l. 4, c. 19, § 15). Nostrae aetatis *protestantes* sacramentum paenitentiae non admittunt, etsi quidam *lutherani* «ministris» suis potestatem remittendi peccata attribuunt. *Modernistae* dicunt sacramentum paenitentiae eo ortum esse, quod ecclesia coeperit infantes baptizare, et dein indiguerit aliquo remedio ad eos reconciliandos, si adulti peccaverant; sed admodum tarde hanc reconciliationem habitam esse pro sacramento, cum potius haberetur pro re probrosa (*Denz.* n. 2043 2046).

186. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus prius Petro, dein omnibus apostolis *promisit* se daturum esse potestatem clavium in regno suo. Ad Petrum ait: «Tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis» (Mt 16, 19). Omnibus autem apostolis non quidem claves regni caelorum, ut Petro, attamen potestatem promisit ligandi et solvendi, quae et ipsa solet vocari potestas clavium (Mt 18, 18). Illis verbis Christi significari universalem potestatem iurisdictionis diximus in tomo I, n. 195, 3 et 205. Ad hanc autem potestatem praecipue etiam pertinet potestas remittendi aut retinendi peccata, quia peccatis

non remissis clauditur regnum caelorum in altera vita adipiscendum, remissione autem peccatorum aperitur. Agitur autem de potestate in eos, qui sunt intra ecclesiam, quia est potestas, quae Petro datur, ut est fundamentum ecclesiae, et de potestate, cui qui resistit, habendus est ut ethnicus et publicanus.

Hanc promissionem, in quantum refertur ad potestatem retinendi aut remittendi peccata, Christus *implevit* post resurrectionem suam, quando apparens apostolis, dixit: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit iis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt» (Io 20, 21 sqq). Atqui his verbis Christus apostolis et eorum successoribus dedit potestatem remittendi signo sensibili peccata post baptismum commissa. Ergo tunc instituit sacramentum paenitentiae.

Prob. min. per partes. a) Illis verbis *Christus dedit apostolis potestatem vere remittendi aut retinendi peccata.* Remittere peccata est hominem ita liberare a peccato, ut eius conscientia non iam gravetur culpa coram Deo (cf. Mt 6, 12 14; 12, 31 sq; Mc 11, 26; Lc 12, 10; 1 Io 1, 9; 2, 12). Hanc potestatem se habere Christus docuit et curatione paralytici probavit (Mt 9, 2 sqq). Hic autem dicit: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . . Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis.» Ergo dedit iis potestatem remittendi peccata, quam ipse habet; et quia haec potestas principaliter est in solo Deo, dedit iis Spiritum Sanctum, ut tamquam ministri et instrumenta eius possint, quod ex se non possunt.

b) *Haec potestas refertur ad peccata post baptismum commissa.* Nam Christus promiserat apostolis potestatem clavium in peccata membrorum ecclesiae; ergo eam dedit. Hoc etiam indicatur verbo κρατεῖν, «retinere peccata», quia κρατεῖν non est aliquid pure negativum, sed idem est ac potestatem, quam aliquis habet in alium, sustinere et asserere. Ergo agitur de hominibus, in quos ratione peccatorum ab iis commissorum apostoli specialem potestatem habent. Atqui apostoli in solos baptizatos potestatem habent (cf. 1 Cor 5, 12). Denique haec potestas confundi non potest cum potestate baptizandi, quam Christus alia occasione et aliis verbis instituit et determinato ritui alligavit (Mt 28, 19). Baptizari homines semel tantum possunt, potestas autem remittendi peccata nullo numero limitatur, sed indefinite extenditur.

Ceterum hoc de fide est; nam *concilium tridentinum* sess. 14, can. 2 definivit: «Si quis, sacramenta confundens, ipsum baptismum paenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo paenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, A. S.» (*Denz.* n. 912).

c) *Exercitium huius potestatis signo sensibili fieri debet,* quod utique signum natura rerum et exemplo Christi satis determinatum

est. Nam cum agatur de potestate in alios homines exercenda, hoc fieri nequit actu pure interno, sed necessario requiritur externa actio, qua peccatori peccata aut remitti aut retineri declaratur. Sic apostoli viderunt Christum agentem (Mt 9, 2 6. Lc 5, 20 24; 7, 48 sq).

d) *Potestas remittendi aut retinendi peccata data est etiam successoribus apostolorum.* Apostolos habere successores in munere regendi ecclesiam alibi iam probatum est (I, n. 219 sqq 270 sqq). Quamdiu manet finis potestatis, tamdiu manet potestas a Christo collata. Atqui finis potestatis remittendi aut retinendi est perpetuus; ergo ipsa quoque potestas est perpetua. Non magis aetate apostolorum quam postea multi fideles indigebant remissione peccatorum. *S. Pacianus:* «An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet et Spiritum Sanctum dare et solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est. . . . Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, maiorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit et solvendi» (Ep. 1 ad Sempr. n. 6).

Hanc expositionem textus sanxit *concilium tridentinum* sess. 14, c. 1: «Dominus sacramentum paenitentiae tum praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum. ... Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. Et novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione ecclesia catholica tamquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc verborum Domini sensum sancta haec synodus probans et recipiens, damnat eorum commenticias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium annuntiandi contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent» (*Denz.* n. 894). Can. 3: «S. q. d. verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum . . . non esse intellegenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento paenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit ... A. S.» (*Denz.* n. 913). Damnata est haec propositio *modernistarum:* «Verba Domini: ‚Accipite Spiritum Sanctum . . .' minime referuntur ad sacramentum paenitentiae, quidquid Patribus tridentinis asserere placuit» (*Denz.* n. 2047).

187. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Tertullianus, etiamtum catholicus, scripsit opusculum «De paenitentia», quo agit de «duabus humanae salutis quasi plancis», i. e. de baptismo et de paenitentia. Sex prioribus capitibus ostendit peccatoribus nondum baptizatis, si paenitentiam peccatorum habeant, baptismo omnia peccata remitti. Sex ultimis capitibus loquitur de iis, qui post baptismum graviter peccaverunt. His Deus «collocavit in

vestibulo paenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat. . . . Gratus in Dominum exstiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaveris; offendisti, sed reconciliari adhuc potes» (c. 7). Subeunda est exomologesis, quae «prosternendi et humilificandi hominis disciplina est ... ingemiscere ... presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari. ... Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis. ... An melius est damnatum latere quam palam absolvi?» (c. 9 sq). Cf. *A. d'Alès,* La théologie de Tertullien 342 sq. Postea Tertullianus, montanista factus, restrinxit potestatem ecclesiae dimittendi peccata: Delicta «dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia» (De pudicitia c. 2). Hanc ut montanisticam doctrinam opponit doctrinae catholicorum.

Origenes: «Is, in quem Iesus insufflavit, quemadmodum in apostolos . . . is dimittit, quae dimitteret Deus, et insanabilia peccata retinet, ministrans . . . soli dimittendi potestatem habenti Deo. Sic autem habent in evangelio secundum Ioannem, quae de remissione ab apostolis concedenda scripta sunt: Accipite Spiritum Sanctum . . .» (De orat. n. 28). Vituperat quidem ibi eos, qui putant se suis precibus posse quoscumque peccatores liberare nulla ab iis postulata debita paenitentia. At non ideo negat ab ecclesia omnia peccata remitti posse. «Christus erat archiatros, qui posset curare omnem languorem et omnem infirmitatem; discipuli vero eius Petrus et Paulus sed et prophetae medici sunt, et hi omnes, qui post apostolos in ecclesia positi sunt, quibusque curandorum vulnerum disciplina commissa est, quos voluit Deus in ecclesia sua esse medicos animarum, quia non vult Deus noster mortem peccatoris, sed paenitentiam et orationem eius exspectat» (In Ps. 37, n. 1).

S. Cyprianus: «Quodsi invenimus a paenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus, et paenitentiae fructus dolentibus non negandus» (Ep. 55, n. 29; ed. *Hartel*). «Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotem apud Dominum grata est» (De lapsis c. 29).

In *Didascalia apostolorum* (quae saeculo III in Syria scripta est) sic monetur episcopus: «Uniuscuiusque curam habeto episcopus, et eorum, qui non peccaverunt, ut maneant, et eorum, qui peccaverunt, ut paenitentiam agant, iisque remissionem peccatorum dato. . . . Tu ergo, episcope, doce et corripe et solve per remissionem, et cognosce locum tuum quasi locum Dei omnipotentis, et quod accepisti potestatem remittendi; nam vobis, episcopi, dictum est: Quodcumque ligaveritis...» (l. 2, c. 18; ed. *Funk* 64). «Qui enim de ecclesia pellit

eum, qui convertitur, interficit eum pessime, et sanguinem eius effundit sine misericordia» (ib. c. 21). «Quemadmodum igitur gentilem baptizas ac postea recipis, ita et huic manum impones omnibus pro eo precantibus, ac deinde eum introduces et participem facies ecclesiae, et erit ei in loco baptismi impositio manus» (ib. c. 41).

S. Ioannes Chrysost.: Sacerdotes «potestatem acceperunt, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: Quaecumque ligaveritis. . . . Ac quaecumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit quam omnem caelestium potestatem? Nam quorum, inquit, remiseritis peccata. . . . Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa condonare possunt» (De sacerd. l. 3, n. 5 sq).

S. Ambrosius: «Specta illud, quomodo qui Spiritum Sanctum accepit, et solvendi potestatem et ligandi accepit, sicut scriptum est: Accipite Spiritum Sanctum. . . . Munus Spiritus Sancti officium est sacerdotis, ius autem Spiritus Sancti in solvendis ligandisque criminibus est» (De paenit. l. 1, c. 2, n. 8). «Quid interest, utrum per paenitentiam an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est» (ib. c. 8, n. 36).

S. Pacianus epistulis tribus ad Sempronianum datis novatianos refutat. Inter alia ait: «Quod post baptismum paenitere non liceat, quod mortale peccatum ecclesia donare non possit . . . quis hoc vindicat, frater? ... Novatianus hoc praecepit. ... At vel quando, frater, quibusve temporibus? . . . Post trecentos prope annos dominicae passionis. ... Ergo a Christi usque ad Decii principatum nullus intellegens? Post Decium omnis episcopus impatiens, omnes alii dissoluti, qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari?» (Ep. 3, n. 1). Obiciunt solum Deum posse peccata dimittere. «Verum est, sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: Quae ligaveritis in terris . . . ? Cur hoc, si ligare ac solvere hominibus non licebat?» (Ep. 1, n. 6).

S. Augustinus: «Nec eos audiamus, qui negant ecclesiam Dei omnia posse peccata dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intellegunt et nolunt credere datas ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt» (De agone christ. n. 31). Scelus, «si a catechumeno factum est, baptismate abluitur; et si a baptizato, paenitentia et reconciliatione sanatur» (De adult. coni. l. 2, n. 16).

Eadem est doctrina ceterorum Patrum, eadem doctrina theologorum (Sent. 4, dist. 14. Sum. 3, q. 84).

188. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Prima definitio conciliaris de hac re facta est a. 251 in *concilio romano* sub *Cornelio* papa. Nam *Novatianus* (quem graeci plerumque

Novatum appellant), arrogantia elatus adversus lapsos, «quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent, quae ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent, propriae cuiusdam sectae eorum, qui tumore mentis elati se ipsos catharos nominarunt, auctor exstitit. Ob quam rem cum Romae congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac diaconi multo plures convenerunt, cumque in provinciis antistites, quid agendum esset, seorsum consultassent, huiusmodi decretum a cunctis promulgatum est: Novatum quidem et eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerant, et quicumque inhumanissimae et a fraterna caritate alienae eius opinioni consentire praesumpserant, alienos ab ecclesia habendos esse; fratres vero, qui in calamitatem inciderant, paenitentiae remediis curandos esse et confovendos» (*Euseb.*, H. E. l. 6, c. 43). Ab illo tempore *novatiani* semper haereticis accensebantur (cf. *Denz.* n. 55 88 94). Quod autem episcopi statim tam unanimiter in Novatianum insurrexerunt, signum est veram doctrinam et rectam praxim ante Novatianum fuisse servatam in ecclesia.

Cum in admittenda hac doctrina consentirent orientales et occidentales, nulla postea erat ratio quidquam de ea definiendi, antequam *waldenses* quosdam errores catharorum renovarent. Quare ab *Innocentio III* et a *concilio lateranensi IV* contra hos rursus statuta est doctrina catholica (*Denz.* n. 424 430). Contra haeresiarchas saeculi XVI factae sunt definitiones *concilii tridentini,* ex quo quaedam iam audivimus (supra n. 186 *b d*). Sess. 6, c. 14: «Qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per paenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium tabulam sancti Patres apte nuncuparunt [*S. Hieronym.*, Ep. 130, n. 9; *M* PL 22, 1115]. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit paenitentiae, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum...» (*Denz.* n. 807). Sess. 14, can. 1: «S. q. d. in catholica ecclesia paenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, A. S.» (*Denz.* n. 911).

189. *Arg. 4.* Confirmatio ex ratione.

Deus praevidit plurimis baptizatis paenitentiam propter peccata post baptismum commissa futuram esse necessariam. Atqui conveniens erat hanc peccatorum baptizatorum paenitentiam non fieri independenter ab ecclesiae potestate. Ergo institutio sacramenti paenitentiae erat conveniens. *Prob. min.* Si conveniens est primam iustificationem hominis dependere a potestate ecclesiae, ut sine baptismo aut eius voto nemo iustificari possit, etiam conveniens est secundam iustificationem dependere a potestate ecclesiae. Immo magis conveniens est haec

altera dependentia quam illa prior, quia, si homo tam ingratus fuit beneficio baptismi, ut peccando se rursus subtraheret Dei dominio, rectus ordo servatur, si a peccato liberari nequeat nisi humiliter se subiciendo potestati humanae a Deo institutae. Hoc etiam multum confert, ut christiani efficacius a peccando deterreantur, et si peccaverint, in via paenitentiae recte dirigantur. Sic auctoritas ecclesiae, dilectae Christi sponsae, valde commendatur; et simul peccatoribus vere paenitentibus magna consolatio adhibetur, quando audiunt ab hominibus ad hoc auctoritatem habentibus: Dimittuntur tibi peccata tua.

190. Obi. I. Verba ligandi et solvendi apud iudaeos significabant declarare, quid esset secundum legem praeceptum vel licitum, quid vero prohibitum. Atqui declarare, quid sit praeceptum vel licitum, quid sit prohibitum, non est idem atque retinere et remittere peccata. Ergo Mt 16, 19 et 18, 18 non promittitur potestas retinendi et remittendi peccata.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Declarare auctoritative, quid secundum legem praecipiatur vel permittatur, quid vero prohibeatur, non exclusive idem est atque retinere et remittere peccata, *conc. min.;* non includit hanc potestatem, *neg. min. Dist. conseq.:* Illis locis non unice promittitur potestas remittendi et retinendi peccata, *conc. conseq.;* non etiam promittitur haec potestas, *neg. conseq.*

Apud iudaeos unice agebatur de exponenda lege scripta. Christus autem ecclesiae suae non dedit legem scriptam sed auctoritatem vivam. Itaque haec auctoritas potest statuere et declarare, quid praecipiatur, quid permittatur, quid prohibeatur; quae est potestas legislativa, quam ex natura rei sequitur potestas iudicialis. De hac iudiciali potestate sermo est Mt 18, 18, ubi agitur de peccatore, qui ad tribunal ecclesiae defertur, ut ibi iudicetur iudicio, quod Deus ratum habet. Ergo illis duobus textibus promittitur amplissima potestas iudicialis, quae in foro conscientiae exercetur per administrationem sacramenti paenitentiae.

191. Obi. II. Mt 18, 17 sermo est de accusatione, qua peccator defertur ad ecclesiam. Atqui ecclesia est multitudo fidelium. Ergo ibi non promittitur specialis potestas apostolis et eorum successoribus conferenda.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Ecclesia est multitudo fidelium, qui omnes eandem habent potestatem, *neg. min.;* qui subsunt praesidibus a Christo institutis ad res ecclesiasticas gubernandas, *conc. min. Dist. conseq.:* Non promittitur potestas, quae non sit in bonum totius ecclesiae, *conc. conseq.;* non promittitur potestas, quae sit exercenda per rectores ecclesiae, *neg. conseq.* In toto capite Christus alloquitur apostolos, iisque instructiones et promissiones facit.

Sunt quidem etiam nonnulli catholici, qui illud «Dic ecclesiae» explicant «Dic multitudini»; sed hi addunt, in quantum agatur de administranda iustitia, non esse totius multitudinis sed praelatorum ecclesiae ferre sententiam iudicialem (*S. Thomas* 2, 2 sq 33, a. 3).

192. Obi. III. *Tertullianus* dicit verba Christi Mt 16, 18 sq de solo Petro valere, non de eius successoribus (De pudic. c. 21). Ergo Tertullianus non potest invocari testis potestatis ecclesiasticae retinendi et remittendi peccata.

Resp. *Dist. antec.:* Hoc dixit Tertullianus haereticus factus et pugnans cum iis, quae antea catholicus scripserat, *conc. antec.;* hoc dixit, quamdiu mansit in unitate ecclesiae et traditionis, *neg. antec. Dist. conseq.:* Ergo Tertullianus fidelis non recte invocatur testis, *neg. conseq.;* Tertullianus apostata non recte invocatur testis, *trans. conseq.* Ceterum ne montanista quidem negavit ecclesiam habere potestatem remittendi peccata. Sed tunc ecclesiam voluit esse suam sectam, et hanc posse quidem sed nolle remittere graviora delicta. Ita enim l. c. ait: «Sed habet, inquis, potestatem ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum Paracletum in novis prophetis habeo dicentem: Potest ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia [alii] delinquant.»

Nostra aetate *H. C. Lea* in opere «A History of auricular Confession» (Philadelphia 1896) repetit assertionem Tertulliani, verba Christi de solis apostolis valere, idque alia ratione confirmat, cum ea aetate omnibus persuasum fuerit nullos futuros esse successores apostolorum, sed mox Christum rediturum esse ad iudicium (I, 108). At illud opus est tam mira colluvies inconditae eruditionis et nugatoriae argumentationis, ut in eo immorari sit tempus perdere (cf. *P. M. Baumgarten,* Die Werke von H. C. Lea und verwandte Buecher, Muenster 1908).

193. *Obi. IV.* Verba Christi Io 20, 23 a quibusdam Patribus referuntur ad baptismum, immo interdum dicuntur pertinere ad omnes christianos. Ergo ex his verbis fieri non potest efficax argumentum pro sacramento paenitentiae.

Resp. *Dist. antec.:* Interdum SS. Patres illis verbis subiciunt latiorem quandam significationem vel moralem applicationem, *conc. antec.;* iidem Patres negant illis verbis collatam esse specialem potestatem apostolis et eorum successoribus, *neg. antec.;* nam diserte asserunt hanc potestatem.

Cum baptismo remittantur peccata, quidam Patres, sumentes illa verba Christi: «Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis», secundum materialem tantum significationem, dicunt ea etiam in administratione baptismi impleri, non tamen negant ea referri ad sacramentum paenitentiae. E. g. *S. Ambrosius* citatis illis verbis Christi ita arguit contra novatianos: «Cur baptizatis, si per hominem peccatum dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, utrum per paenitentiam an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent?» (De paenit. l. 1, c. 8, n. 36). Similiter *S. Cyrillus Alex.* illa verba et de baptismo et de paenitentia exponit (In Io. l. 12, c. 20; *M* PG 74, 722). Eatenus igitur ex hac extensione verborum nulla oritur difficultas; sed si verba non per se sola sed secundum praecepta hermeneutica exponuntur, non referuntur ad baptismum, quia baptismus non est potestas remittendi et retinendi peccata seu potestas clavium (supra n. 186; infra n. 207). Quare omnes fere Patres, ubi illum locum exponunt, nullam mentionem baptismi faciunt (cf. *Bellarm.,* De paenit. l. 1, c. 10). *Knabenbauer* in commentario in Ioan.[2] (p. 583) ait: «Non opus erit monere verba neque de baptismo neque de praedicatione accipi posse.»

194. *Obi. V.* Apostolus ait: «Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam» (Hebr 6, 4 sqq). Ergo nulla conceditur paenitentia post baptismum.

Resp. *Dist. antec.:* Sensus verborum est nullum peccatum post baptismum posse remitti, *neg. antec.;* sensus est a peccato apostasiae a fide vix possibilem esse reditum ad paenitentiam, *conc. antec.* Et sic patet responsum ad *conseq.*

Apostolus vult iudaeos deterrere ab apostasia a fide. Ad hunc finem iis in mentem revocat, quot gratias a Deo acceperint, et ait, si iis non obstantibus a fide deficiant, eos similes esse agro sterili: «terra enim saepe venientem super se bibens imbrem . . . proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima» (v. 7 sq). Similiter apostatae paenitentia salutifera est res desperata, quia difficillima. Neque igitur in textu agitur omnino de potestate remittendi peccata, sed de pessimo statu hominis a fide apostatae. Plurimi Patres textum sic explicant: Qui post baptismum graviter peccant, non possunt rursus baptismo renovari; ergo solam repetitionem baptismi excludunt. Haec explicatio non pertinet ad nostram quaestionem. Item de apostasia sermo est Hebr 10, 26 sq et 1 Io 5, 16.

195. *Obi. VI.* Deus non instituit perniciosa. Atqui sacramentum paenitentiae duceret ad corrumpendos mores, cum homines scirent se omnium scelerum veniam impetrare posse. Ergo Deus tale sacramentum non instituit.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et consequens.* Multo facilius homines peccant, si iis persuasum est se sola interna contritione remissionem peccatorum impetrare posse, vel sola firma fiducia et recordatione baptismi, ut protestantes docuerunt, quam si sciunt omnia crimina sua confitenda esse sacerdotibus et luenda debitis satisfactionibus iniunctis. Si vero homines sibi persuaderent delicta a se patrata omnino non posse remitti, se in desperationem salutis conicerent et eo magis peccare pergerent.

Schol. I. Num vetus ecclesia docuerit quaedam peccata non esse remittenda.

196. Cum de fide sit ecclesiam habere potestatem peccatoribus sincere paenitentibus remittendi omnia peccata post baptismum commissa, potest tamen poni quaestio, num vetus ecclesia expedire censuerit uti hac potestate circa omnia peccata, etiam maxime enormia. Quaestio haec maxime respicit prima saecula post Christum; nam constat posterioribus saeculis nulla peccata esse excepta. Agitur ergo imprimis de disciplina ecclesiastica, qua tamen necessario tangitur doctrina dogmatica. *Morinus* (De paenit. l. 10, c. 1; cf. l. 9, c. 19 sq), *Martène* (De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 6, a. 2), *Arnaldus* (De frequenti communione P. 2, c. 15), alii docent in vetere ecclesia idololatris, adulteris, homicidis simpliciter negatam esse absolutionem. Ad quam praxim redeundum esse iansenistae volebant.

Nostra aetate *Batiffol* censet gravissimis illis peccatis in vetere ecclesia negatam esse absolutionem usque ad articulum mortis, moribundis autem paenitentibus omnia peccata esse remissa (Études d'histoire et de théologie positive I[5], 222). Similiter *Funk* (Theolog. Quartalschrift, Tuebingen 1906, 562). Idem iam *Petavius* docuerat. Hic censet saeculo I et initio saeculi II nulli peccatori, cuiuscumque sceleris reo,

denegatam fuisse absolutionem, dummodo paeniteret, saeculo autem II exeunte invaluisse rigidiorem praxim quaedam peccata non condonandi (De paenit. publ. l. 2, c. 8, n. 11 sqq). In notis ad Epiphan. haer. 59, seu De paenitentiae ritu in vetere ecclesia § 2, ait: «Quae res eo usque progressum habuit, ut atrocioribus quibusdam sceleribus venia indulgentiaque funditus denegata fuerit, numquam ut cum ecclesia reconciliari possent.» Postea vero in notis ad Synesium c. 4 hanc sententiam retractat: «Nos re altius accuratiusque considerata asserimus nullam umquam totius ecclesiae catholicae usu vel sanctione receptam fuisse consuetudinem, quae moribundis peccatorum absolutionem negaret» (cf. Petavii ed. Barri-Ducensis VIII 408 sqq 484 sqq 677 684 sqq).

Plerique theologi omnino negant umquam in tota vetere ecclesia invaluisse praxim quibusdam peccatoribus in perpetuum denegandi absolutionem. Ita non soli veteres omnes ante Morinum sed etiam recentes, ut *Hurter, Palmieri, Sasse*. Maxime *I. Stufler* multis dissertationibus historicis in «Zeitschrift fuer kath. Theologie», Innsbruck 1907 et 1908 opinionem Morini et aliorum refutat. Breviter quaedam veterum dicta et facta recenseamus.

197. Imprimis *in S. Scriptura sententia rigoristica nullum habet fundamentum*. Christus enim apostolis promisit et dedit potestatem omnia ligandi et solvendi et omnia peccata remittendi aut retinendi (supra n. 186), nullos limites assignavit, nisi qui ex natura rei postulantur, i. e. ut exigatur vera paenitentia. Neque umquam in Novo Testamento ullius peccati mentio fit, cuius homo veniam impetrare non possit, si serio paenitere velit. *Excipitur quidem peccatum in Spiritum Sanctum* (Mt 12, 31 sq), at hoc ideo, quia tale est peccatum, ut ex indole sua excludat bonam voluntatem ad conversionem necessariam. Nam qui de industria resistit Spiritui Sancto eumque blasphemat, id facit, quod e diametro oppositum est dispositioni requisitae ad impetrandam veniam. Ergo hoc peccatum eodem sensu non potest remitti, quo pertinaciter impaenitens non potest paenitere. Quae quidem pertinax impaenitentia potest in multis peccatis inveniri, quorum unum est, de quo Christus loquitur l. c., scilicet opera, quae quis cognovit esse divina, tribuere diabolo auctori. — De peccato apostasiae iam diximus (supra n. 194).

Quia omnia peccata remitti possunt, monent apostoli christianos peccatores, ut paenitentiam agant. Ita S. Ioannes nomine Dei monet episcopum Pergami: «Paenitentiam age», quia permiserat doctrinas falsas et perniciosas in ecclesia sua spargi. Et episcopum Thyatirae hortatur: «Permittis mulierem Iezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos. Et dedi ei tempus, ut paenitentiam ageret, et non vult paenitere a fornicatione sua» (Apc 2, 12 sqq). S. Petrus Simonem magum ob gravissimum eius peccatum graviter increpat, sed addit: «Paenitentiam age ab hac nequitia tua« (Act 8, 22). S. Paulus

ob delictum alicuius christiani corinthii dicit: «Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrimas», quia ille peccator et Paulum et totam ecclesiam corinthiam summopere contristaverat. Nihilominus se paratum ostendit ad ei condonandum, si corinthii videant eum esse sufficienter contritum et velint ei condonare, «ne forte abundantiore tristitia absorbeatur qui eiusmodi est» (2 Cor 2, 4 sqq). SS. Patres unanimi consensu et plurimi exegetae posteriores dicunt agi de illo homine incestuoso, quem apostolus in priore epistula gravissimae poenae subiecerat (1 Cor 5, 1 sqq). Neque ulla ratio sufficiens est cum *Tertulliano* haeretico (De pudic. c. 13 sqq) recedendi ab hac expositione et amplectendi oppositam sententiam, quam Tertullianus elegerat, quia videbat S. Pauli exemplo rigorismum suum damnari.

198. *S. Clemens Rom.* factum corinthiorum rebellium ut turpissimum crimen notat (1 Cor. 47, 6). Neque tamen concludit illud non posse remitti, sed ait: «Auferamus igitur hoc celeriter; pedibus Domini advolvamur, et flentes suppliciter imploremus eum, ut propitius factus nobis concilietur» (48, 1). «Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis, in oboedientia subditi estote presbyteris, et correctionem suscipite in paenitentiam» (57, 1).

S. Iustinus M. dicit eos, qui prius Christum confessi sint, postea vero negaverint, non posse salvos fieri, nisi ante mortem paenitentiam egerint. «Nam qui paenitentiam peccatorum agit, eum benignitas et humanitas Dei ... perinde ac iustum ac peccato carentem habet» (Dial. cum Tryph. n. 47). Etiam *S. Irenaeus* sine ulla distinctione omnibus paenitentibus veniam promittit (Contra haer. 1, 10, 1; 4, 40, 1). Idem narrat quasdam mulieres, quae a Marco haeresiarcha ad haeresim et moechiam seductae erant, facta exomolegesi iterum receptas esse in ecclesiam (l. 1, c. 13, n. 7). Idem testatur Cerdonem haereticum saepius ad paenitentiam admissum esse, sed rursus ab ecclesia defecisse (l. 3, c. 4, n. 3). *Dionysius Corinthius* scripsit epistulam ad ecclesiam amastriacam in Ponto, in qua «cunctos, qui a quovis lapsu sive delicto, sive etiam ab haeretica pravitate, resiliunt, benigne suscipi iubet» (*Euseb.*, H. E. 4, 23). Exempla hucusque allata pertinent ad saeculum I et II. Neque quidquam alicuius momenti ex illa aetate pro rigorismo ecclesiae proferri potest, nisi quod dicunt primis christianis persuasum fuisse necessario innocentiae baptismalis stolam esse ad finem puram servandam. Quasi haec non semper fuerit et sit in ecclesia boni et veri christiani species et forma; et quasi non statim ab initio manifestum fuerit nequaquam omnes christianos ad hanc idealem perfectionem pervenire, quemadmodum scripta apostolorum testantur.

199. *In Oriente rigorismus numquam praevaluit contra veterem praxim.* Quod iam monuerat *S. Polycarpus:* «Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes ...

non severi nimis in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati» (Phil. c. 6), id repetitur in *Didascalia apostolorum:* Deus saepe peccatores invitat ad paenitentiam, «non relinquens locum suspicionis his, qui duro corde et sine misericordia volunt iudicare et aperte expellere eos, qui peccaverunt, tamquam non relinquatur iis paenitentia. Sed Deus non sic. . . . Oportet igitur, episcopi, secundum Scripturas vos iudicare peccatores cum clementia ac misericordia. . . . Ita igitur facies, ut et populus tuus admoneatur, et peccator non omnino pereat» (l. 2, c. 15). Solum «si aliquem vides paenitentiam non agere neque ullam spem praebere, tunc cum tristitia et luctu abscinde eum et eice ex ecclesia» (c. 41).

Clemens Alex., postquam peccatores ad paenitentiam provocavit, haec addit: «Ut autem magis confidas, modo sic vere paenitueris, audi fabulam, quae ipsa non fabula sed vera de Ioanne apostolo tradita narratio est ac memoriae studiose commendata.» Narrat dein, quomodo Ioannes iuvenem quendam ad fidem converterit, qui postea in gravissima crimina inciderit. Socios «assumens et latronum societatem instituens, insignis latro erat, violentia, caedibus, atrocitate excellens». Quod cum S. Ioannes audivisset, eum quaesivit, eique persuasit, ut ad bonam vitam rediret, cum ipso paenitentiam egit, nec prius destitit, «quam illum firma constantia ecclesiae gremio admovisset, magno verae paenitentiae exemplo exhibito grandique iteratae generationis *(παλιγγενεσίας)* documento et futuro resurrectionis trophaeo» (Quis dives salvetur c. 42). Quomodo potuit tale exemplum proponi, si in ecclesia crimina similia non remittebantur?

Origenes, etsi inculcat non posse quemquam solis precibus suis alii obtinere remissionem peccatorum, tamen docet nulla esse peccata, quae vere paenitenti non possint remitti. Id multis textibus ostendit *Stufler* (Zeitschrift fuer kath. Theol., Innsbruck 1907, 203 sqq). Sic e. g. Origenes loquitur de adulteris: «Apud christianos si adulterium fuerit admissum, non est praeceptum, ut adulter vel adultera corporali interitu puniantur. . . . Nunc non infertur poena corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat sed per paenitentiam» (In Lev. hom. 15, n. 2).

Opus non est posteriorum Patrum graecorum dicta proferre, quia de iis nulla esse potest dubitatio. Sufficiat unum exemplum. *S. Athanasius* in quodam fragmento loquens de eo, qui Deum blasphemavit, ait: «Observandum est non dixisse Christum blasphemanti et postea paenitenti remissionem dandam non esse sed blasphemanti et in blasphemia perseveranti, siquidem condigna paenitentia peccata omnino eluit» (*M* PG 27, 1286).

200. *In Occidente* primum vestigium disputationis de hac re cernitur in *Pastore Hermae.* Hermas enim dicit se a quibusdam audivisse non esse nisi unam paenitentiam, quae fiat in baptismo. Respondet Pastor

(qui se vocat «paenitentiae praepositum»): «Recte audisti; sic enim res se habet. Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum, non amplius peccare sed in castitate permanere.» Sed quia Deus est misericors et novit fragilitatem hominum, adhuc semel paenitentiae tempus concedit. Ergo si quis post baptismum peccavit, «unam paenitentiam habet. Si autem subinde peccat et paenitentiam agit, non prodest homini eiusmodi; difficile enim vivet.» Dicit Hermas se nunc bono animo esse non obstantibus peccatis suis; «scio enim fore, ut salvus fiam, si postea non adiecero peccatis meis». Respondet Pastor: «Salvus eris et omnes, quotquot haec fecerint» (Mand. 4, 3). Putabat scilicet Hermas ultimum diem mox instare: ideo celeriter agendam esse paenitentiam, ne tempus veniae praeterlaberetur. Ex hac suppositione severiora eius dicta explicanda sunt. Ceterum *Tertulliano* montanistae satis severus non erat, qui vocat eum «apocryphum Pastorem moechorum», cuius «scriptura sola moechos amat» (De pudic. c. 10 20).

Idem Tertullianus vehementer in *S. Callistum* papam invehitur: «Audio edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto» (De pudic. c. 1; *Denz.* n. 43). Numquid Callistus novam praxim induxit an veterem comprobavit? *F. X. Funk* dicit Callistum mitigasse veterem praxim (Theol. Quartalschrift, Tuebingen 1906, 541). Hanc opinionem suam fecerunt *P. Batiffol* (Études d'histoire et de théologie positive I[5], 327 sqq) et quidam alii. Callistum confirmasse priorem praxim catholicam censent *Morinus* (De discipl. paenit. l. 9, c. 9, n. 1), *Natalis Alexander* in Hist. eccl., *Probst* (Sakramente und Sakramentalien 255), *Stufler* (Zeitschrift fuer kath. Theologie 1908, 1 sqq), *Diekamp* (Theol. Revue, Muenster 1908, 257), *D'Alès* (La théologie de St Hippolyte 39 sqq; La théologie de Tertullien 345 sq), e protestantibus *F. Loofs* (Leitfaden der Dogmengeschichte[4], Halle 1906, 208), *R. Seeberg* (Lehrbuch der Dogmengeschichte I[2], Leipzig 1908, 496 cum quadam modificatione), alii. Maxime e catholicis theologis hanc sententiam defendit *G. Esser* (Die Bußschriften Tertullians De paenitentia und De pudicitia und das Indulgenzedikt des Papstes Callistus, Bonn 1905, praeterea in periodico Der Katholik 1907, II 184 sqq 297 sqq et 1908, I 12 sqq 93 sqq). Cum Tertullianus ipse in libro De paenitentia manifeste commendet mitiorem praxim, ipse haereticus factus mutavit sententiam, non vero Callistus novam praxim statuit.

Hippolytus, acerrimus Callisti adversarius, ei obicit, quod non solum moechiae sed etiam omnia alia peccata dimiserit, «adulterium et caedem simul docens» et «omnibus indiscriminatim communionem offerens» (Philosophumena 9, 12).

S. Cyprianus, qui viginti septem annis post Callisti mortem factus est epicopus, haec scribit: «Apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non puta-

verunt, et in totum paenitentiae locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicae ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur» (Ep. 55, n. 21; ed. *Hartel*). Probabiliter contra illam quorundam praxim rigorosam edictum Callisti factum est. In eadem epistula Cyprianus rigorismum Novatiani omnino reprobat (supra n. 187).

S. Ambrosius: «Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit» (De paenit. l. 1, c. 3, n. 10). «Evidentissime Domini praedicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati paenitentiam gerant, sacramenti caelestis refundendam gratiam» (l. 2, c. 3, n. 19).

S. Augustinus: «Fuerunt qui dicerent quibusdam peccatis non esse dandam paenitentiam, et exclusi sunt de ecclesia, et haeretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater ecclesia» (Serm. 352, n. 9). Dicit nullo fundamento niti doctrinam baptizatis non posse remitti adulteria, homicidia, apostasiam (Serm. 71, c. 4, n. 7), et eos, qui ulli paenitenti negent pacem, impie agere (Ep. 93, n. 42).

S. Gelasius papa: «Nullum est peccatum, pro quo aut non oret ecclesia remittendo, aut quod data sibi divinitus potestate desistentibus ab eodem non possit absolvere vel paenitentibus relaxare, cui dicitur: Quaecumque dimiseritis . . . quaecumque solveritis. . . . In quibuscumque omnia sunt, quantacumque sint, et qualiacumque sint» (*Denz.* n. 157).

201. Si interdum in veteribus quibusdam conciliis, ut in *concilio eliberitano* a. 300 vel 306, pro gravissimis quibusdam criminibus poena statuitur: «Placuit nec in finem eum communionem accipere» (*Kirch,* Enchir. n. 296 sqq), intellegitur poena denegati sacramenti eucharistiae, non absolutionis (cf. *Palmieri,* De paenit. 87 sqq).

Quidam episcopi absolutionem negabant iis, qui studiose usque ad vitae finem paenitentiam distulerant. Sed *S. Coelestinus* papa hoc gravissime vituperat: «Agnovimus paenitentiam morientibus denegari.... Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expedire desiderat, liberare. . . . Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda paenitentia postulanti» (*Denz.* n. 111). *S. Innocentius I* ait prioribus temporibus talibus hominibus concessam quidem esse paenitentiam, negatam autem communionem; postea autem consuetudinem mitiorem invaluisse dandi et paenitentiam et viaticum; et hanc alteram praxim approbat (*Denz.* n. 95). Idem praescribit *S. Leo M.* (Ep. 108, n. 5). Cf. *Conc. Nicaeni* can. 13 (*Denz.* n. 57).

Schol. 2. De paenitentia publica et privata.

202. SS. Patres inculcant semel tantum paenitentiam agi posse. Hoc valet de publica paenitentia. *S. Ambrosius:* «Sicut unum baptisma, ita una paenitentia, quae tamen publice agitur» (De paenit. l. 2, c. 10, n. 95). Ad hanc paenitentiam obligabantur ii, quorum crimina capitalia publice nota erant, ut ait *S. Augustinus:* «Quosdam, quorum crimina manifesta sunt . . . a societate removemus altaris» (Ep. 153, n. 6). Quare de his paenitentibus ad catechumenos ait: «Illi, quos videtis agere paenitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria aut aliqua facta immania» (De symb. ad catech. serm. 1, n. 7). Nam, ut ait *Innocentius I:* «Non habent latentia peccata vindictam» (Ep. 6, c. 4, n. 10).

Utrum publica paenitentia agenda esset, an privata sufficeret, episcopus, vel qui eius loco confessiones excipiebat, decernebat. *S. Augustinus:* «Iudicet se ipsum homo in istis [peccatis suis]. . . . Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in ecclesia claves ministrantur, et . . . a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum. . . . Ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antitisti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset» (Serm. 351, n. 9). Ergo praeter peccata, quae publica paenitentia erant delenda, et praeter levia illa, quorum cotidie orando veniam impetramus, erant etiam «quaedam non ea humilitate paenitentiae sananda, qualis in ecclesia datur iis, qui proprie paenitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis» (De fide et oper. c. 26). Quare monet non esse temere iudicandum, si quis «multos forte advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina [capitalia] non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus, multi tolerantur ut Iudas. . . . Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus (quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis sed medicinalis) nisi aut sponte confessum aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum» (Serm. 351, n. 10). Nam «ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. . . . Sunt homines adulteri in domibus suis. . . . Nos non prodimus malum, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum» (Serm. 82, n. 10 sq). Iam *Origenes* monet prudentem confessarium quaerendum esse, qui discernat, utrum publicam paenitentiam agi conveniat necne (In Ps. 37, hom. 2, n. 6). His igitur et aliis testimoniis constat etiam in vetere ecclesia fuisse paenitentiam tum privatam tum publicam (cf. infra n. 228).

Publica paenitentia imponebatur propter moechiam, homicidium, idololatriam, ut testantur *S. Pacianus* (Paraen. ad paenit. n. 3 sq) et

alii Patres. De hac igitur ait *S. Augustinus* «caute salubriterque provisum esse, ut locus illius humillimae paenitentiae semel in ecclesia concedatur» (Ep. 153, c. 3, n. 7). Numquid igitur censebant ei, qui post publicam paenitentiam iterum lapsus fuerat, non iam ullam salutarem paenitentiam relinqui? Respondet ibidem S. Augustinus: «Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi ista [opera paenitentiae] proderunt in posterum, vade, saltem vitae huius suavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem sacrilegamque sententiam.» *S. Ioanni Chrysostomo* quidam obiciebant, quod diceret: «Si iterum peccasti, paeniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo» (*Photius,* Biblioth. c. 59; *M* PG 103, 111). Et *Socrates* de eo testatur: «Ipse pronuntiare non dubitavit: Licet millies paenitentiam egeris, accede» (H. E. l. 6, c. 21). *S. Aphraates* ait, si quis post paenitentiam iterum grave vulnus acceperit, «sapienti medico curatio erit operosa», attamen sola morte tempus salutaris paenitentiae finitur (Dissert. 7, n. 6 20). *S. Siricius* papa interrogatus de iis, «qui acta paenitentia tamquam canes et sues ad vomitus pristinos et ad volutabra» rediissent, respondit: «De quibus, quia iam suffragium non habent paenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione coniungantur. Sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur.... Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari» (Ep. 1, n. 6). His sufficienter videtur probatum in universa ecclesia, non obstante quorundam severitate, numquam fuisse consuetudinem ulli peccatori paenitenti simpliciter denegandi veniam.

Prop. XXIII. Potestas remittendi peccata per sacramentum paenitentiae est potestas iudicialis.

203. ***Stat. quaest.*** Potestas iudicialis opponitur potestati mere gratiosae, qualis est potestas peccata condonandi baptismo sine ulla inquisitione in delicta commissa et sine ullo opere paenitentiali pro iis imposito. *Potestas iudicialis est potestas ferendi auctoritativam sententiam in causa reorum iuxta merita hominis rei et normam legis.* Qui in republica vel civili vel ecclesiastica habet talem auctoritatem, vocatur *iudex.* Iudex distinguitur ab arbitro, quatenus arbiter potest esse, qui non habet ullam auctoritatem. Actus potestatis iudicialis vocatur *iudicium,* quod hic non est confundendum cum logica operatione, qua mens aliquid affirmat aut negat, quae etiam vocari solet iudicium. In re, de qua hic agimus, *iudicium est sententia a iudice legitime lata, qua reus aut condemnatur aut absolvitur.* Haec sententia, ut legitime feratur, supponit legalem cognitionem causae, ut legaliter constet, quid homo reus fecerit. De re enim incognita iudex

sententiam ferre non debet; neque sufficit cognitio, quam ipse fortasse ut homo privatus habet, sed requiritur legalis accusatio et inquisitio.

Protestantes negant peccata remittenda esse iudicialiter, quia dicunt peccata sola fide fiduciali remitti. Contra hos ecclesia definivit dogma catholicum, secundum quod absolutio sacramentalis est actus iudicialis.

204. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Christus in regno suo dedit apostolis potestatem ligandi et solvendi, remittendi aut retinendi peccata. Atqui haec potestas est iudicialis.

Maior supra (n. 186) probata est. *Prob. min.* Nam haec potestas est potestas publica, a Christo institutore et capite ecclesiae tradita apostolis et eorum successoribus ut magistratibus ecclesiasticis. Porro haec potestas non est mere gratiosa seu administranda per modum puri beneficii, cum non solum sit potestas solvendi et remittendi sed etiam ligandi et retinendi, non sane ad arbitrii libidinem, sed prout postulat ordo moralis. Ordo autem moralis postulat, ut peccator ab iniuria in Deum commissa tum demum absolvatur, cum et actu contritionis retractaverit malam suam voluntatem et pro mensura delicti debitam poenam subierit vel subire paratus sit. Itaque et de peccatis et de poenis peccatorum sententia ferenda est. Ergo potestas a Christo tradita est potestas publica, est potestas ferendi auctoritative sententiam de criminibus in Deum commissis, est potestas non pure gratiosa, sed potestas retinendi et puniendi peccata. Haec autem sunt elementa potestatis iudicialis.

205. *Arg. 2.* Ex traditione.

S. Hilarius: «Ad terrorem metus maximi, quo in praesens omnes continentur, immobile severitatis apostolicae iudicium praemisit, ut quos in terris ligarint, i. e. peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione videlicet veniae in salutem, hi apostolicae condicione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati» (In Matth. c. 18, n. 8). *S. Ioannes Chrysost.:* «Sacerdoti solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet potestatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum rex: Quaecumque enim ligaveritis. . . . Quid cum hoc honore conferri potest? A terra principium iudicii sumit caelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur, et quod hic in terra iudicat, hoc in supernis comprobat» (De verb. Is. «Vidi Dominum» hom. 5, n. 1). *S. Hieronymus:* Episcopi «claves regni caelorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicant» (Ep. 14, n. 8). In *Constitutionibus apost.* haec dicuntur ad episcopum: «Potestatem habes iudicandi eos, qui peccarunt. Quoniam vobis episcopis dictum est: Quodcumque ligaveritis. . . . Iudica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus» (l. 2, c. 11). Idem docent *S. Basilius* (Adv. Eunom. l. 4; *M* PG 29, 707), *S. Ambrosius* (In Ps. 38, 14, n. 37), *S. Gregorius M.*

(In evang. hom. 26, n. 4), alii. Idem theologi unanimiter in Sent. 4, dist. 18; cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 17, a. 2.

206. *Arg. 3.* Ex definitionibus ecclesiae.

Concilium tridentinum sess. 14, c. 2: Paenitentiae «sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur. Nam praeterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.... Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum paenitentes confugerint, possent liberari.» C. 5: «Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.» C. 6: «Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur.» Can. 9 de paenit.: «S. q. d. absolutionem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti... A. S.» (*Denz.* n. 895 899 919).

207. *Obi. 1.* Baptismus non administratur per modum iudicii. Atqui etiam de baptismo valet, quod ecclesia aut remittit peccata conferendo sacramentum, aut retinet peccata denegando sacramentum. Ergo ex eo, quod ecclesia in sacramento paenitentiae remittit peccata dando absolutionem, aut retinet peccata denegando absolutionem, non recte concluditur hoc sacramentum administrandum esse per modum iudicii.

Resp. *Conc. mai.* *Trans. min.* *Nego consequens et paritatem.* Baptismus est sacramentum regenerationis spiritualis (supra n. 64 sqq). Generare autem non est actus iurisdictionis. In baptismo ratione prior est insertio in corpus Christi mysticum et collatio gratiae, ratione posterior est remissio peccatorum. Neque ullam iurisdictionem ecclesia habet in non baptizatos, sed per baptismum homines demum subduntur auctoritati ecclesiasticae. In sacramento autem paenitentiae ecclesia non sacramentaliter regenerat peccatores, sed eorum, qui iam sacramento regenerationis facti sunt filii et subditi ipsius, mala facta remittere aut retinere iubetur, et ipsos peccatores ligare aut solvere respectu peccatorum. Ergo nulla est paritas inter actum baptizandi et actum absolvendi, neque inter actum denegandi baptismum et actum retinendi peccata in sacramento paenitentiae. Denegando baptismum

ecclesia proprie peccata non retinet, κρατεῖ, quia nullum κράτος, nullam potestatem habet in non baptizatos. In baptizatos autem habet iurisdictionem, et quando hi graviter peccant, novo modo et titulo subduntur iurisdictioni ecclesiasticae, quae vindex est criminum nomine Dei. Hoc igitur sensu ecclesia retinet, κρατεῖ, peccata, quatenus ab hac sua vindice potestate non solvit peccatorem. Sic et actus absolvendi et actus denegandi absolutionem vere est actus iudicialis. Absolutione ratione prius datur remissio peccatorum, ratione posterius infunditur gratia. Ergo non est paritas cum sacramento baptismi.

208. Obi. II. Deus homini perfecte contrito remittit peccata. Atqui confessarius sine ullo actu iudiciali potest cognoscere et declarare paenitentem esse a Deo absolutum. Ergo ad administrandum sacramentum paenitentiae non requiritur actus iudicialis.

Resp. *Conc. mai. Nego suppositum minoris.* Confessarii non est theoretice tantum declarare peccatorem esse a Deo absolutum, sed debet nomine Dei eum efficaciter absolvere. Olim quidem *Petrus Lombardus* putaverat absolutionem esse declarationem absolutionis a Deo iam factae (Sent. l. 4, dist. 18, n. 6); sed *Richardus Victorinus* vocat hanc explicationem «frivolam et ridendam potius quam refellendam» (De potest. ligandi et solvendi c. 12), et omnes theologi eam reiciunt, ut *S. Thomas* 3, q. 84, a. 3 ad 5, qui ex eo argumentatur, quod sacramenta novae legis efficiunt quae significant, et provocat ad dictum *S. Augustini:* «Non erit turpis neque difficilis post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum» (De adult. coniug. l. 2, c. 9). Qui perfecte contritus est, habet voluntatem subiciendi peccata sua clavibus ecclesiae; quod si postea non faceret, quando occasio postulat, iterum recideret in statum peccati; si vero facit, peccata ei ita remittuntur, ut non iam debeat ea iterum iudicio ecclesiae subicere. Ceterum ad accipiendam absolutionem non necessario requiritur perfecta contritio. Haec postea explicabuntur.

209. Obi. III. Iudex in causa criminali ad hoc constitutus est, ut secundum legem poenas infligat pro criminibus, non autem ut criminum reos reddat innocentes. Atqui e contrario sacerdos non ad hoc constitutus est, ut poenam aeternam secundum legem Dei peccato mortali debitam infligat, sed potius ut peccatorem efficiat iustum. Ergo sacerdos in administrando sacramento paenitentiae non agit ut iudex.

Resp. *Dist. mai.:* Hoc valet de iudice fori externi, *conc. mai.;* in hoc consistit essentia omnis potestatis iudicialis, *neg. mai. Conc. min. Dist. conseq.:* Ergo sacerdos in sacramento paenitentiae non agit ut iudex fori externi, *conc. conseq.;* eius actus caret essentia actus iudicialis, *neg. conseq.* Essentia actus iudicialis in eo est, quod iudex, fungens munere publico, fert auctoritativam sententiam. Quod autem in foro paenitentiae peccator iustificatur, non est ex natura potestatis iudicialis ut talis, sed ex eo, quod Christus hoc iudicium instituit in favorem hominum et ad peccata remittenda per iudicialem sententiam.

PARS II.
DE MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 84; — Supplementum q. 1 sqq; *Bellarminus*, De paenitentia l. 1, c. 15 sqq; l. 2—4; *Suarez*, De paenitentia disp. 18 sq 37 sqq; *De Lugo*, De paenitentia disp. 12 sq 24 sq; *Sasse*, De sacramentis II 1 sqq 89 sqq 103 sqq; *Pohle*, Lehrbuch der Dogmatik III[5] 496 sqq.

PRAENOTANDA.

210. a) *Materia in sacramento paenitentiae non eodem modo intellegitur, quo in baptismo vel confirmatione;* nam in his sacramentis materia consistit in applicatione alicuius substantiae corporeae, scilicet aquae vel olei. Nihil simile est in sacramento paenitentiae, quod totum perficitur actibus humanis paenitentis et sacerdotis absolventis. Ergo in quantum materia intellegitur physica aliqua substantia, sic non habetur materia in sacramento paenitentiae. Sicut vero in omni re composita, sive compositio fit ex substantiis sive ex actibus, pars determinabilis vocatur materia, pars vero determinans vocatur forma, ita etiam de sacramento paenitentiae quaeritur, quid in eo habeat rationem materiae, quid vero rationem formae.

Haec terminologia introducta est a theologis scholasticis, et recepta est ab auctoritate ecclesiastica, quae vocat *actus paenitentis:* contritionem, confessionem, satisfactionem *materiam* vel *quasi materiam* sacramenti paenitentiae. Dicitur «quasi materia», quia non est substantia materialis ut aqua vel oleum. Ita *Eugenius IV* in decr. pro armenis: «Quartum sacramentum est paenitentia, cuius quasi materia sunt actus paenitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio... secunda est oris confessio... tertia est satisfactio pro peccatis» (*Denz.* n. 699). *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 2: Paenitentia a baptismo «materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet». C. 3: «Sunt quasi materia huius sacramenti ipsius paenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in paenitente ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione paenitentiae partes dicuntur» (*Denz.* n. 895 sq). Contritio est materia sacramenti, non quatenus est internus tantum actus, sed in quantum sensibiliter manifestatur, praecipue per confessionem.

b) Ante concilium tridentinum scotistae cum magistro suo *Scoto* (In 4, dist. 16, q. 1, n. 7) docuerant *sacramentum paenitentiae consistere in sola absolutione, actus vero paenitentis nullo modo esse partes sacramenti,* sed solum requiri ut condiciones ad dignam sacramenti susceptionem. Neque post concilium sententiam suam mutaverunt sed solum loquendi modum, dicentes actus paenitentis posse vocari partes sacramenti, *non tamen esse partes constituentes,* sed solum requiri, ut sacramentum perficiatur, ideo concilium docere eas esse *quasi* partes,

quae ad *integritatem* sacramenti requirantur. Hanc sententiam sequuntur etiam quidam alii extra scholam scotisticam.

Thomistae autem cum *S. Thoma* (3, q. 84, a. 1 ad 1; a. 2; a. 3 ad 1) docent *actus paenitentis esse partes constituentes,* ideoque, in quantum informentur absolutione ut forma, concurrere ut signum efficax ad effectum sacramenti producendum. Haec sententia recepta est a plurimis theologis, etiam extra scholam thomisticam. Rationem reddunt, quia *condiciones nullo modo possunt vocari partes vel quasi partes* sacramenti, cum nomen partis et materiae significet aliquid rem sive essentialiter sive integraliter constituens. Huic sententiae favet auctoritas *Ritualis romani,* quod de sacramento paenitentiae ait: «Cum ad illud sacramentum constituendum tria concurrant: materia, forma et minister, illius quidem remota materia [circa quam] sunt peccata, proxima vero [materia ex qua] sunt actus paenitentis, nempe contritio, confessio, satisfactio» (De sacram. paenit. c. 1, n. 1). Favet etiam auctoritas *Catechismi romani:* «Neque vero hi actus quasi materia a sancta synodo [tridentina] appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione» (Pars II, c. 5, n. 13).

Nihilominus solus sacerdos est minister huius sacramenti, quia ipse solus efficit, ut actus paenitentis evehantur ad dignitatem signi sacramentalis et sic elevatae simul cum absolutione producant gratiam; nam sine hac elevatione sunt solum actus virtutis, non vero pars operis operati (cf. *S. Thomas* 3, q. 87, a. 6). Itaque haec sententia praeferenda videtur, quia meliore auctoritate fulcitur, et quia magis cum generali doctrina de physica essentia sacramentorum concordat, etsi concedendum est hanc quaestionem ab ecclesia non esse decisam.

Agemus igitur ex ordine de tribus illis actibus paenitentis, quibus essentia sacramenti physice constituitur, et imprimis de contritione.

CAPUT I.
DE CONTRITIONE.

Prop. XXIV. **Actus contritionis de peccatis commissis peccatori necessarius est ad salutem.**

211. *Stat. quaest.* a) *Contritio* est animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Quia contritio est *actus virtutis paenitentiae,* pauca praemittenda sunt *de paenitentia, ut virtus est. S. Scriptura* saepe exhortatur ad paenitentiam. «Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris» (Ez 18, 30). «Paenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra» (Act 3, 19). His igitur et multis aliis dictis probatur paenitentiam esse virtutem, quia Deus non exhortatur nisi ad actus virtutum.

Obiectum paenitentiae imprimis sunt peccata, quae homo odio habet et a quibus se avertit, quatenus iis Deum offendit. «Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum» (Ier 2, 19). Paenitens ait: «Peccavi Domino» (2 Rg 12, 13). «Tibi soli peccavi, et malum coram te feci» (Ps 50, 6). Exemplar paenitentis est filius ille prodigus, qui dixit: «Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te» (Lc 15, 18). Nam propria malitia peccati est in eius relatione ad Deum, quem offendit; ergo si actus virtutis est a peccato averti, imprimis paenitens peccatum odio habere debet, quatenus est iniuria Dei.

b) *Debet igitur paenitens detestari peccatum ut iniuriam a se in Deum commissam et de hoc male facto suo dolere.* «Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu et in planctu, et scindite corda vestra» (Ioel 2, 12 sq). «Quae secundum Deum tristitia est, paenitentiam in salutem stabilem operatur» (2 Cor 7, 10). Hunc dolorem manifestaverunt ninivitae, mulier peccatrix, alii paenitentes, qui ob hoc laudantur (Mt 12, 41. Lc 7, 37 sqq). Quare *S. Augustinus* ait: «Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per paenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis» (Serm. 331, n. 12). Inde a primis saeculis solebat ecclesia paenitentibus imponere opera, quibus animi dolor de peccatis commissis efficaciter manifestaretur. Haec paenitentia, si publice agebatur, vocabatur *exomologesis*. *Tertullianus:* «Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur... Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est ... sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum maeroribus deicere, illa quae peccavit, tristi tractatione mutare ... ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari dies noctesque ad Dominum Deum suum» (De paenit. c. 9). Similiter alii Patres (cf. *Bellarm.*, De paenit. l. 2, c. 4). Idem docent theologi (cf. *S. Thomas* 3, q. 85, a. 1).

Cum *Lutherus* affirmasset in sermone de paenitentia (a. 1518): «In usu Scripturae paenitentia non dicitur dolor sed mutatio mentis et consilii», et: «Verissimum est proverbium et omni doctrina de contritionibus hucusque datis praestantius: de cetero non facere summa paenitentia, optima paenitentia nova vita», haec assertio damnata est (*Denz.* n. 747; cf. n. 746 et *Bellarm.*, De paenit. l. 2, c. 5).

c) Sicut fugit peccatum, ita *paenitentia amplectitur ea omnia, quae per modum compensationis Deo offerri possunt,* ut sunt actus virtutum interni et externi cum gratia Dei facti, maxime illi, qui peccatis commissis sunt directe oppositi et ad ea in futurum cavenda iuvant. Hoc ex dictis satis patet (cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 2, a. 4). E libera electione hominis gratia adiuti immediate pendet detestatio peccati cum displicentia, quod commissum est a paenitente. Unde detestatio est

prima pars paenitentiae. Eo ipso autem quod peccatum commissum apprehenditur ut malum nondum plane praeteritum sed adhuc moraliter praesens, oritur tristitia seu dolor animi, qui, si vehemens est, etiam transit ad appetitum sensitivum. Itaque dolor est secunda pars paenitentiae. Si ad detestationem et dolorem additur tertium elementum, scilicet propositum non peccandi de cetero, habetur integer conceptus contritionis.

d) *Si quis vult dolere et dolet de peccatis, quia Dei offensa sunt, et ad hunc ipsum finem, ut hoc dolore iniuriam Deo factam reparet, ponit formaliter actum virtutis paenitentiae specialis,* quae est pars potestativa virtutis iustitiae. Nam iustitiae est alteri suum reddere, ergo etiam reparare iniuriam ei illatam. Paenitentia autem ad perfectam rationem iustitiae non assurgit, quia homo non potest Deo aliquid aequale reddere pro iniuria Deo illata (*S. Thomas* 3, q. 85, a. 2; cf. 2, 2, q. 143, a. 1). Paenitentia igitur est virtus inclinans ad reparandam iniuriam peccato Deo illatam, quia hoc honestum est.

Neque vero ad salutarem paenitentiam requiritur, ut homo eliciat actum contritionis ex formali motivo specialis virtutis paenitentiae, sed sufficit, ut peccatum detestetur ex quocumque motivo supernaturali, ut caritatis theologicae, gratitudinis erga Deum, desiderii aeternae beatitudinis, timoris iustitiae divinae. Motivum vero pure naturale non sufficit; nam *Innocentius XI* damnavit thesim: «Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam» (*Denz.* n. 1207). Ergo requiritur contritio supernaturalis. Thesis est de fide.

212. ***Arg.*** *1.* **Ex S. Scriptura.**

Id est peccatori necessarium ad salutem, sine quo remissionem peccatorum obtinere nequit. Atqui peccator sine paenitentia remissionem peccatorum obtinere nequit. Ergo peccatori necessarius est actus paenitentiae seu contritio ad salutem.

Prob. min. Quoties Deus offert hominibus remissionem peccatorum, toties postulat ab iis paenitentiam ut condicionem. «Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est . . . vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor» (Ez 18, 21 sq). «Dissimulas peccata hominum propter paenitentiam» (Sap 11, 24). *S. Ioannes Bapt.* ait: «Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignum fructum paenitentiae» (Mt 3, 7 sq). Christus, qui venerat liberare homines a peccatis, praedicat: «Paenitentiam agite» (Mt 4, 17); nam «si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis» (Lc 13, 5). «Veni vocare peccatores ad paenitentiam» (Lc 5, 32). Oportet «praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes» (Lc 24, 47). «Paenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra» (Act 3, 19). Et sic multis aliis locis, e. g. 2 Par 6, 24 sq; 33, 12; Ier 18, 8 sqq; Ez 33, 14 sqq; Mt 21, 32; Act 17, 30 etc.

213. *Arg. 2.* Ex traditione.

S. Cyprianus: «Agite paenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate maestitiam.... Qui paenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt» (De lapsis n. 34). *S. Ambrosius:* «Peccatum non tollitur nisi lacrimis et paenitentia... Dominus ipse... nisi paenitentiam deferentibus non relaxat» (Ep. 51, n. 11). *S. Augustinus:* «Qua fronte impudentiae volet averti faciem Dei a peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: Quoniam facinus meum ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper» (Serm. 351, n. 7). *S. Gregorius M.:* «Ventura ira est animadversio ultionis extremae, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta paenitentiae non recurrit» (In evang. hom. 20, n. 7). Ad hanc doctrinam inculcandam plures Patres specialia opuscula De paenitentia scripserunt, ut Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus novem homil. de paenit., S. Pacianus, alii.

Idem docent theologi, ut *S. Thomas* (3, q. 86, a. 2), idem *concilium tridentinum* sess. 14, c. 4: «Contritio, quae primum locum inter paenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius» (*Denz.* n. 897; cf. n. 894).

214. *Arg. 3.* Ex ratione.

Homo graviter peccando se avertit a Deo fine ultimo, et manet aversus, quamdiu actu contritionis non retractat peccatum suum. Atqui rectus ordo postulat, ne Deus eum tractet ut amicum et heredem vitae aeternae, qui voluntarie aversus est a Deo fine ultimo. Ergo actus contritionis, quo iterum convertitur ad Deum finem ultimum, est peccatori necessarius ad salutem. Et quia homo omni peccato mortali avertitur a Deo, non potest salutem consequi, nisi omnia sua peccata mortalia detestatur; ergo *contritio debet esse universalis.* Et quia peccator aversus est a fine supernaturali et rursus ad eum converti debet, *contritio debet esse supernaturalis,* i. e. debet fieri cum auxilio gratiae ex radice fidei (*Denz.* n. 801 813).

215. *Obi. 1.* Deus ut supremus Dominus potest peccatori condonare iniuriam in se commissam non postulata prius contritione. Ergo contritio non est ad salutem absolute necessaria.

Resp. *Dist. antec.:* Deus potest condonare peccata peccatori non contrito potestate absoluta, *trans. antec.;* de hac enim re disputant theologi (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 9, sect. 2, n. 4); potestate ordinata, *neg. antec.,* quia revelavit se nolle ita condonare peccata. *Dist. conseq.:* Contritio fortasse non esset necessaria in alio ordine providentiae, *trans. conseq.;* non et peccatori absolute necessaria in hoc ordine providentiae, *neg. conseq.* *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 1 ait: «Fuit quidem paenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad

gratiam et iustitiam assequendam necessaria» (*Denz.* n. 894). Ergo contritio necessaria est *necessitate medii.* Etiam necessaria est *necessitate praecepti,* ut patet ex dictis Scripturae, quod praeceptum, in quantum est positivum, maxime urget in articulo mortis; extra articulum mortis obligat ita, ut non nimis diu differatur conversio. Ecclesia praecipit, ut saltem semel in anno peccata confessione deleantur. Qui hoc praeceptum implet, non ideo est dicendus committere novum peccatum impaenitentiae, quia non antea convertitur; hoc valet saltem per se; nam per accidens, i. e. ob rationes, quae non praecise petuntur ex obligatione paenitendi, potest contritio saepius esse necessaria, e. g. si quis debet missam celebrare vel sacramentum aliquod suscipere.

216. **Obi. II.** Qui elicit actum caritatis theologicae, iustificatur. Atqui actus caritatis theologicae non est contritio. Ergo ad iustificationem non requiritur contritio.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Actus caritatis in homine iusto non est contritio, *conc. min.;* in peccatore non est contritio aut formalis aut saltem virtualis, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Caritate hominem constitui amicum Dei iam alibi diximus (III, n. 307 *c*). Sufficit in memoriam revocare verba Christi: «Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum» (Io 14, 21). *S. Ioannes Chrysost.* ait: «Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit atque exscindit.... Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala» (In 2 Tim. hom. 7, n. 3). *S. Petrus Chrysol.:* «Absolvi vis? Ama! Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere» (Serm. 94). Similiter alii Patres, ut *S. Augustinus* (In 1 Ioan. tract. 5, n. 10), *S. Gregorius M.* (In evang. hom. 33, n. 4), *S. Bernardus* (Ep. 107, n. 8). Similiter theologi, ut *S. Thomas* (Quaest. disp. de car. a. 6).

Si homo, qui est in statu peccati mortalis et conscientiam huius status habet, elicit actum caritatis, necessario etiam detestatur peccata sua; nam non potest quisquam bonum diligere, quin simul malum oppositum odio habeat. Potest quidem fieri, ut homo, quando elicit actum caritatis, non habeat actualem conscientiam peccati sui. Nihilominus eo ipso quod Deum ut summum bonum omnibus aliis praefert, abicit omnem affectum graviter peccaminosum, et omnibus renuntiat, quae eum a Deo super omnia dilecto separare possunt. Haec autem est *virtualis contritio* seu contritio in voto.

Si autem peccator recordatur peccati sui, sicut debet, quando sacramentum paenitentiae suscipit, non potest actu Deum diligere, quin actu peccatum detestetur. Hoc potest dupliciter fieri: Aut peccator immediate ex motivo caritatis actum detestationis peccati elicit; aut actus detestationis ex formali quidem motivo paenitentiae elicitur, sed a caritate imperatur. In utroque casu *contritio perficitur caritate.* De hac contritione docet *concilium tridentinum* sess. 14, c. 4: «contritionem aliquando caritate perfectam esse contingere, hominemque Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiatur» (*Denz.* n. 898; cf. 796). Addit ibidem concilium in actu contritionis includi votum sacramenti paenitentiae, ita ut remissio peccatorum non fiat sine respectu sacramenti. Contraria doctrina *Baii* damnata est, prop. 70: «Homo exsistens in peccato mortali sive in reatu aeternae damna-

tionis potest habere veram caritatem, et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis»; prop. 71: «Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti» (*Denz.* n. 1070 sq; cf. 1031 sqq). Est igitur doctrina certa et ab omnibus theologis nunc admissa contritione perfecta peccatorem iustificari. Et etiamsi hoc interdum fiat solo actu caritatis perfectae, haec virtute in se continet detestationem peccatorum, ut dictum est. Ergo hoc non obstat doctrinae de necessitate contritionis pro homine peccatore. Praeterea ad suscipiendum sacramentum paenitentiae non sufficit actus caritatis, sed requiritur formalis detestatio peccatorum cum proposito non peccandi de cetero, quia haec est essentialis pars sacramenti.

217. *Obi. III.* Si contritio est necessaria ad remissionem peccatorum, aut quaelibet etiam minima contritio sufficit, aut requiritur certus gradus contritionis. Atqui si minima contritio sufficit, non habetur detestatio peccati super omnia mala; si certus gradus requiritur, nescitur, qualis esse debeat. Ergo non potest rationabiliter statui necessitas contritionis.

Resp. *Dist. mai.:* Aut requiritur certus gradus secundum appretiationem aut certus gradus secundum intensitatem, *conc. mai.;* necessario certus gradus secundum intensitatem, *neg. mai.* *Dist. min.:* Si minima contritio sufficit, i. e. quae non est appretiative summa, non habetur detestatio peccati super omnia mala, *conc. min.;* si minimus gradus secundum intensitatem sufficit, non habetur detestatio peccati super omnia, *neg. min.* Et *neg. conseq.*

Itaque *requiritur contritio appretiative summa, sed non requiritur determinatus gradus intensitatis.* Contritio appretiative summa est, qua peccator detestatur malum peccati plus quam omne aliud malum, ita ut propter nullum malum vitandum velit Deum gravi peccato offendere. Haec summa contritio est necessaria, quia Deus est solus ultimus finis hominis, quocum nulla alia res in comparationem electivam venire debet. Appretiatio igitur est qualitas, qua actus electionis respicit *obiectivum* valorem rei.

Intensitas contritionis est in conatu *subiectivo* et in vehementia actus, quae iungi solet cum commotione sensili, lacrimis, gemitibus, cordis motibus etc. Haec res non simpliciter pendet e libera electione, sed ex corporis constitutione, nervorum excitabilitate, imaginationis vivacitate.

Quidam theologi postulant intensitatem contritionis aut absolute summam, quae homini possibilis est, aut maiorem, quam qua dolet de ullo alio malo, aut saltem magnam aliquam intensitatem ad hoc, ut contritio iustificet extra sacramentum. Ita *Adrianus* (In IV de paenit. q. 2), *Petrus Sotus* (De instit. sacerd. lect. 14 sq), *Christ. Lupus* (De contritione et attritione c. 7), alii. Non potest quidem esse contritio, quae non habeat determinatum aliquem gradum intensitatis; attamen communissime theologi negant ullum certum gradum intensitatis a Deo statutum esse, sine quo contritio non sufficiat ad iustificationem. *S. Thomas:* «Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet» (Supplem. q. 5, a. 3). *S. Bonaventura:* «Quod magis etiam sensibiliter doleat aliquis de peccato quam de aliquo damno, hoc est perfectionis et congruum, non necessarium. Sed in quantum dolor dicitur displicentia rationis, sic dico, quod displicentia mensuratur secundum quantitatem caritatis. . . . Ad hoc, quod aliquis habeat

caritatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno vel commodo velit Deum offendere. Sic intellegendum est de displicentia contritionis» (In 4, dist. 16, Pars 1, a. 2, q. 1). Idem docent *Bellarminus* (De paenit. l. 2, c. 11, prop. 4), *Suarez* (De paenit. disp. 4, sect. 4, n. 9), *De Lugo* (De paenit. disp. 2, sect. 7, n. 84). Secundum *Dominicum Sotum* contraria sententia «non modo falsa est, verum, ut bona venia dixerim, temeraria et sacris litteris parum consona» (In 4, dist. 17, q. 2, a. 4, § «Restat ergo argumenta»).

Sicut in omni peccato gravi, etiamsi sine magna intensitate committitur, est aversio a Deo, qua gratia destruitur, ita in omni vera contritione, etsi non valde intensa, est conversio ad Deum, quae est dispositio requisita ad iustificationem. Deus autem nullum actum virtutis secundum determinatum gradum intensitatis exigit, ut sine eo actus virtutis formalem suum effectum non habeat; ergo neque de virtute paenitentiae tale quid statuendum est. Oportet quidem Deum diligere ex toto corde; sed hoc fit, si Deus amatur amore appretiative summo, quo praefertur omni alii bono, et alia omnia amantur propter Deum (cf. *S. Thomas* 2, 2, q. 44, a. 5).

Prop. XXV. Ad sacramentum paenitentiae fructuose recipiendum sufficit contritio imperfecta seu attritio, qua voluntas peccandi efficaciter excluditur, cum spe veniae.

218. ***Stat. quaest.*** a) Diximus ad accipiendam remissionem peccatorum requiri contritionem, qua peccator detestetur peccatum a se commissum, quatenus offensa Dei est. Haec est contritio generice accepta. Diximus praeterea posse contritionem informari actu caritatis theologicae, et hanc contritionem perfectam sufficere ad impetrandam remissionem peccatorum, antequam sacramentum paenitentiae actu suscipiatur.

Omnis autem contritio, quae non informatur motivo caritatis sed alio inferiore motivo, vocatur contritio imperfecta seu attritio; nomine vero contritionis plerumque significatur contritio perfecta. Ita nunc saltem theologi loqui solent, olim autem haec duo nomina non uno determinato sensu adhibebantur. E. g. *S. Thomas* in Supplemento q. 1, a. 1 varias definitiones contritionis recenset, quae sunt definitiones attritionis, ut illa *S. Isidori Hisp.:* «Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrimis, veniens de recordatione peccati et timore iudicii», vel illa *S. Gregorii M.:* «Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem.» *S. Thomas* vocat contritionem illum actum, quo «homo totaliter affectum peccati dimittit», attritionem autem «quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam», i. e. qua non totaliter affectus peccati excludatur (In 4, dist. 17, q. 2, a. 2, sol. 1; sol. 2 ad 3). Saepe veteres scholastici contritionem vocant eam detestationem peccatorum, quae est cum gratia habituali; attritionem eam, quae non est cum gratia habituali (e. g. *Albertus M.,* In 4, dist. 16, a. 8). Hinc etiam intellegitur, quo sensu paenitens, qui absolvitur, fiat ex attrito contritus, ut interdum veteres dicunt, scilicet

quia tunc cum attritione iungitur gratia et caritas. Ergo apud veteres scholasticos attentione opus est quoad doctrinam de contritione et attritione, ne incidamus in falsam opinionem quorundam theologorum protestantium, qui dicunt veteres scholasticos ante saeculum XIII semper postulasse perfectam contritionem ad fructuosam receptionem sacramenti paenitentiae. Apud veteres scholasticos contritio plerumque generali illo sensu dicitur, quo complectitur contritionem perfectam et imperfectam. A contritione distinguebant attritionem vix umquam ratione motivi sed variis aliis modis, ut ostendit *I. Goettler* (Der hl. Thomas von Aquin und die vortridentinischen Theologen über die Wirkungen des Bußsakramentes, Freiburg 1904).

Nunc autem *contritio et attritio proxime distingui solent ratione motivorum.* Secundum *concilium tridentinum* sess. 14, c. 4 et can. 5 haec sunt *motiva attritionis:* a) turpitudo peccatorum, b) amissio aeternae beatitudinis, c) poenae gehennae et aliae poenae a Deo pro peccatis inflictae vel infligendae (*Denz.* n. 888 915). Iuvat hic imprimis considerare metum poenarum, quia *Lutherus* (in sermone de paenitentia, 1518) et alii post eum hoc motivum damnarunt ut malum, quo peccator fieret hypocrita, et peccatum magis augeretur, quam tolleretur.

b) *Metum poenarum posse esse bonum motivum,* eo efficitur, quod Christus hoc motivum adeo inculcavit. «Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam» (Mt 10, 28). Ad vitandum peccatum «expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam» (Mt 5, 29 sq; cf. 18, 8 sqq; Mc 9, 42 sqq). *S. Ioannes Chrysost.* ait: «Quid gehenna gravius? Sed huius metu nihil utilius; gehennae namque timor regni nobis affert coronam. . . . Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de poena et suppliciis illic futuris loquens» (Hom. 15 ad popul. antioch. n. 1 sq). Similiter alii Patres. *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 4: «Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis sed tamen moventis, quo paenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat» (*Denz.* n. 898). Contrariam doctrinam damnavit can. 5, quam damnationem repetierunt *Alexander VIII, Clemens XI, Pius VI* (*Denz.* n. 915 1305 1410 sqq 1525).

c) *Solus timor serviliter servilis est malus,* quo animatus homo dicit: Nolo peccare, ne puniar; si vero possem peccare sine poena, peccarem. De hoc timore ait *S. Augustinus:* «Aliud est voluntate benefaciendi benefacere; aliud autem est ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impune permitti. Nam sic profecto is ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore

non peccat» (Contra duas epist. pelag. l. 1, c. 9, n. 15). Numquid ergo timor gehennae malus est? Minime; nam «cum Dominus timorem incusserit et vehementer incusserit et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam, plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas» (Serm. 161, n. 8).

Bonus est timor simpliciter servilis, quo homo excludit omnem affectum peccati, saltem gravis, propter poenas peccato annexas. Hic timor est honestus; nam sicut honestum et sperare bonum, maxime aeternum, ita honestum est odisse malum huic bono oppositum, maxime aeternum, et odisse ea, quae ad hoc malum ducunt, et quatenus ad hoc malum ducunt. Attritio autem est odium peccati ex motivo honesto timoris simpliciter servilis. Ergo attritio est bona. Attritione praecipue excluditur *affectus* peccati, quia hic affectus principaliter ducit ad gehennam. Consequenter attritus vere amat iustitiam et vult servare legem, sed motivum, quo impellitur ad hunc actum, est metus poenae. Attritio non excludit caritatem, etsi in se est actus inferior, sed potius ei viam parat, quia, qui vult fugere gehennam, vult appetere beatitudinem, quae consistit in possessione Dei; qui autem vult possidere summum bonum, ut eo beatus sit, est in via ad amandum Deum ut summum bonum in se. Plura de hac re vide apud *S. Thomam* (2, 2, q. 19). Notandum est a quibusdam veteribus scholasticis (ut a *Petro Lombardo,* Sent. l. 3, dist. 34, n. 4 sqq) timorem servilem vocari eum, quem nos appellamus serviliter servilem; timorem autem, quem appellamus simpliciter servilem, vocari «timorem initialem» («Initium sapientiae timor Domini», Ps 110, 10). Est solus diversus modus loquendi.

d) Sed *diversa est theologorum doctrina de dispositione requisita ad sacramentum paenitentiae fructuose recipiendum.* Quidam enim docebant per se requiri contritionem perfectam, posse vero per accidens sufficere contritionem imperfectam in peccatore existimante se habere contritionem perfectam, etsi revera non esset perfecta. Ita *Petrus Lombardus* (Sent. 4, dist. 18, n. 6), *S. Bonaventura* (In 4, dist. 18, Pars 1, a. 2, q. 1), quidam alii (cf. *Palmieri,* De paenit. 229 sqq).

Contraria doctrina semper erat communior, et nunc ab omnibus fere est recepta. *S. Thomas:* «Si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret» (In 4, dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1; cf. 3, q. 80, a. 4 ad 2). Idem docet *Scotus* (In 4, dist. 14, a. 4, § «Quantum ad tertium»). Idem omnes scotistae, plurimi thomistae, ex aliis theologis *Durandus, Henricus Gandav., Aureolus,* e posterioribus *Suarez* (De paenit. disp. 20, sect. 1, n. 9), *Bellarminus* (De paenit. l. 2, c. 18), *De Lugo* (De paenit. disp. 7, sect. 13, n. 273), *Gregorius de Valentia, Vazquez, S. Alphonsus* et cum eo omnes fere moralistae. Haec doctrina post concilium tridentinum

facta est certa, etsi non definita. Additur a concilio illud «cum spe veniae», quia sine hac spe peccator, timens gehennam, desperaret.

219. *Arg. 1.* Ex concilio tridentino.

a) Concilium docet contritionem tam perfectam quam imperfectam posse esse materiam sacramenti paenitentiae. Atqui si attritio materia est, non requiritur contritio perfecta, sed (supposita altera parte materiali, quae est confessio), solum requiritur, ut forma accedat, et adest totum sacramentum. Ergo attritio cum absolutione constituit signum efficax remissionis peccatorum.

Prob. mai. Concilium sess. 14, c. 3 docet actus paenitentis esse partes et quasi materiam sacramenti paenitentiae; c. 4 docet inter hos actus primum locum habere contritionem, quae dividatur in perfectam et imperfectam. Ergo etiam imperfecta contritio seu attritio potest esse pars et materia sacramenti paenitentiae.

Prob. min. Si ad materiam accedit forma, habetur integrum signum sacramentale. Secundum oppositam autem sententiam attritione solum praeparatur homo ad contritionem, et contritio cum absolutione constituit sacramentum. Ergo in hac sententia attritio nullo modo dici potest pars et materia sacramenti.

b) Concilium c. 4 docet: Attritio, «quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit» (*Denz.* n. 898). Atqui attritio etiam extra sacramentum *remote* disponit ad iustificationem. Ergo in sacramento *immediate* disponit ad iustificationem. Secus enim verba concilii haberent hunc sensum: Quamvis attritio extra sacramentum remote tantum disponat ad iustificationem, tamen in sacramento remote disponit. Aliis verbis: Differentia, quam concilium statuit de effectu attritionis extra sacramentum et in sacramento, nulla esset. Immo verba concilii essent falsa; nam attritio numquam disponeret ad primam iustificationem, de qua ibi sermo est, *in* sacramento paenitentiae accipiendam, quia, si solum disponit ad iustificationem, quatenus disponit ad contritionem perfectam, eo ipso semper disponit ad iustificationem accipiendam ante sacramenti susceptionem; nam, ubi est perfecta contritio, ibi est iustificatio, ut ipsum concilium docet.

c) Concilium, postquam descripsit attritionem c. 4, statim pergit: «Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum paenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam ecclesia Dei docuit nec sensit» (*Denz.* n. 898). Atqui si concilium censuisset contritionem requiri, ad hanc potius provocasset, non ad attritionem, quam immediate ante descripsit. Ergo concilium censuit contritionem non requiri. Concedimus tamen hanc doctrinam non esse a concilio definitam, sed solum ex eius verbis legitime deduci.

220. *Arg. 2.* **Ex indole sacramenti paenitentiae.**

Paenitentiae sacramentum per se institutum est ad transferendum hominem e statu peccati in statum gratiae. Atqui si per se contritio perfecta requiritur, numquam per se sacramentum paenitentiae transfert hominem e statu peccati in statum gratiae sed solum per accidens in casu contritionis existimatae tantum. Ergo contritio perfecta non requiritur.

Maior probatur ex *concilio tridentino* sess. 14, c. 3: «Res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo» (*Denz.* n. 896; cf. n. 894 911). *Minor* patet, quia, si ante absolutionem requiritur contritio, peccator sacramento paenitentiae numquam reconciliatur cum Deo, sed ante absolutionem supponitur reconciliatus cum Deo per contritionem. Consequenter peccator numquam reconciliatur cum Deo ex opere operato, sed solum ex opere operantis, excepto casu contritionis existimatae tantum. Defensores igitur oppositae sententiae negant eam efficaciam absolutionis, quae a concilio tridentino ut eius propria assignatur; nam dicunt: Absolutio supponit gratiam; cum concilium dicat: Absolutio dat gratiam reconciliationis.

221. *Arg. 3.* **Ex praxi ecclesiae.**

Auctoritas ecclesiastica scit a theologis communissime reici necessitatem contritionis ad suscipiendum sacramentum paenitentiae, et statui sufficientiam attritionis. Atqui si necessaria est contritio, haec doctrina est perniciosa, quia eam sequentes exponerent sacramentum periculo nullitatis. Ergo ecclesia tacendo communem doctrinam approbat. Verum quidem est bonos confessarios operam dare, ut paenitentes ad eliciendum actum perfectae contritionis inducant; attamen si prudenter iudicant paenitentem non esse quidem contritum sed vere attritum et paratum ad facienda omnia, quae facienda sunt, debent eum absolvere secundum doctrinam et praxim receptam.

222. **Obi. I.** Qui odit peccatum, solum quia a Deo punitur, peccaturus esset, nisi peccatum puniretur, quia sic cessaret unicum motivum, ob quod reapse peccatum odit. Atqui qui peccaturus esset, nisi peccatum puniretur, non vere odit peccatum. Ergo attritio ex metu poenarum non est vera detestatio peccati.

Resp. *Dist. mai.:* Qui odit peccatum, solum quia a Deo punitur, habet nunc propositum peccandi, nisi peccatum puniretur, *neg. mai.,* quia vere attritus omnem affectum peccati gravis debet excludere; in alio ordine, in quo non essent poenae, fortasse non detestaretur peccatum, *trans. mai. Dist. min.:* Qui nunc habet propositum peccandi, nisi peccatum puniretur, non vere odit peccatum, *conc. min.;* qui in alio ordine rerum peccaturus esset, nunc non odit peccatum, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Mala voluntas, quam quis in alio ordine rerum habiturus esset, non inficit bonam voluntatem, quam nunc reapse habet.

223. *Obi. II.* Qui odit peccatum propter gehennam, non odit peccatum super omnia mala, sed magis odit gehennam quam peccatum. Atqui inordinatum est non odisse peccatum super omnia mala et aliud malum magis odisse quam peccatum. Ergo attritio ex metu gehennae est actus malus neque dispositio ad iustificationem.

Resp. *Dist. mai.:* Qui odit peccatum propter gehennam, odit id quod est maius malum, ex metu mali minoris, *conc. mai.;* ille positive aestimat malum poenae maius malum quam malum culpae, *neg. mai. Dist. min.:* Inordinatum est ex fuga mali minoris fugere malum maius, *neg. min.;* inordinatum est aestimare id quod est malum minus tamquam malum maius, *conc. min.* Et *neg. conseq.* Sicut inordinatum non est, quod artifex ex metu penuriae rerum exercet artem, ita inordinatum non est, quod quis ex metu gehennae exercet iustitiam. Etsi quis ex metu gehennae magis instigatur ad honeste agendum quam ex solo amore boni honesti, tamen vere vult bonum honestum. Homo attritus non detestatur poenam super omne aliud malum, sed ex timore gehennae detestatur peccatum super omne aliud malum, quod eum allicere possit ad peccandum.

224. *Obi. III.* Etsi concedatur ad iustificationem in sacramento non requiri perfectam caritatem, videtur tamen cum quibusdam theologis (*ut Billuart,* De paenit. a. 7, § 3) postulandus initialis quidam amor Dei. Ergo sola attritio non videtur sufficere.

Resp. *Dist. antec.:* Videtur postulandus initialis amor Dei ex formali motivo caritatis, *neg. antec.;* initialis amor Dei, qui includitur in omni vera attritione, *conc. antec.* Et *neg. conseq.*

In vera attritione est initium aliquod caritatis ex parte obiecti materialiter voliti. Nam a) attritus detestatur offensam Dei et vult Deum sibi reddere propitium. Talis actus est bonus et Deo placet. Omnis autem actus moraliter et supernaturaliter bonus est gressus versus Deum ut bonum omnis boni, et ita est initium caritatis. b) Attritus vult servare legem divinam, etiam praeceptum diligendi Deum super omnia; ergo habet caritatem in proposito. c) Attritus vult pervenire ad beatitudinem, quae est perfecta cum Deo amicitia; ergo habet caritatem pro fine ultimo (cf. *Denz.* n. 1146).

Alias obiectiones vide apud *Sasse,* De sacramentis II, 129 sqq 137 sqq 141 sqq 148 sqq.

Schol. De dispositione requisita ad remissionem peccati venialis.

225. Peccato veniali non tollitur gratia, sed retardatur progressus ad finem ultimum. Consequenter ad remissionem peccati venialis non requiritur actus, quo restituatur gratia, sed requiritur actus, quo tollatur impedimentum progressus ad finem. Talis autem actus est quilibet bonus motus deliberatus supernaturalis, quia eo ipso, quod homo alacriter pergit ad finem, retractat priorem voluntariam retardationem; et ideo convenit, ut Deus remittat priorem neglegentiam in servitio suo commissam, qua destructa non erat amicitia divina; nam inter amicos offensiones leves reparari solent quovis obsequio ab offendente praestito in favorem offensi. Supponitur tamen hominem non retinere ullam deliberatam complacentiam peccati venialis commissi.

Haec valent de peccatis venialibus iustorum; nam peccatores, quamdiu volunt manere inimici Dei, ab eo non possunt rationabiliter exspectare remissionem ullius culpae, ne venialis quidem. Praeterea etiam homo iustus, ut per sacramentum paenitentiae accipiat remissionem peccati venialis, debet de eo formaliter dolere, quia contritio vel attritio est pars essentialis sacramenti.

Etsi infusio gratiae sanctificantis non est principium formale remissionis peccatorum venialium, quia nullus gradus gratiae huius vitae pugnat cum peccato veniali, tamen remissio peccati venialis semper coniuncta est cum infusione gratiae sive ex opere operato sive ex opere operantis (cf. *S. Thomas,* De malo q. 7, a. 11; 3, q. 87, a. 1; *Suarez,* De paenit. disp. 11; Praelect. dogm. IX, 554 598).

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 6 sqq; *Bellarminus,* De paenit. l. 3; *Suarez,* De paenit. disp. 21 sqq; *De Lugo,* De paenit. disp. 15 sqq; *Vacandard,* La confession sacramentelle dans l'église primitive[2], Paris 1903; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 525 sqq.

Prop. XXVI. Baptizatis in peccata gravia lapsis confessio formaliter integra omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum est ad salutem necessaria.

226. ***Stat. quaest.*** *Confessio* est secunda pars materialis sacramenti paenitentiae. *Definitur:* Accusatio peccatorum, facta sacerdoti habenti potestatem absolvendi, ad eorum veniam impetrandam. Neque igitur mere historica narratio peccatorum est, sed accusatio, quae fit iudici spirituali ad absolutionem ab eo accipiendam.

Cum peccata venialia salutem non impediant et multis modis deleri possint, *sola confessio peccatorum mortalium necessaria est;* et quia peccata ante baptismum commissa tolluntur baptismo, sola peccata post baptismum commissa confitenda sunt. Itaque integra est confessio, si omnia peccata mortalia post baptismum commissa, necdum sacramento paenitentiae remissa, accusantur. Haec *integritas* est *obiectiva* seu *materialis,* si non omittitur ullum peccatum grave, quod post baptismum commissum necdum sacramento paenitentiae remissum est. Integritas est *subiectiva* seu *formalis,* si accusantur omnia peccata, quorum confessio subiective possibilis est. Huic formali integritati non obest, si homo aliquod peccatum omittit propter inculpabilem defectum memoriae vel propter aliam impotentiam physicam vel moralem. Christus enim materiam huius sacramenti instituit actus quosdam humanos; actus autem humani eo tantum modo poni possunt, qui humanus est, non qui vires humanas excedit. Sic semper ecclesia necessitatem confessionis integrae intellexit. Si illa impotentia postea tollitur, peccatum confitendum est.

Necessitatem confessionis negarunt *Wiclif* (*Denz.* n. 587), *Lutherus* (*Denz.* n. 748 sq), *Calvinus,* protestantes omnes. Ecclesia definivit iure divino necessariam esse confessionem omnium peccatorum gravium post baptismum patratorum.

227. ***Arg.*** *I.* **Ex S. Scriptura.**

Testante Scriptura Christus dedit ecclesiae potestatem remittendi peccata per actum iudicialem (supra n. 203 sqq). Atqui haec potestas postulat, ut fideles peccata sua confessione integra subiciant iudicio ecclesiae. Ergo confessio integra est necessaria.

Prob. min. a) *Potestas ecclesiae tradita postulat, ut fideles a peccatis suis liberari nequeant independenter ab hac potestate.* Nam Christus dixit: «Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt» (Io 20, 23). Aliis verbis, ut Deus remittat, tamquam condicio praerequiritur, ut vos remittatis; et quamdiu vos non remiseritis, neque Deus remittit. Atqui si independenter ab hac potestate peccator veniam peccatorum impetrare posset, ecclesia nullo modo retinere posset peccata, ut patet de peccatis venialibus. Ergo peccator independenter a iudicio ecclesiastico a peccato liberari nequit.

Ceterum in nullo regno bene instituto causae criminales pro arbitrio reorum iudiciis criminalibus subiciuntur, sed necessario ad haec iudicia deferuntur. Ergo idem valet de regno Christi, in quo a Christo instituti sunt iudices in causis criminalibus laesae maiestatis divinae.

Potestas remittendi et retinendi peccata est pars potestatis clavium, cui subiacent omnia membra ecclesiae. Atqui hac potestate aperitur caelum ei, cui clausum erat peccato post baptismum commisso. Ergo independenter a potestate clavium peccator intrare non potest in caelum.

b) Christus, sicut voluit, ut peccata ad iudicium ecclesiae deferantur, voluit etiam, ut iudiciali modo remittantur aut retineantur. Atqui *iudicialis sententia praerequirit iudicialem cognitionem causae,* quae in hoc casu haberi nequit nisi per confessionem peccatoris, quia ipse solus de interno actu peccaminoso suo testificari potest. Ergo ad hoc iudicium rite exercendum requiritur confessio peccatorum, et omnium quidem, quae post baptismum commissa nondum iudicialiter remissa sunt, quia singula peccata obstant infusioni gratiae sacramento conferendae. Qui ab omnibus peccatis absolvi debet, omnia confiteri debet.

Hoc eo magis valet, quia ad tribunal paenitentiae nemo vi trahitur, sed volens accedere debet, ut volens iustificetur. Atqui volens accedit, si peccata confitetur, a quibus absolvi vult.

Tandem potestas disiunctiva aut remittendi et solvendi aut retinendi et ligandi postulat confessionem omnium peccatorum, ut confessarius ex ea discernere possit, utra pars potestatis et quomodo exercenda sit. Nam ratione culpae debet confessarius discernere, utrum hic et nunc paenitens iam sit in ea dispositione, ut statim absolvendus an relegandus sit ad aliud tempus, e. g. ob reparandum

aliquod scandalum vel ad faciendam prius debitam restitutionem, et similia, de quibus iudex sufficientem persuasionem acquirere debet. Ratione autem poenae debet confessarius iustam satisfactionem imponere, quia, ut postea dicemus, ne Deus quidem ipse solet peccata hominum sine ulla satisfactione dimittere. Atqui ut possit confessarius convenientem et salutarem satisfactionem imponere, praerequiritur confessio peccatorum.

Confirmatur, quia sacramentum paenitentiae institutum est *remedium peccatorum;* atqui sine distincta confessione omnium peccatorum gravium non esset remedium sed potius incitamentum peccatorum. Nam si homines scirent se debere solum in genere confiteri se peccasse, ut statim acciperent absolutionem, parvi penderent repetitionem peccatorum. Sed sacramentum paenitentiae ita institutum est, ut iudex spiritualis simul sit *medicus animarum.* Ad hoc autem requiritur, ut confessarius singulos morbos spirituales paenitentis distincte cognoscat, ut iis debitam medicinam applicet (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 22, sect. 1, n. 10).

Supposita hac demonstratione biblica possunt alii quoque textus Scripturae commode intellegi de confessione sacramentali, ut Act 19, 18; 1 Io 1, 9; Iac 5, 16 (cf. *Bellarm.,* De paenit. l. 3, c. 4).

228. *Arg. 2.* Ex SS. Patribus.

Necessitas confessionis peccatorum inculcatur quidem in vetustissimis quibusdam scriptis, ut in *Doctrina duodecim apostolorum* (4, 14), in epistula *S. Clementis Rom.* (51, 1) et in secunda eius, quae dicitur epistula ad corinthios (8, 2), in *Pastore Hermae* (Simil. 9, 23, 4); at non certo constat, utrum ibi sermo sit de confessione soli Deo an etiam de confessione sacerdoti facienda.

Sed iam *Tertullianus* monet peccatores, ne delicta sua hominibus manifestare verecundentur. «Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere quam palam absolvi?» (De paenit. c. 10; cf. supra n. 187). *S. Cyprianus:* «Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est» (De lapsis c. 29). Haec valent de iis, qui publico crimine se maculaverant. In praecedente autem capite commendat eorum fidem et timorem, «qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirant» (ib. c. 28). Hoc est *exemplum confessionis privatae.*

Expressius etiam confessionem privatam et publicam distinguit *Origenes:* «Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris vel phlegmatis, stomacho graviter et moleste immanentis, abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi, qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat . . . et confiteatur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere . . . ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, facias et sequaris. Si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est» (In Ps. 37 hom. 2, n. 6). Sed sive privatim sive in publico, necessario confitenda sunt peccata. «Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commisimus», de cunctis diabolus nos accusabit. «Si ergo in vita praeveniamus eum et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli, inimici nostri et accusatoris, effugimus. . . . Vide ergo, quia pronuntiare peccatum remissionem peccati meretur. . . . Si vero exspectamus, ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad poenam; habebit enim socios in gehenna, quos convicerit criminum socios» (In Lev. hom. 3, n. 4). Haec est illa «dura et laboriosa per paenitentiam remissio peccatorum, cum peccator . . . non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum et quaerere medicinam» (In Lev. hom. 2, n. 4).

S. Aphraates monet sacerdotes: «Eum, qui infirmitatem suam manifestare erubuerit, adhortamini, ne eam a vobis abscondat; cumque ipsam vobis revelaverit, nolite eam publicare». De peccatoribus autem ait: «Eum, qui a satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri illudque relinquere et paenitentiam in remedium postulare. Qui vulnus suum prodere erubescit, gangraena corripietur, totumque corpus damno inficiet. Quem autem non pudet vulnus manifestare, sanabitur, et in proelium iterum descendet. . . . Ita prorsus ei, qui in agone nostro superatus est, haec superest via sanitatem recipiendi, ut scilicet dicat: peccavi, et paenitentiam postulet» (Demonstr. VII, n. 3 sq).

De confessione secreta peccatorum loquuntur etiam alii Patres, ut *S. Irenaeus* (Contra haer. l. 1, c. 13, n. 7), *S. Basilius* (Ep. 199 seu 2 canonica ad Amphilochium can. 34), alii. De *S. Ambrosio* in eius vita narratur a Paulino, eius notario: «Causas criminum, quae illi confitebantur [paenitentes], nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur» (n. 39). Necessitatem confessionis S. Ambrosius saepe inculcat in opere De paenitentia (l. 2, c. 1 3 6 9 sq). *S. Augu-*

stinum iam supra (n. 202) audivimus docentem confessionis necessitatem et distinguentem inter paenitentiam publicam et privatam. Alibi idem arguit eos, qui dicant se in secreto apud Deum paenitentiam agere. «Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? Ergo sine causa sunt claves datae ecclesiae Dei? Frustramus evangelium? Frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus?» (Serm. 392, n. 3).

Cum quidam postulassent publicam confessionem peccatorum, *S. Leo M.* haec scripsit ad episcopos Campaniae: «Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De paenitentia scilicet, quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. . . . Removeatur tam improbabilis consuetudo. . . . Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit» (Ep. 168, c. 2; *Denz.* n. 145). Cf. supra n. 202.

Possunt facile augeri testimonia, sed haec videntur sufficere. Eadem doctrina probatur ex veteribus *canonibus paenitentialibus,* quales leguntur in «Canonibus apostolicis», in «Constitutionibus apostolorum», in aliis libris. Item ex *libris paenitentialibus,* qui medio aevo in lucem prodierunt, ex quibus multa excerpsit *Morinus* in appendice operis De administratione sacramenti paenitentiae. Cf. *Wasserschleben* (Die Bußordnung der abendlaendischen Kirche, Halle 1851) et *H. I. Schmitz* (Die Bußbuecher und die Bußdisziplin der Kirche, Mainz 1883; Die Bußbuecher und das kanonische Bußverfahren, Duesseldorf 1898). Hi quidem libri numquam auctoritatem habuerunt in universa ecclesia, ostendunt tamen praxim confessionis «auricularis» fuisse universalem. Idem efficitur *ex consensu orientalium,* qui non minus agnoscunt necessitatem confessionis peccatorum quam latini, eamque saec. XVI et XVII contra protestantes defenderunt. Hic consensus ostendit hanc doctrinam traditam fuisse ante eorum defectionem (cf. *Goar,* Euchołog. graec. 109; *Schelstrate,* Acta orient. eccl. 162 323 sqq 521 sq; *Denzinger,* Rit. orient. I 113).

Unanimis etiam semper fuit consensus theologorum. Ait quidem *Petrus Lombardus:* «Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali et confessione ecclesiae.» Sed ipse propositis argumentis sic concludit: «Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur oportere Deo primum et deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas» (Sent. l. 4, dist. 17, n. 3 sq). *S. Thomas* ad illa quorundam verba annotat: «Quod ponitur hic pro opinione, haeresis est» (In dist. 17

post q. 3 in exposit. textus). *Scotus* dubitat, utrum ex sola Scriptura necessitas confessionis probari possit, et putat melius dici: «Confessio est de iure divino positivo a Christo promulgato apostolis sed ecclesiae promulgato per apostolos absque omni Scriptura» (In 4, dist. 17, q. 1). Hoc tamen non est admittendum.

229. *Arg. 3.* **Ex definitionibus conciliorum.**

Concilium laodicenum (circa a. 370) c. 2 inter opera paenitentium recenset confessionem. Temporibus medii aevi multa concilia provincialia de hac re loquuntur, ut *concilia cabillonensia* a. 680 et 813 habita, ex quibus hoc alterum can. 32 statuit: «Sed et hoc emendatione egere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. . . . Ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, et ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.» Similiter *turonense III* a. 813 can. 22, *remense* a. 813 can. 12 et 16, *titiense* a. 855, alia. Quia multi diu differebant confessionem, *concilium lateranense IV* hanc legem dedit c. 21: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti» (*Denz.* n. 437; cf. n. 587 670 725).

Tandem *concilium tridentinum* definivit necessariam ad salutem esse confessionem omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum. Postquam enim sess. 14, c. 2 dixit sacramentum paenitentiae institutum esse illis verbis Christi, quae narrantur Io 20, 22 sq, ait c. 5: «Ex institutione sacramenti paenitentiae iam explicata universa ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino *integram peccatorum confessionem,* et omnibus post baptismum lapsis *iure divino necessariam* exsistere, quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et iudices, ad quos *omnia mortalia crimina* deferantur, in quae christifideles inciderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius *in specie ac singillatim* sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere a paenitentibus *omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent,* in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa. . . . Nam *venialia . . . taceri citra culpam* multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines irae filios et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quaerere. . . . Qui vero secus faciunt et aliqua *scienter retinent,* nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. . . . Colligitur praeterea etiam eas *circumstantias* in

confessione explicandas esse, *quae speciem peccati mutant,* quod sine illis peccata ipsa neque a paenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant, et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint et poenam, quam oportet, pro illis paenitentibus imponere.»

Docet dein concilium posse quidem ob rationabiles causas confessionem publice fieri, «non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda.» Ergo sufficit «*secreta confessio sacramentalis,* qua ab initio ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur» (*Denz.* n. 899 901).

Can. 6: «Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, A. S.» Can. 7: «S. q. d. in sacramento paenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant . . . A. S.» (*Denz.* n. 916 sq).

230. *Obi. I.* Ut confessarius det absolutionem, nihil requiritur, nisi ut sciat paenitentem dignum esse absolutione. Atqui confessarius potest scire paenitentem esse dignum absolutione sine integra confessione. Ergo integra peccatorum confessio non semper est necessaria.

Resp. *Neg. mai.* Confessarius ut iudex ad ferendam debito modo sententiam debet habere iudicialem cognitionem causae; et ut medicus animarum debet cognoscere vulnera animae, ut iis debita remedia adhibeat.

Dices: Si paenitens contritione iam iustificatus est, non iam potestas retinendi peccata in eum exerceri potest; neque iam habet vulnera animae, quae curanda sint.

Resp. *Negandum est utrumque.* Ratione peccati paenitens subiacet potestati fori interni, quamdiu absolutionem non accepit. Itaque etsi confessarius efficere nequit, ut paenitens, qui iam est iustificatus, non sit iustificatus, potest tamen efficere, ut maneat obligatio recurrendi ad tribunal paenitentiae, usquedum potestate solvendi paenitens ab hac obligatione liberetur; neque antea licet paenitenti accedere ad sacram communionem, neque particeps est aliorum beneficiorum (ut indulgentiarum multarum), ad quae susceptio sacramenti paenitentiae necessaria est. Quem sensum habeat forma absolutionis in similibus casibus, postea dicemus (n. 236). Neque eo, quod peccator iustificatur, statim semper omnia vulnera animae curantur, sed saepe variae aegritudines remanent, quae ope medici spiritualis indigent.

231. *Obi. II.* Si confessio omnium peccatorum est essentialiter necessaria ad suscipiendum sacramentum paenitentiae, ii, qui peccata confiteri nequeunt,

non possunt hoc sacramentum suscipere. Atqui secundum praxim nunc communem datur absolutio etiam hominibus, qui confiteri nequeunt. Ergo aut illa doctrina est falsa, aut haec praxis est mala.

Resp. *Dist. mai.:* Si confessio est necessaria, ii, qui nullo modo confiteri possunt, non possunt hoc sacramentum suscipere, *conc. mai.;* ii, qui confitentur, quantum physice et moraliter possunt, etsi confessio non est materialiter integra, non possunt hoc sacramentum suscipere, *neg. mai.* *Dist. min.:* Absolutio datur iis, quos constat nullo modo confessos esse, *neg. min.;* iis, quos constat vel supponere licet aliquo saltem modo confessos esse, datur absolutio in casu necessitatis, *conc. min.* Et *neg. conseq.*

Concilium tridentinum sess. 14, c. 5 docet ea peccata mortalia confitenda esse, quorum quis post diligentem conscientiae examinationem meminerit; «reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelleguntur» (*Denz.* n. 900). Hic igitur est unus casus, in quo impotentia ab integra confessione excusat. Sed si impotentia hic excusat, etiam in aliis condicionibus excusat, ut si moribundum deficit loquela, vel si ob angustiam temporis et periculum proxime imminens sola generalis quaedam confessio fieri potest, ut in naufragio, vel cum milites exeunt ad pugnam. Singulae rationes excusantes ab integritate exponuntur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[11], n. 431 sqq, ubi n. 406 sqq de integritate quoad speciem et numerum peccatorum). In his omnibus casibus habetur aliqua sensibilis confessio, in quantum possibilis est. Sed dogmatica difficultas restat, quomodo moribundus sensibus destitutus neque ullius confessionis capax absolvi possit.

Moribundus nunc sensibus destitutus, si antea expressit desiderium confitendi, eo ipso fecit aliquam confessionem, quia significavit se velle peccata sua clavibus ecclesiae subicere. Si nullum signum dedit desiderii confessionis, olim plurimi theologi censebant eum valide absolvi non posse (cf. *De Lugo,* De paenit. disp. 17, sect. 3, n. 39). Ratio obvia est, quia videtur deesse materia vel saltem condicio sine qua non sacramenti. Nihilominus secundum doctrinam et praxim nunc praevalentem talis moribundus catholicus, dummodo antea ne repulerit confessionem, condicionate absolvendus est (cf. *Lehmkuhl* l. c. n. 647 sqq). Ad hanc praxim explicandam statuitur principium in casu extremae necessitatis omnia remedia tentanda esse, etiam tenuiter tantum probabilia. In hoc casu licet sacramentum exponere periculo nullitatis, quia sacramenta sunt propter homines, et reverentia servatur adiecta condicione: Volo te absolvere, si capax es. Tenuiter autem saltem probabile est hominem, qui catholicam fidem professus est, eo ipso etiam declarasse se velle in hora mortis confiteri et absolvi. Tenuiter etiam interdum probabile est talem hominem per gemitus vel alios motus velle manifestare desiderium confitendi. Ad has igitur vel similes explicationes recurrendum est, ut ostendatur etiam in talibus condicionibus posse fortasse adesse confessionem aliqualiter sensibilem. Si vero reapse nulla confessio sensibilis adest, nihil valet absolutio, sicut neque valet, si moribundus numquam sufficientem attritionem de peccatis habuit.

In hoc igitur casu moribundi sensibus destituti sufficit etiam confessio sacerdoti absenti facta quomodocumque per nuntios. Nam exclusa hac urgente necessitate confessio omnino facienda est *sacerdoti praesenti,* ut speciali decreto statuit *Clemens VIII* (*Denz.* n. 1088).

Similiter confessio per se quidem *verbis* fieri debet, sed si hoc fieri nequit, ut in mutis vel interdum in moribundis, alia signa sufficiunt. De moribundis *Rituale rom.* praescribit: «Quodsi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur [sacerdos], quoad eius fieri poterit, peccata paenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est» (De sacram. paenit. c. 1, n. 24).

232. **Obi. III.** Peccata inculpabiliter omissa remittuntur absolutione. Ergo ad hoc ut peccata remittantur, non requiritur eorum confessio.

Resp. *Dist. antec.:* Peccata omissa directe remittuntur absolutione, *neg. antec.;* indirecte remittuntur, *conc. antec. Dist. conseq.:* Possunt peccata absolutione remitti sine ulla confessione, *neg. conseq.;* possunt interdum remitti cum imperfecta confessione, saltem indirecte, *conc. conseq.*

Confessarius non potest paenitentem absolvere nisi a peccatis, quae confessione eius iudicio subiecta sunt. Hac absolutione ei, qui obicem non ponit, gratia infunditur; gratia autem infusa omnia peccata delentur, etiam quae inculpabiliter omissa sunt. Haec vocatur remissio indirecta, qua remissione paenitens non liberatur ab obligatione peccata postea confitendi, si potest. Si confessio in casu necessitatis generalis solum facta est, directe solum remittitur reatus culpae in genere, et singula peccata in specie declaranda sunt postea, quando possibile est (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 23, sect. 1, n. 11; *De Lugo,* De paenit. disp. 17, sect. 1, n. 16).

233. **Obi. IV.** Si confessio est necessaria ad salutem, in vetere lege homines facilius poterant salvi fieri quam in nova, scilicet per solam contritionem perfectam. Atqui hoc non est admittendum. Ergo confessio non est necessaria, sed sufficit contritio.

Resp. *Neg. mai.* simpliciter loquendo; nam secundum quid hoc potest concedi. Scilicet accidentalis quidem difficultas confessionis omnium peccatorum in vetere lege non erat. Sed in nova lege minor dispositio requiritur, ut peccator sacramento paenitentiae iustificetur; et sic iustificatus facilius pervenit ad perfectam caritatem et contritionem. Praeterea «ipsa confessionis difficultas ac peccati detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur» (*Conc. trid.* sess. 14, c. 5: *Denz.* n. 900). Saepe experientia compertum est, quantam consolationem peccatores post bonam confessionem perceperint. Ipsa quoque difficultas confessionis est insignis satisfactio, quo vitatur purgatorium, et est optimum remedium contra peccata futura. «Constat enim, si sacramentalem confessionem e christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse. . . . Etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiae tamquam frenum inicit et improbitatem coercet.» Quare «omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per

ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse» (*Catech. rom.*, Pars II, c. 5, n. 36 sq).

234. Obi. V. *Gratianus* citat canonem *Theodori* (Theodulphi?) dicentis: «Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut graeci. Quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta ecclesia» (Decr. Pars II, causa 33, dist. 1, c. 90). Ergo aliquando necessitas confessionis a quibusdam in ecclesia negabatur.

Resp. *Transeat totum,* quia nihil inde probatur nisi forte quosdam errasse, sicut de ipso Gratiano ait *Gregorius de Valentia:* «privatum plane Gratiani errorem et hallucinationem fuisse» (IV, disp. 7, q. 9, punct. 2, obi. 3). Ceterum multa in ista re sunt obscura. Gratianus (l. c. post. c. 87. Pars I) ait: «His auctoritatibus asseritur neminem sine paenitentia et confessione propriae vocis a peccatis posse mundari.» Et iterum (Pars III, § 9): «Sine confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adversum.»

Dein iste canon, quem falso Gratianus attribuit Theodoro, invenitur primum in *concilio cabillonensi II* (a. 813), ubi est canon 33, sed sine illis verbis «ut graeci», et «ut tota fere sancta ecclesia». Hoc autem concilium diserte docet necessitatem confessionis (supra n. 229). Ergo quod hic docet utramque confessionem non fieri sine magna utilitate, cum Deus interdum salutem operetur «invisibili administratione», interdum «medicorum operatione», nihil aliud videtur docere velle nisi et contritionem perfectam et sacramentalem absolutionem valere ad remissionem peccatorum, ita ut illo canone non agatur de necessitate confessionis quoad praeceptum sed solum quoad effectum. Dogmatice tota haec exegetica quaestio non est magni momenti.

Quidam ex vetustioribus scholasticis, ut *Hugo Victorinus* (De sacram. l. 2, Pars 14, c. 1) et *S. Bonaventura* (In 4, dist. 17, Pars 2, a. 1, q. 3), docent a Christo esse quidem institutionem confessionis, non tamen praeceptum. Haec doctrina est specietenus tantum contra thesim nostram, quia volunt solum dicere in S. Scriptura praeter institutionem huius sacramenti non referri explicitum praeceptum Christi. Docent tamen ex institutione recte colligi necessitatem sacramenti. Ita *S. Bonaventura:* «Quidam non tantum obligantur [ad confitendum] ex ecclesiastica institutione sed ex propria transgressione; hi tenentur ex sacramenti institutione» (l. c. a. 2, q. 2). «Etsi quis pertinaciter assereret contrarium, esset haereticus iudicandus» (ib. in expos. textus dub. 1).

235. Obi. VI. Anno 390 *Nectarius,* episcopus constantinopolitanus, in ecclesia sua confessionem abrogavit, et eius successor *S. Ioannes Chrysost.* negat peccata coram sacerdotibus esse confitenda. Atqui haec intellegi nequeunt, si confessio esset ad salutem necessaria. Ergo non est necessaria.

Resp. *Neg. mai.*, etsi Calvinus et alii hoc asserunt. Nam testibus *Socrate* (H. E. l. 5, c. 19) et *Sozomeno* (H. E. l. 7, c. 16) Nectarius abrogavit munus presbyteri paenitentiarii, qui praeerat paenitentiae publicae. Quaedam enim mulier publice confessa erat se cum quodam diacono illicitum commercium habuisse, ex qua confessione magnum scandalum ortum erat. Huic malo ut mederetur, Nectarius statuit, ne secreta crimina in futurum ad

paenitentiarium deferrentur et ab eo publicae paenitentiae subicerentur. Hoc autem facto catholica doctrina de confessione potius confirmatur quam infirmatur.

Nam *Sozomenus* l. c. ait: «Cum in nullo prorsus peccare divinioris cuiusdam naturae sit et humana praestantioris, paenitentibus vero, etiamsi saepius deliquerint, veniam dare Deus praeceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio iure merito visum est sacerdotibus tamquam in theatro circumstante totius ecclesiae multitudine crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cuiuscumque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, poenae loco indicens, absolvebat paenitentes»; *Socrates* autem l. c. ait hoc munus paenitentiarii inde a persecutione Decii in ecclesia fuisse; ergo eo tempore fuerat usus confessionis.

S. Chrysostomus non negavit necessitatem confessionis: «Cuiusmodi est medicamentum paenitentiae et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione et confessione. Nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis animus. Oportet autem alia quoque addere humilitati . . . et se in sacerdotes, ut convenit, gerere. Et si fecerit, inquit [Iac 5, 15], quisquam peccata, remittentur ei» (In Hebr. hom. 9, n. 4). «Quisnam frigidus ille multorum sermo? Vereor, inquiunt, pudore suffundor, neque possum vel os diducere. Satanica est haec verecundia» (De Incomprehensibili hom. 5, n. 6). «Ne, quia peccasti, te pudeat accedere [ad sacerdotem], immo ob hoc ipsum accede. Nemo enim dicit: Quia ulcus habeo, medicum non accerso neque pharmacum accipio; immo ob hoc ipsum maxime et medici advocandi sunt et pharmacorum vim requirere opus est. Scimus etiam nos [sacerdotes] ignoscere, quia et ipsi aliis peccatis sumus obnoxii. Ideo namque Deus non angelos dedit nobis doctores . . . sed ex ovibus gregis ducem, qui ad ignoscendum subditis pronus sit, et infirmitatem propriam expendens, non insurgat adversus gregarios» (Hom., quod frequenter conveniendum sit, n. 2; *M* 63, 463). Quapropter maxima requiritur in sacerdote prudentia, «ut undique animae statum circumspiciat» (De sacerd. l. 2, n. 3 sq). Cf. supra n. 202.

Saepe utique commendat Chrysostomus confessionem peccatorum coram Deo faciendam. «Apud Deum ea confitere, apud iudicem confitere peccata tua, orans si non lingua, saltem memoria» (In Hebr. hom. 31, n. 3). Saepe excludit publicam confessionem: «Non te in theatrum conservorum tuorum duco neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam expande coram Deo, ipsi ostende vulnera tua» (De Incompreh. hom. 5, n. 7). Quoties autem Chrysostomus exhortatur ad superandam verecundiam in confessione peccatorum, videtur loqui de confessione sacramentali, cum confessio coram Deo omniscio non includat hanc specialem verecundiam. Ceterum confessio sacramentalis recte dici potest Deo potius fieri quam homini. Quare in paenitentiali, quod adscribitur *Ioanni Ieiunatori,* confessarius ait ad paenitentem: «Spiritualis fili, ego tuam confessionem primario et praecipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius est enim opus eiusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit» (*M* PG 88, 1891).

Schol. De confessione peccatorum, quae non necessario accusantur.

236. De *peccatorum venialium confessione* docet *concilium tridentinum* sess. 14, c. 5: «Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt» (*Denz.* n. 899). *Lutherus* quidem docuerat peccata venialia nullo modo esse confitenda (*Denz.* n. 748). Sed hanc doctrinam concilium damnavit: «S. q. d. non licere confiteri peccata venialia, A. S.» (*Denz.* n. 917). Cum postea *synodus pistoriensis* art. 39 declarasset se optare, ne tantopere frequentaretur venialium confessio, *Pius VI* hanc declarationem damnavit (*Denz.* n. 1539).

Non quidem primario et per se ad venialium remissionem institutum est sacramentum paenitentiae, neque potestas retinendi ad ea applicari potest. Attamen quia potestas remittendi et solvendi plane universalis ecclesiae data est, nulla omnino ratio assignari potest, cur ab hac potestate excludatur remissio peccatorum venialium. Per multa quidem saecula vix videtur in usu fuisse confessio venialium, saltem solorum, attamen hoc unice ostendit hunc usum esse libero arbitrio hominum relictum.

Dogmatica difficultas eatenus tantum hic habetur, quatenus explicandum est, *quomodo possint absolutione remitti peccata venialia,* quae sine mortalibus accusantur. Nam ad remissionem peccati venialis requiritur, ut peccatum paenitentiae actu retractetur; atque tali actu peccatum veniale statim deletur (supra n. 225); ergo nihil remanet absolvendum. Ad hoc respondetur: Non repugnat ea, quae remissa sunt, iterum remitti, praesertim si haec remissio coniuncta est cum infusione gratiae, et cum remissione poenae, quae forte remansit.

Posse peccata iam remissa, sive mortalia sive venialia, iterum remitti, constat ex usu ubique recepto confessionum generalium, quae fieri solent tempore exercitiorum vel aliis occasionibus. Praxim repetendi confessiones suadebat *S. Benedictus XI* iis, qui non apud «proprios» sacerdotes sed apud alios confessi erant (Extravag. comm. l. 5, tit. 7, c. 1; *Denz.* n. 470). Cum *S. Thoma* (In 4, dist. 17, q. 3, a. 3, sol. 5 ad 4) theologi docent id omnino fieri posse, ut *Suarez:* «Communis et certa sententia est haec peccata esse sufficientem materiam, si quis ea iterum confiteri velit» (De paenit. disp. 18, sect. 1, n. 6).

Sicut homo de peccatis commissis semper in hac vita paenitentiam agere potest, ita Deus repetere potest promissionem se nolle propter illa peccata paenitenti irasci, et in signum huius suae bonae voluntatis augmentum gratiae infundere et poenas restantes remittere. Deus enim saepe eandem promissionem repetiit (cf. Gn 12, 2; 15, 5; 17, 5; 22, 17). Ergo confessio et absolutio repetita multis modis est homini utilis.

Neque tamen in casu confessionis solorum venialium vel peccatorum iam absolutione sacramentali remissorum necessarium est omnia peccata confiteri, sed sufficit unum peccatum cum debita attritione confiteri, quia non agitur de peccatis, quae infusioni gratiae obstant; ergo sufficit clavibus subicere unum vel plura peccata, ut habeatur certa materia absolutionis (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 23, sect. 1, n. 10).

CAPUT III.
DE SATISFACTIONE.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 12 sqq; *Bellarminus,* De paenit. l. 4, c. 1 sqq; *Suarez,* De paenit. disp. 28; *De Lugo,* De paenit. disp. 25, sect. 4; *Palmieri,* De paenit. thes. 36 sqq; *Sasse,* De sacramentis II 184 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 545 sqq.

Prop. XXVII. Confessarius debet paenitentibus imponere convenientes satisfactiones, quibus poenae temporales peccatis debitae delentur.

237. **Stat. quaest.** a) *Satisfactio* est tertia pars materialis sacramenti paenitentiae. *Definitur:* Satisfactio est voluntaria susceptio poenae a confessario impositae ad reparandam iniuriam peccato Deo illatam et ad redimendas poenas temporales post remissa peccata lege divina adhuc luendas. Actum enim peccati sequitur duplex reatus: culpae et poenae. Ratione culpae Deus peccatorem, quamdiu manet in eodem statu, excludit ab assecutione aeternae beatitudinis; ob reatum poenae eum addicit poenis positivis. Haec valent maxime de peccato mortali, ob quod Deus peccatorem prosequitur odio, inimicitiis, vindicta, etsi nondum absolute in hac vita. Pertinent tamen etiam suo modo ad peccatum veniale, ob quod nondum remissum homo impeditur ab ingressu caeli, et aut in hac vita aut in altera poenis subicitur.

Si homo contritione perfecta vel digna susceptione sacramenti paenitentiae iustificatur, Deus propter satisfactiones Christi hos actus paenitentis accipit ut satisfactionem iniuriae illatae, et revocat sententiam damnationis aeternae, seu delet reatum culpae et poenae aeternae.

b) Sed docente revelatione *Deus non semper cum reatu culpae etiam remittit omnem poenam temporalem.* Id colligitur ex *S. Scriptura.* Ita Deus Adamo remisit culpam (Sap 10, 2), sed simul imposuit gravissimam poenam (Gn 3, 17 sq); idem valet de Maria, sorore Moysis (Nm 12, 14 sq), de Moyse et Aaron (Nm 20, 1 sqq; 27, 12 sqq; Dt 34, 1 sqq), de Davide (2 Rg 12, 13 sq), de corinthiis non debite celebrantibus eucharistiam (1 Cor 11, 29 sqq). Propterea a paenitentibus non contritio tantum postulatur sed etiam opera satisfactionis (cf. Ioel 2, 12 sqq). Immo supponendum est hanc esse *legem a Deo statutam,* ut communiter non tota poena remittatur statim cum culpa, praecipue graviore. Nam secundum Scripturam Deus cum peccatoribus non agit modo sic et modo aliter, sed reddit unicuique secundum opera sua (Ps 61, 13. Prv 24, 12. Mt 16, 27. Rom 2, 6). Atqui hoc verum non esset, si Deus modo relinqueret poenam post peccata

remissa, modo non relinqueret, et hoc non pro magis aut minus bona dispositione paenitentis, sed simpliciter quia ita placeret. Ergo admittenda est lex universalis non sufficere ad delendam totam poenam omne id, quod sufficit ad delendam culpam.

Haec est doctrina traditionis. *S. Augustinus:* «Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis. . . . Productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena» (In Ioan. tract. 124, n. 5). *S. Gregorius M.:* Deus «delictum sine ultione non deserit. . . . Sic David post confessionem audire meruit: Transtulit Dominus peccatum tuum (2 Rg 12, 13), et tamen multis post cruciatibus afflictus et fugiens, reatum culpae, quam perpetraverat, exsolvit» (Moral. l. 9, c. 34). Similiter alii Patres. Idem docent theologi cum *S. Thoma* (3, q. 86, a. 4; Supplem. q. 12 sq). Cum vero saeculo XVI Lutherus, Calvinus, alii hoc negassent, *Concilium tridentinum* catholicam doctrinam definivit sess. 14, c. 8: «Sancta synodus declarat falsum omnino esse et a verbo Dei alienum culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus praeter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur.» Can. 12: «S. q. d. totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque paenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro se satisfecisse, A. S.» (*Denz.* n. 904 922).

c) Itaque quia Deus solet peccato remisso poenas infligere, confessarius in iudicio paenitentiae huius decreti divini rationem habere debet. Poenae a Deo statutae post remissionem peccati sunt praecipue poenae purgatorii (cf. II, n. 416 sqq). Ab his igitur poenis ut paenitens liberetur, iniunguntur ei satisfactiones, quia sacramentum paenitentiae institutum est, ut homo liberetur a toto reatu. Haec liberatio a poenis temporalibus non est quidem essentialis. Ergo si paenitens est incapax ullius satisfactionis praestandae, haec omitti potest salva essentia sacramenti. Sed quia pertinet ad integritatem, omittenda non est extra casum necessitatis, ne sacramentum maneat mancum.

238. ***Arg.*** *1.* Ex indole sacramenti paenitentiae.

Christus sacramentum paenitentiae ita instituit, ut sacerdos ut vicarius Dei sit iudex et medicus paenitentis. Atqui hoc officium iudicis et medici postulat impositionem satisfactionis. Ergo satisfactio imponenda est.

Prob. min. Nam ut iudex vicem Dei gerens debet sacerdos absolvere paenitentem eo modo, quo Deus vult remittere peccata, i. e. non sine satisfactione praestita. Ut medicus debet paenitentem curare ab omni reatu praeterito et tueri a reatu futuro. Hoc autem fit imposita convenienti satisfactione, quae sufficiens videtur pro gravitate culpae commissae, et quae deterret et iuvat hominem, ne iterum peccet. Est igitur haec satisfactio et vindicativa et medicinalis.

239. *Arg. 2.* Ex praxi veteris ecclesiae.

In vetere ecclesia paenitentia longa et dura imponebatur iis, qui graviora crimina commiserant, ut tandem post satisfactionem praestitam plene absolverentur. E. g. *concilium ancyranum* (a. 314) inter alios canones hunc (4) habet: «De his, qui sacrificare coacti sunt, insuper et cenaverunt in idolio, quicumque eorum, cum ducerentur, laetiore habitu fuerunt et vestimentis pretiosioribus usi et praeparatae cenae indifferenter participes exstiterunt: placuit eos inter audientes uno anno constitui; succumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio; et tunc ad perfectionis gratiam pervenire» (*Kirch,* Enchir. n. 338). Hic designantur diversi paenitentium gradus: *Audientes,* qui ad portam ecclesiae stantes lectionem et expositionem Scripturae audiebant, sed ante missam dimittebantur. *Substrati,* quibus humi prostratis licebat missae interesse. *Consistentes,* quibus licebat stantibus missae interesse, non tamen sacram communionem recipere. Ceterum hi ordines paenitentium non ubique iidem erant, sed ubique institutum paenitentium servabatur (cf. supra n. 187 202 211 *b*). Canones paenitentiales Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Basilii, librorum paenitentialium ostendunt firmam persuasionem ecclesiae paenitentibus satisfactiones pro peccatis imponendas esse.

240. *Arg. 3.* Ex doctrina traditionis.

S. Cyprianus valde queritur, quod nonnulli eos, qui in persecutione lapsi erant, ante praestitam satisfactionem ad eucharistiam admittant. «Cum in minoribus peccatis agant peccatores paenitentiam iusto tempore . . . nunc crudo tempore persecutione adhuc permanente, nondum restituta ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu iis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur» (Ep. 16, 2; ed. *Hartel*). *S. Augustinus:* Paenitens «veniat ad antistites, per quos in ecclesia claves ministrantur . . . a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum» (Serm. 351, n. 9). *S. Leo M.:* «Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem paenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent» (Ep. 108, n. 2). *S. Gregorius M.:* «Afflictio paenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus iis decernitur afflictionis» (In 1 Reg. l. 3, c. 5, n. 13).

Eadem est doctrina theologorum.

241. *Arg. 4.* Ex constitutionibus conciliorum.

Paenitentibus debitam satisfactionem imponendam esse iam vetera concilia saepe statuerunt, ut *laodicenum* (circa a. 370) can. 2; *cartha-*

ginense (a. 397) can. 31, alia. *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 8 docet satisfactiones imponendas esse ob multas rationes: a) quia convenit aliter remitti peccata post baptismum quam ante baptismum commissa, cum in illis sit maior ingratitudo in Deum; b) quia poenis impositis homines deterrendi sunt a futuris peccatis et iuvandi ad ponendos contrarios actus virtutum; c) quia his levioribus poenis amovetur gravior a Deo imminens poena; d) quia hoc modo homines configurantur Christo, qui pro eorum peccatis satisfecit. Concludit autem sic: «Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et paenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis coniveant et indulgentius cum paenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent.» Can. 15: «S. q. d. claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna poena temporalis plerumque solvenda remaneat, A. S.» (*Denz.* n. 904 sq 925).

242. *Obi. I.* Satisfactio paenitentibus imposita aut est efficax ex opere operantis aut ex opere operato. Atqui si est efficax ex opere operantis, non est pars sacramenti; si est efficax ex opere operato, quaelibet satisfactio imposita infallibiliter totam poenam delet, quia sacramentum infallibiliter effectum suum producit. Ergo aut non est pars sacramenti, aut quaelibet satisfactio sufficit.

Resp. *Nego disiunctionem maioris,* quia utrumque simul valet. Nam opera satisfactoria cum Dei gratia facta etiam extra sacramentum valent ad avertendam poenam a Deo infligendam. *Tertullianus* ait: «In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi, crede, Deus parcet» (De paenit. c. 9). *S. Augustinus:* «Sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor evadit» (Ep. 153, n. 6). *S. Petrus Damiani:* «Ne tibi blandiaris . . . cum in purgatorio perficiendum sit, quidquid hic minus feceris» (Sermo 2 de S. Andrea). Haec est doctrina catholica, quam definivit *concilium tridentinum* sess. 14, can. 13: «S. q. d. pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam paenitentiam esse novam vitam, A. S.» (*Denz.* n. 923). Contraria doctrina *Baii* damnata est (cf. *Denz.* n. 1059 1077).

Praeterea vero *concilium tridentinum* sess. 14, c. 2 ait nos ad plenam et integram peccatorum remissionem, qualis in baptismo datur, posse quidem pervenire per sacramentum paenitentiae, sed non «sine magnis nostris fletibus

et laboribus, ut merito paenitentia laboriosus quidam baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit» (*Denz.* n. 895). Hinc concludunt theologi has laboriosas satisfactiones esse partem sacramenti et delere poenam temporalem etiam ex opere operato. «Haec est communis theologorum sententia» (*Suarez,* De paenit. disp. 38, sect. 2, n. 2); non tamen est de fide.

Ad minorem argumenti respondetur: Etiamsi exsecutio operis satisfactorii esset solum efficax ex opere operantis, tamen impositio et acceptatio satisfactionis esset pars sacramenti, et hac ipsa simul cum absolutione iam aliqua pars poenae temporalis tolleretur.

Alterum autem, quod asseritur, falsum est: satisfactione imposita, si efficax sit ex opere operato, tolli totam poenam temporalem. Sicut sacramentum non semper producit omnem gratiam, quam absolute producere potest, sed maiorem vel minorem pro dispositione suscipientis, ita etiam satisfactio imposita non semper tollit omnem poenam temporalem sed plus vel minus pro dispositione satisfacientis. Accipit vero satisfactio hanc efficaciam ex opere operato per absolutionem ut formam sacramentalem, quae informat satisfactionem ut materiam, sive satisfactio praecessit absolutionem, sive eam sequitur. In vetere ecclesia opera satisfactoria in publica paenitentia praecedebant ultimam absolutionem; multi autem theologi censent hanc ultimam absolutionem non fuisse sacramentalem sed canonicam tantum reconciliationem seu fori externi, sacramentalem autem absolutionem datam esse statim post confessionem (cf. Prael. dogm. VII, n. 263 sqq). Quidquid id est, *Sixtus IV* damnavit hanc propositionem Petri de Osma: «Non sunt absolvendi paenitentes nisi peracta prius paenitentia iis iniuncta» (*Denz.* n. 728). Similes propositiones damnatae sunt ab *Alexandro VIII* et a *Pio VI* (*Denz.* n. 1306 sq 1535). Ergo satisfactiones ante et post absolutionem impleri possunt.

243. Obi. II. Sacramentum est efficax gratiae ex opere operato. Atqui satisfactio non est efficax gratiae ex opere operato. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

Resp. *Dist. mai.:* Integrum sacramentum est efficax gratiae, *conc. mai.;* quaevis pars omnis sacramenti necessario est efficax gratiae, *neg. mai.* Nam hoc est sacramento paenitentiae peculiare, quod non solum dat gratiam, sed etiam remittit reatum culpae et poenae. *Trans. min.* Sunt enim theologi, qui contrarium affirmant, ut *Suarez* (De paenit. disp. 38, sect. 2, n. 3). Et *neg. conseq.,* quia satisfactio non est integrum sacramentum, sed pars sacramenti, eaque non essentialis sed integralis.

244. Obi. III. Nostra aetate in sacramento paenitentiae solent imponi satisfactiones multo leviores quam olim. Atqui si satisfatio debet respondere gravitati delicti, hic est abusus, quem ecclesia non deberet tolerare. Ergo satisfactio non videtur exigi correspondens gravitati delictorum.

Resp. Abstrahendo ab erroribus, qui fortasse in hac re committuntur, *conc. mai. Dist. min.:* Est abusus imponere leviores paenitentias sine ratione sufficienti, *conc. min.;* ex ratione sufficienti, *neg. min.* Scilicet satisfactiones imponendae sunt convenientes et salutares, quae convenientia mensuratur etiam secundum dispositionem et mores hominum diversarum aetatum. Quare quod olim potuit esse conveniens, nunc potest esse intolerabile. Ita omnes

fere homines arcerentur a sacramento paenitentiae, si iis imponerentur ea, quae olim in usu erant. Melius autem est per nimiam benignitatem mittere homines ad purgatorium quam per nimiam severitatem eos mittere ad gehennam. «Etsi erramus, modicam paenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere quam propter crudelitatem?» (Decret. Grat. Pars II, causa 26, q. 7, c. 12). Nunc fideles multo frequentius ad sacramentum paenitentiae accedunt quam olim. Dicunt autem theologi «etiam in secunda absolutione [et in sequentibus] aliquid vi clavium dimitti de poena» (*S. Thomas,* Supplem. q. 18, a. 2 ad 4). Ergo repetitis confessionibus paulatim potest tota poena tolli. Praeterea nunc paenitentes saepius lucrantur indulgentias, vel aliis remediis a poenis temporalibus liberantur quam olim. Ergo merito nunc leviores satisfactiones imponuntur. Ceterum quomodo confessarius in hac re se gerere debeat, docetur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[11], n. 458 sqq).

PARS III.
DE FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 84, a. 3; — Opusculum 18 vel 22: De forma absolutionis; *Suarez,* De paenitentia disp. 19; *De Lugo,* De paenit. disp. 13; *Palmieri,* De paenit. thes. 12; *Sasse,* De sacramentis II thes. 32 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 465 sqq.

Prop. XXVIII. **Forma sacramenti paenitentiae sunt verba: «Ego te absolvo a peccatis tuis», vel alia aequivalentia.**

245. ***Stat. quaest.*** Quicumque admittunt sacramentum paenitentiae, etiam docent formam eius esse absolutionem sacerdotalem. Ita orientales et occidentales. Sed quaeri potest, quomodo absolutio danda sit. Ad quam quaestionem omnes fere respondent dandam esse verbis, quae significent remissionem peccatorum. Sed iterum quaeri potest, utrum quod essentiam sacramenti attinet, verba sint omnino determinate praescripta, an aliae et aliae formulae eligi possint. Respondemus per se ad essentiam sacramenti solum praescribi verba, quibus significetur iudicialis sententia remissionis peccatorum. Talia verba sunt illa: «Ego te absolvo a peccatis tuis», quae in ecclesia latina praescribuntur; sed ecclesia potest etiam alia verba aequivalentia praescribere, et revera alia verba fuerunt et sunt in usu. Itaque videndum est, quid de hac re ex variis fontibus theologicis statui possit.

246. ***Arg. 1.*** Ex institutione sacramenti paenitentiae.

Christus instituit sacramentum ita, ut peccatores iudiciali sententia absolvendi sint (supra n. 203 sqq). Atqui sententia iudicialis absolutoria proferenda est verbis, quae significant absolutionem hominis rei. Ergo forma sacramenti paenitentiae est sententia iudicialis prolata verbis, quae significant remissionem peccatorum. Plus ex institutione sacramenti de hac re concludi nequit.

Ergo falsa est sententia Petri Lombardi (Sent. 4, dist. 18, n. 6), secundum quam sensus absolutionis est: «Declaro te a Deo absolutum

esse a peccatis». Verba absolutionis sic explicata nullo modo sunt sententia iudicialis. Quare haec expositio ab omnibus theologis reicitur (cf. supra n. 208).

247. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

SS. Patres non referunt formam absolutionis. Sed si consulimus libros rituales orientales et eos inter latinos, qui scripti sunt ante saeculum X, formam absolutionis exhibent *deprecativam:* «Deus te absolvat a peccatis tuis» vel similia (cf. *Morinus,* De discipl. in administr. sacram. paenit., append. p. 10 sqq; *Goar,* Euchólog. 673 sqq; *Denzinger,* Ritus orient. I 101 sqq; *M* PG 88, 1896). Initio saeculi XIII *Gulielmus Parisiensis* ait: «Neque more iudicum forensicorum pronuntiat confessor: ‚Absolvimus te, non condemnamus', sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat» (De sacram. paenit. c. 19). In opusculo «De forma absolutionis» *S. Thomas* pugnat contra adversarium, qui audacter affirmat: «Vix triginta anni sunt, quod omnes hac sola forma deprecativa utebantur.» Ad quod S. Thomas solum respondet: «Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?» Ob has igitur rationes multi et magni theologi concedunt formam deprecativam esse validam et diu fuisse in usu.

Inde autem a saeculo XIII in ecclesia latina usus *formae indicativae* magis magisque praevaluit, et formae pure deprecativae disparuerunt. Rarius forma indicativa invenitur in ecclesiis orientalibus, non tamen deest (cf. *Goar,* Euchol. 676 sqq; *Schelstrate,* Acta orient. eccl. I 329 359). In *decreto pro armenis* haec dicuntur: «Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, etc.» (*Denz.* n. 699.) *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 3: «Docet sancta synodus sacramenti paenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ‚Ego te absolvo' etc., quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae» (*Denz.* n. 896). His igitur suppositis concludendum est *et formam deprecativam et formam indicativam posse esse validam.* De forma indicativa non est specialis difficultas, quia haec omnino congruit sententiae iudiciali.

Sed *quomodo per formam deprecativam potest ferri sententia iudicialis?* Respondetur, quia minister sacramenti potest habere intentionem, eamque manifestam, his verbis ferendi sententiam iudicialem. Quia enim in hoc sacramento omnia perficiuntur actibus humanis, possunt hi actus ex usu vel ex circumstantiis habere determinatam significationem, quam ex se solis non necessario habent. Itaque quia sacerdos in administrando hoc sacramento se gerit ut iudicem, et quia ex doctrina ecclesiae constat absolutionem esse actum iudicialem, verba,

quibus enuntiatur absolutio peccatoris, habent sensum indicativum, etsi forma grammaticalis est deprecativa. Haec potest vocari *deprecatio potestativa*, qua provocatur ad potestatem absolvendi, quam dedit Christus ministris ecclesiae. In multis formulis deprecativis haec potestas explicite effertur. Deprecatio autem potestativa et forma indicativa, quae et ipsa intentione iudicialiter absolvendi proferri debet, specifice non differunt. Hoc modo communiter theologi explicant validitatem formae deprecativae (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 19, sect. 1, n. 23; *De Lugo,* De paenit. disp. 13, sect. 4, n. 166; *Palmieri,* De paenit. p. 129).

248. *Obi. I.* Si forma deprecativa per se valida est, semper valida est, quia ecclesia in substantiam sacramentorum non habet potestatem. Atqui plerique theologi docent, nunc in ecclesia latina formam deprecativam esse invalidam. Ergo haec forma etiam per se non est valida.

Resp. *Neg. mai. Conc. min. Neg. conseq.* Etsi ecclesia non habet potestatem in substantiam sacramentorum, potest tamen efficere, ut certa tantum forma absolutionis sit valida. Nam secundum eos theologos, qui docent formas sacramentales in genere tantum a Christo esse determinatas (supra n. 35*b*), ecclesia potest formam sacramenti paenitentiae ita determinare in specie, ut aliae formae non iam sint validae. Haec tamen solutio non est valde probabilis, quia forma deprecativa in Oriente adhuc est valida; neque indicari potest pontifex vel concilium, a quo effectum sit, ut forma deprecativa esset valida in Oriente, in Occidente vero esset invalida. *Concilium tridentinum* l. c. non statuit novam legem, sed doctrinam tantum et praxim iam vigentem exponit. Idem valet de Decreto pro armenis. *Clemens VIII* pro sacerdotibus graeco-italis hanc legem statuit: «In casu necessitatis presbyteri graeci catholici possint latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali concilio florentino praescripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt» (Bullarium rom., ed. Taur., X, 212). Hic utraque forma agnoscitur ut valida, sed deprecativa pro graecorum tantum confessione permittitur, pro latinis autem indicativa praescribitur.

Alii theologi sic rem explicant: Christus instituit, ut absolutio daretur verbis sententiam iudicialem significantibus. Verba autem materialiter deprecativa sensum formaliter indicativum sententiae iudicialis solum habent ex intentione et ex usu sive lege sive consuetudine firmato. Est enim in potestate cuiusvis societatis publicae, ut certis formis ad hoc aptis certam vim legalem exclusive annectat. Ergo si ecclesia lege aut usu statuit, ut verba deprecativa habeant aut non habeant vim sententiae iudicialis, haec verba sunt aut non sunt formaliter indicativa et iudicialia, sicut si in aliquo regno statueretur, ut iudices sententiam ferrent his verbis: «Absolvat te rex», vel: «Puniat te rex tali modo.» Si vero ecclesia statuit, ut verba deprecativa talem vim non habeant, haec verba non possunt esse forma valida absolutionis. Praeterea quia absolutio est actus iuridicus, ecclesia statuere potest formam unice authenticam huius actus, ut, si quis alia forma utatur, careat in hoc actu iurisdictione. Neutro agendi modo ecclesia mutaret substantiam sacramenti, sed aliquid ad usum sacramenti praerequisitum determinat. Haec

dicta sint ad explicandam possibilitatem talis determinationis. Quod factum historicum attinet, videtur in ecclesia latina forma deprecativa paulatim ex usu disparuisse et ita significationem sententiae iudicialis amisisse.

249. **Obi. II.** Minister sacramenti paenitentiae debet agere ut vicarius Dei. Atqui si solum pronuntiat: «Ego te absolvo a peccatis tuis», non agit ut vicarius Dei. Ergo ad valorem sacramenti addenda sunt alia verba, ut illa: «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.»

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Si pronuntiat illa verba intentione recta et secundum mentem ecclesiae, non agit ut minister Dei, *neg. min.;* si illa pronuntiat alia intentione, non agit ut minister Dei, *conc. min. Dist. conseq.:* Cum illis verbis coniungenda est recta intentio, *conc. conseq.;* ad valorem addenda sunt alia verba, *neg. conseq.* Praescribuntur quidem illa verba: In nomine Patris etc., sed non ad valorem, ut omnes fere theologi docent.

250. **Obi. III.** *S. Augustinus* ait: «Futuri erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo»; et tales homines dicit esse audaces haereticos (Serm. 99, c. 8). Ergo S. Augustinus reicit illam formam: Ego te absolvo.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam.* S. Augustinus ibi non loquitur de forma sacramenti paenitentiae, sed loquitur contra quosdam donatistas, qui se gerant, quasi propria potestate effectum sacramentorum producant. Facit illos obicientes: «Si non dimittunt homines peccata, falsum est ergo, quod ait Christus: Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo»; et respondet: «Nescis, quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit. Daturus erat Dominus Spiritum Sanctum, et ab ipso Spiritu Sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intellegi dimitti peccata.»

Schol. Quomodo absolutio danda sit.

251. Quidam theologi olim docebant posse absolute paenitentem litteris datis facere confessionem et a confessario per litteras accipere absolutionem. Ita e. g. *Paludanus* (In 4, dist. 17, q. 2, a. 1). De qua re *Clemens VIII* haec statuit: «Re mature ac diligenter considerata hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit et prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, contionibus et congressibus doceatur, neque umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur» (*Denz.* n. 1088).

Cum enim omnia sacramenta perficiantur verbis ut forma, non licet verba oris mutare in aliud signum, nisi specialis ratio sacramenti hanc mutationis possibilitatem postulat (ut matrimonium). Quare *Eugenius IV,* sequens doctrinam et praxim traditionis, ait: «Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo» (*Denz.* n. 699).

Nemo autem haec verba rationabiliter potest proferre in quemquam, qui praesens non est. Idque valet, etiamsi forma deprecativa est: «Absolvat te Deus», vel similia, quia haec proferri non debent per modum nudae orationis, quae etiam pro absente fieri potest, sed per modum sententiae iudicialis, quae in praesentem fertur (supra n. 247). Theologi censent hoc requiri ad valorem sacramenti.

PARS IV.
DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Cf. *S. Thomas* 3, q. 86 sqq; — Supplem. q. 18; *Suarez,* De paenit. disp. 13; — Opusculum V: De meritis mortificatis; *De Lugo,* De paenit. disp. 10; *Palmieri,* De paenit. thes. 19; *Sasse,* De sacram. II 214 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 476 sqq.

Prop. XXIX. Sacramento paenitentiae peccata ita remittuntur, ut numquam redeant, merita autem mortificata reviviscunt.

252. ***Stat. quaest.*** a) Paenitentia quia est sacramentum, confert gratiam sanctificantem. Cum gratia sanctificante coniunguntur *gratiae sacramentales,* quae possunt reduci ad sanationem vulnerum acceptorum et ad praeservationem a vulneribus futuris. Vulnera accepta praeter reatum culpae et poenae aeternae, qui directe deletur, sunt pravae consuetudines et infirmitas spiritualis, ex prioribus peccatis relicta, et poenae temporales. Vulnera futura sunt peccata, quae homo commissurus est, nisi gratia praeservatur. Datur igitur paenitentibus specialis gratia detestationis peccatorum et animus ad resistendum tentationibus et ad satisfaciendum pro peccatis commissis. Quare merito frequens usus huius sacramenti ut insigne remedium contra relapsus in peccata commendatur. *Decretum pro armenis* haec habet: «Quodsi per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per paenitentiam spiritualiter sanamur» (*Denz.* n. 695). *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 3: «Res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet» (*Denz.* n. 896). Ergo specialis effectus huius sacramenti est gratia sanans et confortans. De remissione poenae temporalis iam diximus (supra n. 237 sqq).

b) Solum restat, ut principalis effectus huius sacramenti, qui consistit in remissione peccatorum, paulo magis explicetur. Duo enim de remissione peccatorum quaeri possunt: 1. num peccata tam absolute remittantur, ut reatus peccatorum remissorum sub nulla condicione redire possit; 2. num cum remissione peccatorum restituantur merita peccatis mortalibus mortificata. Utrumque affirmandum, etsi neutrum ab ecclesia definitum est. In conceptu autem reviviscentiae meritorum explicando dissentiunt theologi.

Quaestio de perfecta remissione peccatorum pertinet quidem etiam ad baptismum; sed quia baptismus est sacramentum regenerationis, ex speciali indole huius sacramenti quaestio soluta est. Cum vero sacramento paenitentiae homo non regeneretur, quaestio illa hic proprium suum locum habet. Quaedam vero argumenta etiam valent de remissione peccatorum, quae sola contritione perfecta obtinetur.

Quod ad alteram quaestionem attinet, *merita mortificata* dicuntur bona opera antea in statu gratiae facta, quae superveniente peccato mortali non iam possunt hominem dignum reddere aeterna mercede, quamdiu status peccati manet. Itaque distinguuntur et ab *operibus mortuis,* i. e. in se quidem bonis sed factis in statu peccati mortalis, et ab *operibus mortiferis,* i. e. malis, quibus homo meretur aeternam damnationem. Opera mortua non possunt vivificari, quia de conceptu meriti est opus, quod processit ex gratia sanctificante (cf. *S. Thomas* 3, q. 89, a. 6). Opera autem mortificata, ex gratia facta, reviviscunt, quatenus reviviscit gratia, cuius fructus sunt.

253. **Prob. pars I.** *Peccata ita remittuntur, ut numquam redeant.* a) In *S. Scriptura* Deus dicitur peccatori paenitenti peccata ita remittere, ut non iam ullo modo possint nocere, sed plane deleantur, quasi non fuerint. Eo autem ipso excluditur reditus peccatorum. «Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. . . . Omnia peccata eius, quae peccavit, non imputabuntur ei» (Ez 33, 12 16). Deus «deponet iniquitates nostras et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra» (Mich 7, 19). «Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt» (Is 1, 18). Christus in se transtulit peccata hominum et pro iis perfecte satisfecit (Io 1, 29. Col 2, 14. 1 Petr 2, 24). Per paenitentiam autem satisfactiones Christi homini applicantur. Ergo peccata absolute remittuntur, quia pro iis plene satisfactum est.

Praeterea in sacramento paenitentiae peccatori nomine Dei absolute dicitur: «Ego te absolvo a peccatis tuis.» Atqui *absoluta remissio peccatorum revocari nequit,* quia «sine paenitentia sunt dona Dei» (Rom 11, 29). Ergo propter nullam subsequentem causam peccata redeunt.

Neque *ullum principium reditus peccatorum indicari potest.* Nam Deus non producit malum culpae. Actus autem peccaminosus hominis idem numero repeti non potest. Reatus remanens ex actu praeterito ablatus est remissione. Neque actus subsequens potest eum restituere. Secus e. g. peccatum furti redderet hominem reum blasphemiae, quia inter peccata remissa erat blasphemia, et homo iterum peccans deberet omnia peccata mortalia antea remissa rursum confiteri; hoc autem est manifeste absurdum. Ergo quia nullum est principium reditus peccatorum, peccata redire nequeunt.

b) Haec iam per multa saecula est *unanimis doctrina theologorum,* qui reiciunt oppositam sententiam ut indubie falsam. *S. Thomas* rem

ita exponit: Secundum abstractam notionem peccati mortalis redit prior reatus per peccatum subsequens, quia «per mortale peccatum sequens redit illud, quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, in quantum per peccatum mortale sequens homo privatur gratia et fit reus poenae aeternae, sicut et prius erat». Sed si peccatum in concreto spectatur, in diverso peccato est «alia aversio et alia macula et alius reatus, prout consurgit ex alio et alio actu peccati mortalis. Et hoc modo in quaestionem vertitur, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens. Quibusdam igitur visum est, quod simpliciter etiam hoc modo redeant. Sed hoc non potest esse, quia opus Dei per opus hominis irritari non potest. Remissio autem peccatorum priorum fuit opus divinae misericordiae; unde non potest irritari per sequens peccatum hominis.» Et ideo alii dixerunt Deum solum condicionate remittere peccata, si praevidet hominem iterum peccaturum esse. «Sed nec hoc stare potest, quia, si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute. Si igitur non absolute fieret per gratiam et gratiae sacramenta peccatorum remissio sed cum quadam condicione in futurum dependente, sequeretur, quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum, quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei. Et ideo nullo modo potest esse, quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant, secundum quod ex talibus actibus causabantur» (3, q. 88, a. 1). Similiter alii theologi docent peccata remissa non solum reapse non redire sed neque redire posse, ut *Suarez* (De paenit. disp. 13, sect. 1, n. 6) et *De Lugo* (De paenit. disp. 10, sect. 1, n. 8).

254. **Prob. pars II.** *Per paenitentiam merita mortificata reviviscunt.* Nam a) *S. Scriptura* docet hominem paenitentem ex peccatis suis damnum passurum non esse, neque Deum peccatorum eorum amplius recordaturum esse. Atqui paenitens gravissimum damnum pateretur, si Deus propter peccata remissa eum in aeternum privaret praemio caelesti, quod iam meruerat. Ergo Deus eum non privabit hoc praemio, sed merita praecedentia reviviscunt. «Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . omnium iniquitatum eius, quae operatus est, non recordabor.» «Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. . . . Omnia peccata eius, quae peccavit, non imputabuntur ei» (Ez 18, 21 sq; 33, 12 16).

b) SS. Patres in proponenda hac doctrina saepe provocant ad Gal 3, 4 et Hebr 6, 9 sq, quia supponunt ibi sermonem esse de hominibus, qui iam graviter peccaverant (quod plerique exegetae non admittunt); et facta hac suppositione dicunt illos per paenitentiam potuisse recuperare merita amissa. Ita secundum *S. Hieronymum* Gal c. 3 proponitur «illa spes, quod, quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa

dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur» (In Gal. l. 1, c. 3). *S. Epiphanius:* Vides, quomodo «neque a salute illos excluserit, quos peccati sui paeniteret . . . et Deum recte ab iis factorum esse susceptorem, qui delictorum suorum absolutam paenitentiam capesserent» (Haer. 59, n. 2). Similiter alii Patres.

Idem docent theologi, ex quorum numero *Suarez* in opusculo De meritis mortificatis circiter triginta allegat. *De Lugo* ait: «Conveniunt theologi cum S. Thoma, quod per paenitentiam reviviscunt merita praecedentia; conveniunt, inquam, in hoc quasi in dogmate» (De paenit. disp. 10, sect. 1, n. 3). *S. Thomas:* Merita «non habent vim perducendi in vitam aeternam solum, secundum quod actu exsistunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. . . . Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per paenitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat, quod opera prius mortificata per paenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est ea reviviscere. Et ita patet, quod opera mortificata per paenitentiam reviviscunt» (3, q. 89, a. 5).

c) *Concilium tridentinum* sess. 6, c. 16 et can. 32 tria postulat, ut opera nostra mereantur vitam aeternam: 1. ut sint bona opera, 2. ut fiant ab homine iusto, 3. ut homo in gratia Dei decedat (*Denz.* n. 809 842), et c. 16 docet hoc valere, «sive acceptam gratiam semper conservaverint, sive amissam recuperaverint.» Atqui merita mortificata sunt opera bona, facta ab homine iusto; ergo si homo moritur in gratia, illa merentur vitam aeternam.

255. *Obi. I.* In parabola de servo ingrato et immisericorde rex ait ad servum: «Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.» Et Christus facit hanc applicationem: «Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris» (Mt 18, 23 sqq). Atqui hic docetur reditus peccatorum remissorum. Ergo falsa est prior pars thesis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: Docetur peccatorum remissorum reditus proprie dictus, *neg. min.;* reditus aliquis improprie dictus, *conc. min.* Scilicet Christus docet eum, qui graviter laedat caritatem fraternam, iterum fieri reum aeterni carceris, sicut fuerat ante peccata remissa. Hoc quidem valet de omni peccato mortali, sed Christus hoc specialiter inculcat quoad peccatum immisericordiae, quia hoc peccatum prae ceteris meretur, ut secundum rigorem iustitiae puniatur. Voluit igitur Christus alte menti apostolorum imprimere doctrinam, quam proposuerat, nos debere semper fratri, qui iniuriam in nos commisit et postea veniam petit, ignoscere. Haec igitur est

ex mente Christi applicatio parabolae. Non vero omnia, quae ornamenti gratia de rege illo humano narrantur, ad Deum applicanda sunt. Minime omnium in illa parabola urgetur quolibet peccato mortali redire sensu proprio reatum peccatorum antea remissorum.

Videntur quidem nonnulli Patres in explicatione illius parabolae docere reditum peccatorum propter peccatum immisericordiae, ut S. Ioannes Chrysostomus, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus. Sed de mente horum Patrum disputant theologi, qui communiter explicant eorum dicta de reditu peccatorum improprio et secundum quid (cf. *De Lugo,* De paenit. disp. 10, sect. 1, n. 6; *Palmieri,* De paenit. p. 202 sqq). *S. Prosper* ait: «Qui recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit . . . qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quae ei propter illa, quae remissa sunt, debebatur» (Ad obi. 2 Gallorum). Si forte de hac re fuerunt diversae opiniones SS. Patrum, hic dissensus postea inter theologos disparuit.

256. *Obi. II.* Etiam inter theologos erat doctrina de reditu peccatorum, praecipue propter certa quaedam peccata post conversionem commissa, ut patet his versibus:

> Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
> Paenituisse piget: pristina culpa redit.

Ergo ad consensum theologorum provocari non debet.

Resp. *Dist. antec.:* Haec dicuntur de reditu peccatorum secundum quid, quatenus eo maior est ingratitudo hominis iterum peccantis, quo plura peccata ei remissa erant, *conc. antec.;* quasi propter subsequentia peccata revocetur remissio priorum peccatorum, *neg. antec.* *S. Thomas:* «Contingit, quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, in quantum scilicet aliquis homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare, quam prius peccaverat. . . . Sic igitur per peccatum sequens paenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimmissorum, non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid» (3, q. 88, a. 1). Peccata autem illis versibus enuntiata, quia directe opponuntur beneficio remissionis peccatorum, specialem ingratitudinem continent, ut ibidem exponitur a. 2.

257. *Obi. III.* Si peccata remissa non reviviscunt, ergo a pari merita mortificata non reviviscunt.

Resp. *Nego paritatem.* Nam peccata ita remittuntur, ut in acceptatione Dei omnino non iam subsistant; ergo subsequens peccatum non potest ea reducere. Contra vero bona opera prius facta semper manent Deo accepta, et peccato obex tantum ponitur, ut ad effectum praemii pervenire non possint. Hoc autem obice per subsequentem paenitentiam remoto statim priorem efficaciam recipiunt.

258. *Obi. IV.* Theologi, etsi omnes admittunt reviviscentiam meritorum, tamen saepe eam ita explicant, ut sit titulus sine ullo valore obiectivo. Ergo haec doctrina est inutilis.

Resp. *Dist. antec.:* Pauci quidam ita explicant, *conc. antec.;* generatim ita explicant *neg. antec.* Variae autem explicationes sunt hae:

a) *Bañes* (In 2, 2, q. 24, a. 6, dub. 6) et pauci alii docent peccatorem iustificatum accipere praemium, quod respondeat bonis actibus in conversione et post conversionem positis, sed eum accipere hoc praemium etiam titulo meritorum antea mortificatorum, et hoc tantum sensu merita reviviscere. Sed quia haec sententia negat reviviscentiam meritorum secundum rem et solum nudum titulum relinquit, ab omnibus fere theologis reicitur.

b) Alii thomistae docent peccatorem iustificatum accipere quidem praemium pro meritis reviviscentibus, sed solum secundum proportionem dispositionis, qua conversus sit. Si convertitur summo conatu quo potest, integra merita reviviscunt; sin minore conatu convertitur, restituitur antiqua gratia pro gradu novae dispositionis (ita *Dom. Soto,* In 4, dist. 16, q. 2, a. 2); vel si resurgit eodem conatu, quem antea habuit, recipit totum; secus recipit pro proportione, ita ut quodlibet meritum recipiat eo gradu, quo conversus est (ita *Gonet,* De paenitentia disp. 6, a. 2, § 2, n. 28); vel meritum mortificatum simul sumptum redit eo gradu, quo homo convertitur (ita *Billuart,* De paenit. dissert. 3, a. 5, § 2). Itaque secundum Sotum ille, qui habuit merita ut decem, et resurgit cum quinta parte conatus prioris, recipit merita ut duo. Secundum Gonet ille, qui habuit decem merita intensa ut octo, et resurgit cum conatu ut unum, recipit decem merita intensa ut unum. Secundum Billuart ille, qui habuit merita ut decem, et resurgit cum conatu ut unum, recipit meritum ut unum.

In hac sententia servatur quidem reviviscentia realis meritorum; sed, ubi Deus has computationes revelaverit, non apparet.

c) Multo communior sententia theologorum est merita redire secundum totam efficaciam. Ita *Suarez* (Opusc. V, disp. 2, sect. 3, n. 7), *De Lugo* (De paenit. disp. 11, sect. 2, n. 30), quidam thomistae, ut *Canus* et *Medina,* omnes scotistae. Ratio est, quia omnes aliae sententiae ad tres condiciones meriti a concilio tridentino statutas (supra n. 254) quartam adiciunt, ad quod ius non habent. Etsi concilium docet hominem in iustificatione accipere gratiam pro mensura dispositionis suae, hoc valet quoad eam gratiam, quae tunc primum propter contritionem vel sacramentum infunditur, non quoad merita, quae antea iam aderant, et ad quae paenitentia se solum habet ut removens prohibens. Nisi merita mortificata integre reviviscunt, Deus poena aeterna punit peccata remissa beatorum, quia eos privat gradu gloriae, quem haberent, nisi merita mortificata essent. Atqui talis vindicta divina exercenda in ipsos beatos admitti nequit. Secus, ut ait card. *Toletus,* homo per longam vitam serviens Deo valde ferventer, dein peccans et mox resurgens per paenitentiam non valde intensam, fortasse minus praemium caeleste haberet, quam homo per totam vitam gravissime peccans, sed in fine intensiore actu paenitentiae resurgens. «Hoc concedere durissimum est, et contra Dei misericordiam videtur; nec erat affirmandum, nisi fides aut ratio convinceret, quorum neutrum est. Manet ergo firma conclusio et tenenda» (In 3, q. 89, a. 5, concl. 2, arg. 7).

Scotus sequitur quidem communiorem sententiam, sed putat habitus infusos gratiae et virtutum proxime eo gradu restitui, quo homo se disposuit ad iustificationem, et si antea fuit gradus maior, is tum tandem restituetur, cum homo ad sufficientem dispositionem pervenerit (In 4, dist. 22, a. 2). At

haec opinio plerumque reicitur, quia propter merita homo habet ius ad correspondentem gradum gratiae. Ergo Deus hunc gradum gratiae dat, simul atque obex est remotus. Hoc igitur est firmiter tenendum paenitentiam quoad merita mortificata solummodo removere obicem, quia illa merita iam acquisita sunt, neque ullam aliam causam vel dispositionem postulant, sed solam remotionem peccati.

S. Thomae sententia non est perspicua, et oppositarum opinionum defensores ad eum provocant. In Summa 3, q. 89, a. 5 ad 3 videtur solum admittere gaudium accidentale in caelis de operibus mortificatis, antea cum maiore caritate factis. Ibidem q. 89, a. 2 videtur docere paenitentem ex prioribus meritis accipere maiorem vel minorem gratiam pro maiore vel minore intensitate contritionis. Ibidem q. 89, a. 5 in corpore videtur simpliciter docere, quod opera mortificata per paenitentiam accipiant eandem efficaciam, quam antea habuerunt. Quidquid autem est de eius sententia, standum est doctrinae de condicionibus meriti supernaturalis, quam concilium tridentinum proponit.

Schol. Quid sit in paenitentia res et sacramentum.

259. *Sacramentum* paenitentiae consistit in actibus paenitentis et absolutione sacerdotis, ut diximus. *Res sacramenti* seu effectus est remissio peccatorum et infusio gratiae. De hac quoque re nihil est addendum. Sed theologi quaerunt, quid in paenitentia sit simul *res et sacramentum*, sicut in baptismo et confirmatione est character. *S. Thomas* ait: Actus externi paenitentis et sacerdotis sunt sacramentum tantum, interior autem paenitentia peccatoris est res et sacramentum (3, q. 84, a. 1 ad 3). Scilicet dolorosa confessio significat internam paenitentiam, et absolutio elevat hanc paenitentiam, ut sit pars sacramenti. Paenitentia autem sic significata et elevata simul significat et efficit remissionem peccatorum. Alii autem theologi dicunt pacem conscientiae esse rem et sacramentum: rem quidem, quatenus sacramento producatur; sacramentum autem, quatenus significet statum gratiae. Alii tandem negant in paenitentia inveniri quidquam, quod sit res et sacramentum. Ceterum tota quaestio non est magni momenti (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 18, sect. 5).

PARS V.

DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 8; *Suarez,* De paenit. disp. 24; *De Lugo,* De paenit. disp. 18; *Sasse,* De sacramentis II 76 sqq; *Vacant* in Dictionnaire de théologie I 182 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 487 sqq.

Prop. XXX. Minister sacramenti paenitentiae est solus sacerdos habens iurisdictionem.

260. **Stat. quaest.** *Sacerdos* in ecclesia est, qui sacramento ordinis accepit potestatem consecrandi eucharistiam. Sacerdotes primi ordinis sunt episcopi, sacerdotes secundi ordinis sunt presbyteri. Praeter

potestatem ordinis in ecclesia est potestas iurisdictionis, i. e. potestas regendi et iudicandi suos subditos, sive in foro externo sive in foro interno (cf. I, n. 204 270). Hic agimus de iurisdictione fori interni sive de potestate regendi fideles in eorum interna ad Deum relatione.

Potestas ordinis traditur sacramento, potestas iurisdictionis actu voluntatis externe manifestato seu iniunctione superioris ecclesiastici. Omnis iurisdictio in ecclesia mediate vel immediate confertur a summo pontifice, qui suam iurisdictionem immediate a Christo accipit (cf. I, n. 279 c 290). Qui constituuntur pastores animarum, ut episcopi in suis dioecesibus vel parochi in suis paroeciis, dicuntur habere *iurisdictionem ordinariam* seu vi muneris. Qui autem non vi muneris habent iurisdictionem, sed ab iis, qui sunt pastores, delegantur ad iurisdictionem exercendam, habent *iurisdictionem delegatam*. Itaque ut quis possit administrare sacramentum paenitentiae, requiritur, ut receperit sacramentum ordinis presbyteralis, et ut acceperit facultatem absolvendi vel a summo pontifice vel ab episcopo vel ab alio, qui potest eam dare. Potestas ordinis et potestas iurisdictionis possunt inter se separari, quia potest aliquis esse sacerdos, qui nullam habet iurisdictionem; et potest aliquis habere iurisdictionem, qui non est sacerdos. Sed in sacramento paenitentiae altera potestas sine altera non sufficit.

Olim montanistae, waldenses, wicliffitae, husitae tribuebant potestatem absolvendi hominibus spiritualibus, negabant malis sacerdotibus (cf. *Denz.* n. 670). Protestantes plerique, cum non agnoscant neque speciale sacerdotium neque sacramentum paenitentiae, thesim negant (cf. *Denz.* n. 753). Contra quos *concilium tridentinum* sess. 14, c. 6 et can. 10 definivit doctrinam catholicam. Quia in fontibus theologicis interdum tota thesis, interdum sola alterutra pars eius enuntiatur, videndum, quid ex singulis fontibus probari possit.

261. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

Secundum S. Scripturam Christus ministros sacramenti paenitentiae apostolos et eorum successores instituit ita, ut ab iis sacramentum administrandum sit per modum iudicii (supra n. 186 204). Atqui successores apostolorum sunt summus pontifex et episcopi (I 219 sq). Ergo secundum S. Scripturam hi habent potestatem absolvendi a peccatis ut iudices. Num etiam alii in ecclesia habeant potestatem iudicialem, et quomodo hanc potestatem accipiant, in S. Scriptura non docetur.

262. *Arg. 2.* Ex traditione.

SS. Patres, quoties loquuntur de paenitentia administranda, dicunt hoc esse ministerium sacerdotum. *Tertullianus* dicit paenitentes «presbyteris advolvi». *Origenes* docet medicos animarum in sacramento paenitentiae esse successores apostolorum, i. e. sacerdotes.

S. Cyprianus: «Remissio facta per sacerdotem apud Dominum grata est.» *Didascalia apostolorum* docet episcopos loco Dei remittere peccata. *S. Ioannes Chrysostomus* praedicat magnam potestatem sacerdotum, qui possint etiam peccata post baptismum commissa condonare. *S. Augustinus* dicit antistitum esse paenitentiam administrare. *S. Leo M.* ait reatus conscientiarum sacerdotibus indicandos esse. Haec et alia dicta Patrum iam supra (n. 187 202 228) audivimus. Sic in traditione constanter sacerdotes dicuntur ministri paenitentiae.

Sed quia olim episcopi praecipue solebant vocari sacerdotes, quaeri potest, num etiam simplices presbyteri possint hoc sacramentum administrare. Primis quidem saeculis, quando multo rarior erat usus sacramenti paenitentiae, quam nunc est, episcopi fere sufficiebant ad administrandam paenitentiam. Sunt tamen quae ostendant etiam tunc presbyteros functos esse hoc munere. Ita *Origenes* monet aptum confessarium quaerendum esse (supra n. 228), quod facilius de presbyteris quam de episcopis dictum intellegitur. Saeculo III *S. Dionysius Alex.* scribit: Presbyteris «in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, et maxime si ante suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonae spei pleni ex hac vita migrarent» (*Euseb.*, H. E. 6, 44). *S. Hieronymus:* «In novo testamento alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus, qui solvendus» (In Mat. 16, 19). *Socrates:* «Postquam novatiani se ab ecclesia seiunxissent . . . ex illo tempore episcopi paenitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, ut, qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta sua confiterentur» (H. E. l. 4, c. 19; cf. supra n. 235). His igitur probatur etiam presbyteros posse esse ministros sacramenti paenitentiae. Non autem alii inferiores; nam, ut ait *S. Ambrosius:* «Ius hoc solis permissum sacerdotibus est» (De paenit. l. 1, c. 2, n. 7). *S. Leo M.* docet sic divinae bonitatis praesidia ordinata esse, «ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri» (Ep. 108; *Denz.* n. 146).

Ergo in vetere ecclesia paenitentiam non administrabant nisi ii, qui habebant iurisdictionem, ut episcopi, qui eam habebant vi muneris, et presbyteri, qui ab episcopis ad hoc delegabantur. *S. Cyprianus* vituperat presbyteros, qui inconsulto episcopo citius paenitentes absolverant, «nec evangelii memores . . . nec episcopo honorem sacerdotii sui et cathedrae reservantes» (Ep. 17, n. 2; ed. *Hartel*). Cf. I, n. 272.

Eadem est doctrina theologorum. *S. Thomas* ait: «Solus sacerdos minister est huius sacramenti.» «De necessitate huius sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem.» «Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas: potestas ordinis et potestas iurisdictionis. Prima quidem aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda»

(Supplem. q. 8, a. 1 et 4; q. 20, a. 1 ad 1; cf. 2, 2, q. 39, a. 3; Quodlib. 12, q. 19, a. 30). Multos alios theologos allegat *Suarez* (De paenit. disp. 16, sect. 3 et disp. 24, sect. 1).

263. *Arg. 3.* Ex constitutionibus ecclesiae.

Postquam paroeciae institutae sunt in ecclesia (cf. I, n. 277), iubebantur fideles «proprio sacerdoti», i. e. parocho vel episcopo, confiteri. *Concilium lateranense IV:* «Confiteatur proprio sacerdoti. . . . Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare» (*Denz.* n. 437). Dederunt tamen pontifices fratribus mendicantibus et aliis potestatem audiendi confessiones (cf. *Denz.* n. 470). *Decretum pro armenis:* «Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris» (*Denz.* n. 699).

Concilium tridentinum varia statuit de ministro sacramenti paenitentiae: 1) Sess. 16, c. 6: *Soli sacerdotes sunt ministri huius sacramenti.* «Circa ministrum huius sacramenti declarat sancta synodus falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt . . . ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam.» Can. 10: «S. q. d. non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis christifidelibus esse dictum: ‚Quaecumque ligaveritis . . .' et ‚Quorum remiseritis peccata . . .', quorum verborum virtute quivis absolvere possit peccata . . . A. S.» (*Denz.* n. 902 920).

2) Sess. 6, c. 7: *In ministro requiritur iurisdictio.* «Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem» (*Denz.* n. 903, cf. 1537). Itaque in absolutione concurrunt potestas ordinis, qua sacramentum administratur, et potestas iurisdictionis, qua in subditos sententia fertur. Potestatem ordinationis accipiunt omnes presbyteri in ordinatione sua, potestatem iurisdictionis accipiunt a summo pontifice et ab episcopis pro singulis dioecesibus. Cum vero episcopi non debeant iurisdictionem dare nisi iis, quos idoneos iudicaverint ad confessiones audiendas, requiritur, ut episcopus sibi de hac re certitudinem comparet et idoneos confessarios approbet, sive dando iis munus parochiale sive solum delegando eos ad confessiones audiendas. Quare de hac quoque re concilium decretum statuit.

3) *Requiritur approbatio confessarii.* Sess. 23, c. 15 de reform.: «Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem

accipiant, decrevit tamen sancta synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemoriabili, non obstantibus.» Approbatio non est theoreticum iudicium, sed auctoritativa declaratio publici magistratus in ecclesia, quae quoad valorem tenet, etsi id, quod testificatur, sit falsum, i. e. etsi obiective sacerdos, de quo agitur, non sit idoneus ad audiendas confessiones. Quamquam cum approbatione saepe simul datur iurisdictio, tamen haec duo sunt distincta et separari possunt. Ita ii regulares, qui a summo pontifice accipiunt iurisdictionem, tamen ab episcopis pro suis dioecesibus approbantur.

4) *Iurisdictio et approbatio limitari possunt* ratione hominum, quorum confessiones audiri possunt, ratione loci, ubi audiri possunt, ratione temporis, post quod exspirant. De hac re exstant multa decreta, de quibus agitur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[11], n. 484 sqq).

Limitatio iurisdictionis quoad certa peccata vocatur *reservatio casuum,* de qua concilium sess. 14, c. 7 docet: «Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur, unde merito pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis;* atque ideo omnes sacerdotes quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.» Can. 11: «S. q. d. episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, A. S.» (*Denz.* n. 903 921). Ceterum nostra aetate plurimi sacerdotes accipiunt potestatem absolvendi a reservatis, de qua re item agitur in theologia morali (cf. *Lehmkuhl* l. c. n. 520 sqq).

264. *Obi. I.* S. Cyprianus de paenitentibus, qui «infirmitatis periculo occupati fuerint», scribit: «Non exspectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem, vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu iis in paenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace» (Ep. 18,

n. 1; ed. *Hartel*). Atqui hic diaconis conceditur potestas absolvendi. Ergo minister sacramenti paenitentiae non est solus sacerdos.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Diaconis datur potestas absolvendi sacramentaliter, *neg. min.*, absolvendi canonice in foro externo, *conc. min.* Scilicet exomologesis vocatur paenitentia publica, et quidquid ad eam pertinet (cf. supra n. 187). Manus autem impositiones variae paenitentibus adhibebantur, imprimis illa, qua ad paenitentiam publicam admittebantur, dein altera, qua in fine cum ecclesia reconciliabantur et ad sacram communionem admittebantur. Hanc igitur reconciliatoriam manuum impositionem videtur S. Cyprianus diaconis concedere, ut illi paenitentes possent communione suscepta «ad Dominum cum pace venire». Prorsus autem improbabile est, quod vult *Morinus*, ibi diaconis datam esse facultatem sacramentaliter absolvendi (De disciplina in administr. sacram. paenit. l. 8, c. 23), cum ipse concedat Patres graecos et latinos docere hoc non posse fieri, et cum tam gravis error Cypriano tribuendus non sit, si verba eius alium sensum admittunt.

Paenitentes in periculo mortis admissos esse ad sacram communionem etiam aliis exemplis probatur, ut can. 32 *concilii eliberitani* (a. 300): «Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere paenitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterum communionem praestare debere, et diaconum, si ei iusserit sacerdos» (*Kirch*, Enchir. n. 304). Si textus Cypriani eodem sensu explicatur, cessat difficultas.

265. *Obi. II.* Etiam temporibus medii aevi diaconi interdum confessiones audiebant, et paenitentes absolvebant. Ergo saltem ea aetate potestas sacerdotalis non absolute necessaria habebatur ad administrandum sacramentum paenitentiae.

Resp. *Dist. antec.:* Medio aevo interdum diaconi confessiones audiebant, *conc. antec.;* interdum sacramentaliter absolvebant, *subdist.:* hoc interdum tentaverunt, *trans. antec.;* hoc licite et valide fecerunt, *neg. antec.*

De hac re legitur in statuto synodali *Odonis de Soliaco* († 1201) c. 56: «Item prohibetur districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones nisi in artissima necessitate; claves enim non habent nec possunt absolvere» (*M* PL 212, 68). *Synodus pictaviensis* (a. 1280) c. 5: «Abusum erroneum, qui in nostra dioecesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus, ne diaconi confessiones audiant et in ipso foro paenitentiali absolvant, cum certum et indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur» (*Mansi* XXIV 383 sq). Plura apud *Benedictum XIV* (De synodo l. 7, c. 16, n. 4 sqq).

Abusus, de quo ibi sermo est, videtur ita ortus esse: olim moribundi, quibus non aderat sacerdos, ut ostenderent spiritum paenitentiae, confitebantur peccata sua alicui alii, etiam laico; sed si aderat diaconus, huic potius quam laico confitebantur. De talibus confessionibus dicitur in opere «De vera et falsa paenitentia» (c. 10, n. 25; *M* PL 40, 1122): «Tanta vis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Saepe enim contingit, quod paenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus nec locus affert; etsi ille, cui confitebitur, potestatem non habet solvendi, fit tamen dignus venia sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio.» Haec est quaedam forma susceptionis sacramenti in voto, de qua

diversimode iudicant theologi. *S. Thomas* ait: «In necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit. . . . Quando necessitas imminet, debet facere paenitens, quod ex sua parte est, scilicet conteri et confiteri, cui potest, qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest id, quod est ex parte sacerdotis. . . . Et ideo quamvis ille laico confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum, quod concepit, confitendi secundum mandatum Dei, sicut potuit, implevit, non tamen adhuc ecclesiae reconciliatus est, ut ad sacramenta ecclesiae admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur» (Supplem. q. 8, a. 3). *Scotus* vero dicit talem confessionem non esse consulendam, cum sit inutilis diffamatio sui ipsius (In 4, dist. 14, q. 4). Tota res nunc in desuetudinem fere abiit (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 24, sect. 1, n. 12).

266. **Obi. III.** *Scotus* ait: «Possunt omnes sacerdotes a venialibus absolvere, quia ad id nulla opus habent iurisdictione» (In 4, dist. 18, q. 4, a. 2, sol. 3). Similiter alii theologi. Ergo ad absolutionem dandam non essentialiter requiritur iurisdictio.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam.* Erat enim erronea opinio; nam etsi venialia non necessario confitenda sunt, tamen sacramento paenitentiae remitti non possunt nisi iudiciali actu, quem ponere non potest qui non est iudex. Per se potuit olim ex consuetudine iurisdictio ad hoc necessaria dari omnibus sacerdotibus; sed si ita fuit, hoc iam diu abrogatum est. Nam *Innocentius XI* gravissimis verbis vetat, ne tales confessiones fiant (cf. *Denz.* n. 1150; integrum decretum apud *Lucium Ferraris,* Bibliotheca s. v. Eucharistia). In solo articulo mortis potestatem absolvendi ab omnibus peccatis omnes sacerdotes accipiunt universali lege ecclesiastica (supra n. 263, 4).

267. **Obi. IV.** In ordinatione sacerdotis dicitur: «Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remiseris . . .» Atqui his verbis traditur potestas absolvendi a peccatis. Ergo alia potestas non requiritur, quam quae in ordinatione datur.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* In ordinatione datur potestas ordinis ad remittenda peccata, *conc. min.* (num tamen illis verbis detur, postea videbimus); datur potestas iurisdictionis, *neg. min.* Nam sola ordinatione nemo constituitur iudex, neque ei assignantur subditi; neque ecclesia simul cum potestate ordinis vult dare iurisdictionem delegatam, ut patet ex ecclesiae legibus. Praeterea si vi sacramenti daretur iurisdictio, non posset ab ecclesia auferri vel limitari.

268. **Obi. V.** Quidam theologi docuerunt claves iurisdictionis dari ipsa ordinatione, sed usum earum pendere ex concessione ecclesiae. Ergo sententia teneri potest ipsa ordinatione dari iurisdictionem, etsi ligatam.

Resp. Illa quorundam theologorum doctrina duobus modis intellegi potest. Si dicitur clavis dari ordinatione, quatenus ea datur potestas ordinis ad absolvendum necessaria, vera est doctrina; si vero dicitur dari ipsa iurisdictio, vera non est. *S. Bonaventura* ait: «Iurisdictio est tamquam vis motiva

ipsius clavis sive manus; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, numquam aperiet. . . . Et ideo dico, quod, etsi clavis quantum ad esse ordinem consequatur, tamen quantum ad exsecutionem sequitur statum et iurisdictionem» (In 4, dist. 19, a. 2, q. 2). Similiter *S. Thomas* (In 4, dist. 18, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 2). Hi doctores nihil aliud docent nisi ordinatione hominem fieri aptum, ut constituatur pastor animarum, seu ut ei assignentur subditi in foro interno. *Durandus* autem (In 4, dist. 19, q. 2) et quidam alii censent ordinatione vere dari iurisdictionem. Hoc autem non est admittendum, quia ad hoc requiritur, ut assignentur subditi, quod non fit ordinatione.

Dices: Summus pontifex non potest esse cuiusquam subditus in foro ecclesiastico, et tamen potest sacramentaliter absolvi. Ergo ad absolutionem non requiritur, ut conferatur in subditum.

Resp. Summus pontifex non potest quidem esse cuiusquam subditus in foro externo, quia ibi auctoritate propria et principali (etsi a Christo collata) utitur. Sed potest ut homo privatus esse subditus alicuius in tribunali conscientiae, in quo confessarius agit ut instrumentum et nomine Christi. Sicut pontifex peccat ut homo in sua ad Deum relatione, ita de factis suis Deo per eius ministrum in confessione rationem reddit, et a Deo per ministrum sacramenti absolvitur. Summus igitur pontifex, utens iurisdictione fori externi, dat confessario iurisdictionem in foro interno, dein confessario ut ministro Dei in sacramenti administratione se subicit ut homo privatus.

Schol. De subiecto sacramenti paenitentiae.

269. De subiecto sacramenti ex iis, quae dicta sunt, haec colliguntur: Subiectum huius sacramenti est homo baptizatus, qui post baptismum peccavit et cum contritione debita peccata sua clavibus ecclesiae per confessionem subicit ad eorum remissionem accipiendam. Itaque tria requiruntur, ut quis possit suscipere hoc sacramentam: a) ut sit baptizatus, b) ut post baptismum commiserit peccatum, c) ut eliciat actus, qui constituunt materiam huius sacramenti, vel qui secundum alios ut condicio necessaria praerequiruntur. Hinc efficitur non posse hoc sacramentum valide sed infructuose recipi, quia, si debita contritio non adest, sacramentum est invalidum, si vero adest, est etiam fructuosum. Ergo neque reviviscere potest hoc sacramentum. Instituerunt quidem nonnulli theologi inquisitiones valde abstrusas ad construendam possibilitatem sacramenti paenitentiae validi et informis. Sed quia haec res vix ullius est utilitatis, eam transmittimus (cf. Praelect. dogm. VII, n. 171 sqq).

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

§ 1. Quid sit indulgentia.

270. Cum remissis peccatis saepe maneant poenae temporales a Deo statutae (supra n. 237), ecclesia docet se habere potestatem remittendi has poenas extra sacramentum paenitentiae per concessionem indul-

gentiarum. *Indulgentia est remissio poenae temporalis, post deletam culpam Deo solvendae, ab ecclesia extra sacramentum paenitentiae ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum auctoritative ex iusta causa concessa.*

Itaque *indulgentia non est remissio peccati, sed solius poenae temporalis.* Reatus culpae mortalis secundum dogma ecclesiae baptizatis remitti nequit nisi susceptione sacramenti paenitentiae aut in re aut in voto (supra n. 229). Reatus culpae venialis remittitur ob bonum actum oppositum, sed sine ulla retractatione non remittitur (supra n. 225). Quare indulgentiae ad solas poenas temporales remittendas valere possunt. Sic auctoritas ecclesiastica semper intellexit et declaravit potestatem dandi indulgentias. *Leo X* damnavit hunc articulum (19) *Lutheri:* «Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam» (*Denz.* n. 759). *Synodus pistoriensis* docuerat (art. 40) indulgentiis solas poenas canonicas deleri. Sed *Pius VI* hanc doctrinam damnavit: «Propositio asserens indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius paenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti; quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata» (*Denz.* n. 1540).

Interdum quidem dicuntur indulgentiae concedi «in remissionem peccatorum», sed tum solum, cum ad eas lucrandas postulatur confessio, ut in bulla «Inter cunctas» *Martini V:* «Utrum credat, quod papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum» (*Denz.* n. 676). Ibi enim considerantur indulgentiae, in quantum simul cum confessione unum totum morale constituunt. Potest etiam verbis «Concedimus indulgentiam in remissionem omnium peccatorum» significari facultas absolvendi a peccatis reservatis, quae facultas cum quibusdam indulgentiis dari solet. Hoc diiudicandum est ex verbis litterarum apostolicarum. Si interdum occurrit formula concedi indulgentiam «a culpa et poena», ad imprudentiam quorundam «quaestorum» reducenda videtur (cf. *Benedictus XIV,* De syn. l. 13, c. 18, n. 7). Quem loquendi modum iam *Clemens V* ut abusum omnino abolendum notavit (Clement. l. 5, tit. 9, c. 2). Per se tamen posset haec forma eodem sensu accipi, quo illa: indulgentia in remissionem peccatorum.

Poenae temporales, quae coram Deo remittuntur, praecipue sunt *poenae purgatorii.* Nam poenae huius vitae, sicut universali lege non statuuntur, ita universali lege non remittuntur. Immo ob varias causas possunt esse a Deo tam absolute decretae, ut omnino non remittantur.

Quia olim in concessione indulgentiarum non raro adhibebatur illa formula «de iniunctis paenitentiis», hoc intellegendum est de poenis

in foro ecclesiastico impositis. Quando e. g. centum dierum satisfactio imposita erat, si quis indulgentiam quadraginta dierum lucrabatur, remanebat praestanda satisfactio sexaginta dierum. Attamen non in solo foro ecclesiastico poena remittebatur, sed etiam coram Deo tantum poenae, quantum paenitens luisset quadraginta dierum satisfactione. Nostra autem aetate, qua determinatae illae poenae canonicae cessarunt, indulgentia quadraginta dierum de paenitentiis iniunctis habet hunc sensum: Conceditur remissio illius poenae, pro cuius remissione olim per canones quadraginta dierum paenitentia iniungebatur. Nihilominus non omnes indulgentiae habent hunc sensum, quia conceduntur indulgentiae non postulata confessione, sed supposito statu gratiae tantum. In his igitur nihil de iniunctis paenitentiis remittitur, quia paenitentiae iniunctae non sunt. Si indulgentia plenaria sine addito conceditur, intellegitur indulgentia omnium poenarum purgatorii. Similiter concedi potest indulgentia quadraginta vel centum dierum de poenis purgatorii.

271. *Indulgentiae conceduntur pro vivis atque pro defunctis.* Damnata est propositio (6) *Petri de Osma:* «Papa non potest indulgere alicui vivo (*al.:* viro) poenam purgatorii» (*Denz.* n. 729). Item propositio (22) *Lutheri:* «Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his, qui meliora operantur» (*Denz.* n. 762). Item propositio (42) *synodi pistoriensis:* «luctuosius adhuc esse, quod chimaerea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos: falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices et in praxim et sensum universalis ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri» (*Denz.* n. 1542).

Quia *fideles vivi* sunt sub iurisdictione ecclesiae, possunt iis indulgentiae concedi *per modum absolutionis.* Ita *Leo X* in decretali «Per praesentes», ad card. Caietanum data, declarat posse romanum pontificem «per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre». Similiter *Martinus V* in fine concilii constantiensis concedens indulgentiam plenariam, dicit se concedere «absolutionem plenariam». Ergo vivis indulgentiae conceduntur, quatenus potestate iurisdictionis iis satisfactiones Christi et sanctorum applicantur. Simul tamen haec absolutio eo ipso adiunctam habet solutionem, quia Deo offeruntur satisfactiones a Christo et sanctis iam praestitae pro iis, quibus indulgentia conceditur.

Defuncti autem non iam sunt sub iurisdictione ecclesiae; ergo *animabus purgatorii indulgentiae applicari non possunt nisi per modum solutionis et «per modum suffragii»,* ut *Leo X* in decretali citata et alii summi pontifices loquuntur. «Suffragium» hic intellegitur quodvis auxilium, quo fideles iuvant animas purgatorii apud Deum, sive per

meritum bonorum operum sive per impetrationem sive per satisfactionem. Multi theologi censent ecclesiam posse non quidem absolvere defunctos a poenis purgatorii, sed auctoritative iis applicare solutiones ex thesauro ecclesiae, quas applicationes Deus infallibiliter ratas habeat, nisi forte iusto Dei iudicio sit specialis quaedam causa, cur quibusdam animabus purgatorii indulgentiae applicari nequeant (cf. *Suarez,* De paenit. disp. 53, sect. 3). Attamen de modo, quo indulgentiae valeant pro defunctis, sunt variae opiniones inter theologos.

272. Ad quaestionem, *quis possit concedere indulgentias,* respondendum est certe posse summum pontificem. Immo secundum hodiernam praxim ei tota potestas concedendi indulgentias reservata est exceptis certis quibusdam indulgentiis, quas episcopi, cardinales, magnus paenitentiarius romanus concedere possunt.

Sed quia pontifex romanus est administrator tantum vicarius thesauri ecclesiae, de eo non potest pro simplici arbitrio suo disponere. Ideo *ad indulgentiam concedendam requiritur iusta causa.* Hoc ipsi summi pontifices efferunt. Ita *Leo X* in decretali «Per praesentes» docet romanum pontificem «posse pro rationabilibus causis concedere christifidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint sive in purgatorio, indulgentias». *Martinus V:* «Utrum credat, quod papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias» (*Denz.* n. 676). Quae sit iusta causa, summi pontificis est diiudicare. Ceterum causa non illa tantum pia opera sunt, quae praescribuntur, sed praecipue etiam finis, qui his operibus obtinetur. Ita interdum pro paucis precibus (e. g. pro via crucis) magnae indulgentiae conceduntur, quia tales preces utilissimae censentur. Etiam pro meritis praeteritis dari potest indulgentia, ut alii excitentur ad similiter bene merendum de republica christiana.

Ut quis lucretur indulgentias, requiritur, ut sit in statu gratiae, ut velit lucrari indulgentias, ut opera praescripta impleat. Requiri statum gratiae, saltem quando ultimum opus perficitur et indulgentia actu conferenda est, patet, quia, non remisso reatu culpae, non remittitur reatus poenae. Ut igitur quis plenariam indulgentiam lucretur, etiam abesse debet omnis culpa venialis. Solum si agitur de lucranda indulgentia pro defunctis, censent quidam theologi non requiri statum gratiae in eo, qui opera praescripta facit, nisi inter condiciones sit contritio et confessio. Ita *Suarez* (De paenit. disp. 53, sect. 4, n. 6). Alii, ut *De Lugo* (De paenit. disp. 27, sect. 5, n. 75), hoc negant.

Et haec quidem sufficiant de conceptu indulgentiae.

§ 2. Ex quo thesauro hauriantur indulgentiae.

273. Summi pontifices docent se concedere indulgentias *ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum.* Exsistere satisfactiones Christi infiniti valoris alibi probatum est (III, n. 134 sqq). Similiter virtute

meritorum Christi multi sancti opera poenalia praestiterunt, quorum vis satisfactoria ipsis non erat necessaria, ut beata virgo Maria, S. Ioannes Baptista, martyres. Haec igitur omnia opera simul sumpta in cognitione et acceptatione Dei constituunt inexhaustum thesaurum satisfactionum in ecclesia, quem Deus sine dubio non vult manere inutilem, sed transire ad illa membra corporis Christi mystici, quae his satisfactionibus iuvari possunt. Has autem satisfactiones membris ecclesiae applicare est eorum, quos Deus dispensatores mysteriorum suorum constituit, i. e. auctoritatis ecclesiasticae. Possunt quidem singuli fideles bonis operibus et orationibus impetrare, ut Deus sibi applicet merita et satisfactiones Christi et sanctorum; sed hoc non impedit, quominus alio modo magistratus ecclesiastici habeant administrationem huius thesauri, in quantum hoc pertinet ad bonum publicum. Quod singuli suppliciter et in privato negotio suo a Deo impetrant, hoc ecclesia publice et auctoritative efficit.

Talem thesaurum, ab ecclesia administrandum, exsistere docet *Clemens VI* in bulla iubilaei a. 1343: Christus «in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. . . . Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum ... per beatum Petrum, caeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere paenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum beatae Dei genetricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut praedictum est) merita, quam pro eo, quod, quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum» (*Denz.* n. 550 sqq).

Haec est doctrina catholica de thesauro ecclesiae per indulgentias distribuendo. Quam doctrinam posteriores pontifices confirmarunt, oppositum errorem damnantes, ut *Leo X* (*Denz.* n. 757) et *Pius VI* (*Denz.* n. 1541). Cum omnia membra ecclesiae sub Christo capite constituant communionem sanctorum (cf. 1 Cor 12, 13 sq), non potest fieri, quin bona opera singulorum ad omnia membra huius organismi socialis et supernaturalis aliquo modo pertineant. «Et sic praedicta merita sunt communia totius ecclesiae. Ea autem, quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum

arbitrium eius, qui multitudini praeest» (*S. Thomas,* Supplem. q. 25, a. 1; cf. q. 71, a. 1). Id iam SS. Patres docuerunt, ut e. g. *S. Ambrosius:* «Donavit Christus ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret . . . sive quod tota ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione et dolore est, et quasi fermento eius se totam conspergat, ut per universos ea, quae superflua sunt in aliquo paenitentiam agente, virilis misericordiae aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur» (De paenit. l. 1, c. 15, n. 80).

§ 3. De potestate concedendi indulgentias.

274. *Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias,* sicut patet ex iis, quae iam dicta sunt, ita definitum est a *concilio tridentino* sess. 25: «Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles eas asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant» (*Denz.* n. 989).

Fundatur haec doctrina promissione Christi, Petro facta: «Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis» (Mt 16, 19). Quibus verbis ea omnis potestas solvendi promissa est, quae fini ecclesiae congruit neque aliunde excepta probari potest. Atqui fini ecclesiae congruit, ut possit fideles solvere a poenis temporalibus, quibus eorum ingressus in caelum impeditur; neque quidquam proferri potest a Christo institutum, quo haec potestas excipiatur. Ergo ecclesia solvere potest fideles a poenis temporalibus, coram Deo debitis, per concessionem indulgentiarum.

S. Paulus dicit se in persona Christi velle condonare corinthio partem poenae, ob gravia delicta impositae (2 Cor 2, 10). Atqui S. Paulus censendus non est ita partem poenae remisisse, ut ille peccator subiectus manserit poenis gravioribus a Deo infligendis; neque hoc significant apostoli verba. Ergo agitur de solutione etiam coram Deo valida seu de vera indulgentia.

275. *Forma concessionis indulgentiarum variis saeculis erat valde diversa* in ecclesia. Primis saeculis non concedebantur indulgentiae statuto universali, quod pro omnibus valebat, sed singulis paenitentiam agentibus concedebatur sub quibusdam condicionibus *mitigatio seu remissio partis poenae canonicae.* Hoc fiebat maxime *propter intercessionem martyrum,* ut *Tertullianus* testatur (Ad martyr. c. 1). *S. Cyprianus* ait: «Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt...» (Ep. 18, n. 1; ed. *Hartel*). Attamen non ipsi martyres passiones suas paenitentibus applicabant, sed episcopus intuitu passionum

et intercessionum martyrum poenas minuebat, ut ibidem Cyprianus testatur: ista remissio est «a Dei sacerdote facienda» (cf. Ep. 33, n. 2; ep. 36, n. 3). Potestatem minuendi poenas *concilium ancyranum* (a. 314) can. 2 tribuit episcopis: Si paenitentibus «voluerint aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos ergo erit haec potestas» (*Hardouin,* Collect. conc. I 271). Similiter alia concilia. Non potest autem sensus esse solas poenas canonicas minui et paenitentes remitti ad poenas purgatorii. Ergo agitur de vera indulgentia.

276. Inde a saeculo VII concedebantur *indulgentiae sub forma «redemptionis» seu commutationis paenitentiae canonicae in alia opera. S. Thomas* ait: Interdum «papa dat indulgentiam, quod, qui vadit ad unam ecclesiam, habeat septem annos de indulgentia; cuiusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt» (In 4, dist. 20, q. 1, a. 3, sol. 2). Idem narrat *Guilelmus Altissiodorensis* (Sum. l. 2, tract. 6, c. 9). *Bonifacius VIII* in bulla iubilaei a. 1300 loquitur de «magnis indulgentiis», olim concessis visitantibus basilicam principis apostolorum (Extravag. com. l. 5, tit. 9, c. 1; cf. *Palmieri,* De paenit. 445).

Item de sacris expeditionibus in terram sanctam statutum est, ut talis expeditio, recto animo suscepta, esset loco omnis alius paenitentiae. Ita statuit *Urbanus II* a. 1095 in concilio claromontano can. 2.

Anno 1300 *Bonifacius VIII* decrevit, ut tunc et dein singulis centesimis annis celebraretur *iubilaeum.* Est autem iubilaeum indulgentia plenaria, cui alii favores et gratiae generales, maxime circa absolutionem a censuris et reservatis, annectuntur. Paulatim tempus iubilaei ita restrictum est, ut nunc singulis quibusvis annis vigesimis quintis celebrari soleat. Praeterea saepe extraordinaria iubilaea conceduntur. De posterioribus temporibus necessarium non est quidquam addere.

Historia indulgentiarum adhuc multis obscuritatibus involuta est, quae, ut sperare licet, inquisitionibus historicis paulatim removebuntur. Interim conferri possunt *I. H. Schoofs,* Die Lehre vom kirchlichen Ablasse, Muenster 1857; *A. Kurz,* Die kath. Lehre vom Ablaß, Paderborn 1900; *F. Beringer,* Die Ablaesse, ihr Wesen und Gebrauch[13], Paderborn 1906; etiam gallice editum ab *E. Abt* et *E. Feyerstein,* Les Indulgences, Paris 1890; *E. Goeller,* Die paepstliche Poenitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V., Rom 1907, 213 sqq; *P. Galtier,* Indulgences: Dictionnaire apologétique de la Foi catholique II[4], Paris 1913, 718 sqq.

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 29 sqq; *Suarez,* De extrema unctione disp. 39 sqq; *Bellarminus,* De sacramento extremae unctionis; *Sainte-Beuve,* De sacramento unctionis infirmorum extremae, apud *Migne,* Curs. theol. XXIV; *I. Schmitz,* De effectibus sacramenti extremae unctionis, Friburgi 1893; *I. Kern,* De sacramento extremae unctionis, Ratisbonae 1907; *Sasse,* De sacramentis II 254 sqq; *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique VIII 49 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 573 sqq.

PARS I.

DE EXSISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXI. Extrema unctio est sacramentum, consistens in unctione aegroti facta oleo et in oratione, qua effectus sacramenti exprimitur.

277. **Stat. quaest.** *Extrema unctio est sacramentum, quod aegrotis tantum in periculo mortis versantibus datur.* Quare etiam vocatur sacramentum exeuntium, oleum infirmorum, similia; apud graecos plerumque *εὐχέλαιον* vel *ἅγιον ἔλαιον*. *Definiri* potest: Sacramentum confortationis graviter aegrotantium, constans ex unctione olei et oratione sacerdotis praescripta.

Lutherus in libro De captivitate babylonica, et *Calvinus* (Inst. l. 4, c. 19, n. 18) irrident hoc sacramentum, quod a protestantibus quoque nostrae aetatis reicitur. *F. W. Puller,* anglicanus, scripsit librum (The Anointing of the sick in Scripture and Tradition, London 1904) ad ostendendum extremam unctionem non esse sacramentum, etsi ut sacramentale quoddam admitti possit.

Ceteri christiani omnes tam orientales quam occidentales hoc sacramentum agnoscunt. Cum in fontibus plerumque etiam de essentia huius sacramenti sermo sit, quaestiones de veritate et de essentia huius sacramenti commode una thesi comprehendi possunt. Doctrina de extrema unctione definita est a *concilio tridentino*.

278. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

S. Iacobus scribit: «Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini;

et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei» (Iac 5, 14 sq). Atqui his verbis docetur sacramentum unctionis infirmorum. Ergo extrema unctio est sacramentum, ut in thesi describitur.

Prob. min. Sacramentum est signum sensibile efficax gratiae. Atqui talis est ritus a S. Iacobo descriptus. De ritu sensibili nihil est dicendum nisi indicari unctionem olei et orationem presbyterorum. Praeterea haec unctio et oratio valet ad salvandum et alleviandum infirmum et ad remittenda peccata eius, si quae habeat. Atqui his verbis significatur collatio gratiae.

Non agitur de curatione efficienda charismate, quia non dicit apostolus vocandos esse homines charismaticos, sed vocandos esse presbyteros, qui nequaquam omnes donum curationis habebant (1 Cor 12, 30); neque charismata usui signi visibilis alligabantur. Sanitas corporalis non absolute promittitur iis, qui cum oratione unguntur; alioquin christiani habuissent infallibile remedium mortis. Non quidem excluditur sanatio corporis, sed a Deo non concedetur, nisi saluti spirituali aegrotantis sit profutura.

«Oratio fidei salvabit *(σώσει)* infirmum.» In epistula Iacobi verbum *σώζειν* ubique significat salvationem spiritualem (1, 21; 2, 14; 4, 12; 5, 20). Generatim in libris Novi Testamenti, quoties sermo est de perenni ordine salvationis, sensus verbi *σώζειν* semper est spiritualis (Mt 10, 22; 19, 25; 24, 13; Mc 16, 16; Lc 9, 24; Io 10, 9 et ita saepissime, maxime in Actibus et in epistulis S. Pauli). Solum interdum, quando aegrotus miraculo sanatur, dicitur *σώζεσθαι* (Mt 8, 25; 9, 21 sqq etc.). Cum apud Iacobum non sit sermo de miraculo patrando, sensus illorum verborum est: Oratio fidei proderit saluti spirituali infirmi, corporali autem saluti, in quantum hoc utile est animae. Verba autem «Et alleviabit *(ἐγερεῖ)* eum Dominus» sunt parallelismus hebraicus cum praecedentibus. Utrumque igitur verbum significat proxime spiritualem confortationem, dein etiam corporalem alleviationem, quia in graviter aegrotante corporales infirmitates non minima ratio sunt spiritualis infirmitatis.

Non omnes quidem exegetae plane consentiunt in explicando textu; sed explicatio modo proposita eo commendatur, quod non solum est multorum theologorum, sed etiam *concilii tridentini,* quod sess. 14, c. 2 verba Iacobi ita explicat: «Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: ‚Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei' [Iac 5, 15]. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur» (*Denz.* n. 909).

Patet a concilio non sola verba: «Et, si in peccatis sit, remittentur ei» sed totum textum proxime et principaliter referri ad confortationem spiritualem. Remissio peccatorum utique indubitanter est effectus spiritualis. Illi igitur, qui nolunt ibi sermonem esse de sacramento, dicunt haec verba iungenda esse non cum praecedentibus sed cum sequentibus: «Confitemini igitur alterutrum peccata vestra.» Sed quam arbitrarie hoc fiat, legenti contextum statim patebit, cum omnia incisa iungantur particula *καί*: Et oratio salvabit, et Dominus alleviabit, et, si peccata fecerit, remittentur ei. Propterea in editionibus criticis signum maioris interstitii ponitur post *αὐτῷ*, non ante *κἄν*.

Institutio sacramenti ad Christum referenda est, quia Iacobus dicit ritum illum faciendum esse «in nomine Domini», i. e. iussu et auctoritate Christi. *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 1 (*Denz.* n. 908) dicit hoc sacramentum insinuari eo, quod discipuli, a Christo missi, aegrotos ungebant oleo et sanabant (Mc 6, 13). Nam Christus tempore publicae vitae suae mittebat discipulos suos ad proludendum quodammodo vitae apostolicae post diem Pentecostes futurae et ad facienda similia iis, quae tunc facturi erant.

Itaque ex S. Scriptura colligimus extremam unctionem esse sacramentum graviter aegrotantium, quod consistit in unctione oleo facta et in oratione presbyterorum.

Patet etiam, cur damnata sit propositio (48) *modernistarum:* «Iacobus in sua epistula non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem; et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt» (*Denz.* n. 2048).

279. *Arg. 2.* Ex traditione.

SS. Patres commemorant unctionem, quando loquuntur de variis modis, quibus in ecclesia peccata remittantur. Ita *Origenes,* postquam dixit peccatori paenitenti remitti peccata, addit: «In quo impletur et illud, quod apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini...» (In Lev. hom. 2, n. 4). Similiter *S. Ioannes Chrysost.* commemorans potestatem remittendi peccata, quam sacerdotes habeant, provocat ad Iacobum: «Nam, infirmatur quis, inquit, in vobis...» (De sacerd. l. 3, n. 5). Idem loquens de lampade, in qua apud orientales oleum infirmorum asservatur (cf. *Kern,* De extr. unct. 30 sq), dicit eam honorabiliorem esse quam ullam lucernam in domo privata. «Id sciunt, quotquot cum fide tempestive oleo uncti, a morbis liberati sunt» (In Matth. hom. 32, n. 6).

In *Sacramentario Serapionis* (saec. III) legitur haec «oratio in oleum aegrotorum»: «Invocamus te, qui habes omnem potestatem et virtutem . . . ut emittas vim sanationis e caelis Unigeniti super hoc

oleum, ut iis, qui his tuis creaturis unguntur vel eas percipiunt, fiat in depulsionem omnis languoris et omnis infirmitatis, in remedium adversus omne daemonium, in expulsionem omnis spiritus immundi, in segregationem omnis spiritus nequam, in exstirpationem omnis febris et frigoris et omnis imbecillitatis, in gratiam bonam et remissionem peccatorum, in remedium vitae et salutis, in sanitatem et integritatem animae et corporis et spiritus, in valetudinem perfectam» (*Funk,* Didascalia apost. II 192 sq). Etiam *Isaac Antiochenus* (saec. IV) loquitur de unctione infirmorum, quae a solis sacerdotibus fieri debeat (Isaaci Antioch. opera, ed. *Bickell* I 187 sq). Item in *Testamento Domini* (l. 1, c. 24) sermo est de oleo aegrotorum a sacerdote consecrando. In *Sacramentario Gregorii M.* et aliis libris liturgicis inde a saeculo VII describitur, quomodo oleum infirmorum benedicendum et quomodo hoc sacramentum administrandum sit (cf. *Warren,* Celtic Liturgy 168 sqq). In Sacramentario Gregorii de administrando sacramento haec dicuntur: «Sacerdos sic perungat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo et gutture et inter scapulas et in pectore seu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur.» Dein sequuntur orationes, et in fine additur nota, qua refertur multos sacerdotes etiam ungere quinque sensus corporis (*M* PL 78, 235 sq).

Iam multo ante *Innocentius I* citatis verbis S. Iacobi ait: «Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intellegi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus sed et omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum. Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum [in epistula Decentii, cui haec scribit], ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi, occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine dubitatione potest, cuius est chrisma conficere. Nam paenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?» (*Denz.* n. 99.) Etsi in his verbis quaedam sunt obscura, tamen clare docetur sacramentum aliquod aegrotis ab episcopo vel presbytero impertiendum unctione olei ab episcopo benedicti.

Ut alia omittamus, hoc solum observandum est non in solis libris liturgicis ecclesiae latinae sed etiam in liturgiis orientalium inveniri ritum huius sacramenti (cf. *Goar,* Euchol. graec. 408 sqq 431 sqq; *Denzinger,* Ritus orient. II 483 sqq). Graeci schismatici contra protestantes saeculo XVI veritatem huius sacramenti defenderunt (*Schelstrate,* Acta orient. eccl. I 202).

Ex libris liturgicis patet *materiam huius sacramenti esse oleum ab episcopo benedictum;* sed apud graecos hanc benedictionem fieri

posse etiam a presbyteris, quod *Clemens VIII* et *Benedictus XIV* expresse confirmarunt (cf. *Benedict. XIV,* De synodo dioec. l. 8, c. 1, n. 4). Ergo summus pontifex hanc potestatem potest dare etiam presbyteris. Quoad modum unctionis ex libris ritualibus, si inter se comparantur, vix aliud colligi potest nisi corpus esse ungendum. *Albertus M.* ait: «Diversarum ecclesiarum et ordinum diversus est usus, quia in quibusdam ecclesiis unguntur loca plura, et in quibusdam pauciora» (In 4, dist. 23, a. 16).

Similiter *formae* valde inter se differunt, et in hoc tantum omnes fere conveniunt, quod exprimitur actio unctionis et effectus sacramenti, sive modo deprecativo sive modo indicativo: Per istam unctionem concedat tibi Deus sanctificationem mentis et sanitatem corporis. Vel: Ungo te, ut accipias sanctificationem mentis et sanitatem corporis. Vel etiam magis generaliter: Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti.

280. *Arg. 3.* Ex constitutionibus ecclesiae.

Concilium cabillonense (a. 813) can. 48: «Secundum beati apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. . . . Non est itaque parvi pendenda huiuscemodi medicina, quae animae corporisque medetur languoribus.»

Concilium ticinense (a. 850) c. 8: «Illud etiam salutare sacramentum, quod commendat Iacobus apostolus [5, 14 sq] . . . sollerti praedicatione populis innotescendum est; magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et peccata remittuntur, et consequenter corporalis salus restituitur. . . . Hoc tamen sciendum, quia, si is, qui infirmatur, publicae paenitentiae mancipatus est, non potest huius mysterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta communionem corporis et sanguinis Christi meruerit» (*Denz.* n. 315). Similiter alia concilia provincialia, ut *moguntinum* (a. 847) c. 26 et *wormatiense* (a. 868) c. 72. Alia apud *Denz.* n. 424 et 465.

Decretum pro armenis: «Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius *materia* est oleum olivae per episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi *infirmo,* de cuius morte timetur, dari non debet, qui *in his* [septem] *locis ungendus est:* in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. *Forma* huius sacramenti est haec: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc. Et similiter in aliis membris» (*Denz.* n. 700).

Concilium tridentinum sess. 14 de extr. unct.: Sacramentum unctionis «non modo paenitentiae sed et totius christianae vitae, quae perpetua paenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.

Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita *extremae unctionis sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit.* Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.»

C. 1: «*Instituta est autem sacra haec unctio, infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum novi testamenti a Christo Domino nostro,* apud Marcum quidem [6, 13] insinuatum, per Iacobum autem apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur quis. . . . [Iac 5, 14 sq.] Quibus verbis, ut ex apostolica traditione, per manus accepta, ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim ecclesia *materiam* esse oleum ab episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; *formam* deinde esse illa verba: Per istam unctionem etc.»

C. 3: «Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam apostoli Iacobi sententiam docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei nec promissionem gratiae habentem; et qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva ecclesia referenda esset; et qui dicunt ritum et usum, quem sancta romana ecclesia in huius sacramenti administratione observat, Iacobi apostoli sententiae repugnare atque ideo in alium commutandum esse; et denique qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.»

Contrarios vero errores concilium sub anathemate condemnat (*Denz.* n. 907 sqq 926 sqq). Est igitur definitum extremam unctionem in primitiva ecclesia non fuisse gratiam curationum tantum, sed esse verum sacramentum a Christo Domino institutum, cuius ritus quoad substantiam integer servatur in ecclesia romana.

Sanctum Officium quoad *materiam* sacramenti haec declaravit: Propositionem, «quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit», esse temerariam et errori proximam. Similiter ad dubium: an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto, respondit negative. Quoad *formam* vero declaravit: In casu verae necessitatis sufficere formam: «Per istam

sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen» (*Denz.* n. 1628 sq 1996). Ista decisione etiam quaestio, quid in forma latina sit essentiale, eatenus soluta est, quatenus nihil dicendum est essentiale, quod in ista forma non continetur. Ceterum extra casum necessitatis servandus est ritus in Rituali rom. praescriptus.

281. *Obi. I.* In vitis SS. Patrum numquam narratur eos ante mortem suscepisse extremam unctionem. Ergo illa aetate sacramentum extremae unctionis in usu non fuit.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam.* Nam ex silentio tum solum aliquid probatur, cum res, si exsisteret, necessario dicenda esset. Etiam saepe non commemoratur SS. Patres suscepisse confirmationem vel viaticum; et ita in vitis illis, generatim brevibus, varia omittuntur, quae nihilominus exstiterunt. Multi utique SS. Patres extremam unctionem non susceperunt, quia tribus primis saeculis plurimi eorum martyres facti sunt, alii autem aliis causis impediebantur. Fortasse quia extrema unctio non est necessaria ad salutem, olim eius usus non tam communis erat, quam nunc est. De qua re vix possumus certum iudicium facere propter paucitatem testimoniorum. Ex verbis Innocentii I patet sacramentum extremae unctionis tunc fuisse in usu; neque tamen quidquam de hac re dixisset, nisi a Decentio interrogatus esset. Quo exemplo ostenditur, quam debile sit argumentum ex silentio.

282. *Obi. II.* In «Historia Lausiaca» (c. a. 420) multa narrantur de curationibus miraculosis ope unctionis factis (c. 13 19 sq 43 etc.; *M* PL 34, 1032 1062 1111 etc.). Ergo etiam dicta priorum Patrum de unctione infirmorum simili modo intellegi possunt.

Resp. *Conc. antec. Neg. conseq. et paritatem.* Disparitas in eo est, quod in Historia Lausiaca illae unctiones non narrantur ad praedicandam efficaciam alicuius ritus sacri sed ad praedicandos illos monachos, quorum sanctitas miraculis commendetur. SS. Patres autem loquuntur de potestate, quam sacerdotes habeant, unctione sacra remittendi aegrotis peccata. *S. Petrus Damiani,* postquam descripsit excellentiam huius sacramenti, concludit: «Unde et sancti Patres hanc unctionem sacramentum esse sanxerunt» (Sermo 1 de dedic. ecclesiae; *M* PL 144, 899).

283. *Obi. III.* Christus non instituit inutilia. Atqui sacramentum extremae unctionis est inutile, quia nulli necessitati servit, cui non est provisum per alia sacramenta. Ergo extrema unctio non est a Christo instituta.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Nam in aegrotis periculose decumbentibus adest specialis infirmitas, cui medendae convenienter institutum est speciale sacramentum. Est autem duplex infirmitas ex peccato orta: infirmitas spiritualis, quae consistit in conscientia peccatorum commissorum, in trepidatione iudicii divini, in metu tentationum daemonis; et infirmitas corporis, quae ex sua parte auget infirmitatem spiritualem. Contra hanc autem infirmitatem nullum aliud sacramentum specialiter institutum est. Potest quidem Deus gratias ad sanandam hanc infirmitatem propter alia sacramenta vel etiam sine sacramento dare. At diversa sacramenta instituta non sunt, quia Deus diversis signis indiget, sed propter homines, ut diversa signa

externa iis diversas res et rationes spirituales repraesentent. Ergo omnino convenienter contra infirmitatem morbi periculosi a Deo parata est specialis medicina sacramentalis. Ita iam *S. Cyrillus Alex.* explicans Mc 6, 13 et Iac 5, 14 sq ait: «Significat unctio olei et misericordiam et curationem morbi et illuminationem cordis. Quod enim oratio totum hoc efficit, omnino manifestum est; oleum autem, censeo, horum symbolum est» (Catena graec. Patrum, ed. *I. A. Cramer*, Oxonii 1854, I, 324, ubi dictum adscribitur Victori Antiocheno, est autem Cyrilli. Cf. ib. XXVI sqq).

PARS II.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXII. Effectus absolutus extremae unctionis est deletio reliquiarum peccati et confortatio animi, effectus vero condicionatus est restitutio sanitatis corporalis.

284. ***Stat. quaest.*** Cum sola sacramenta baptismi et paenitentiae instituta sint ad conferendam primam gratiam, *extrema unctio, ut cetera sacramenta vivorum, supponit gratiam sanctificantem eamque auget.* Quare qui sibi conscius est peccati mortalis, debet ante susceptionem extremae unctionis saltem elicere actum perfectae contritionis; immo si potest, ex usu ecclesiastico debet praemittere confessionem.

Si quis conscientiam peccati mortalis non habet, quod revera commisit necdum delevit, vel si habuit conscientiam peccati mortalis, sed nunc sensibus destitutus est, extrema unctione confertur gratia prima, dummodo aegrotus antea attritionem elicuerit et obicem gratiae removerit. Neque per accidens tantum extrema unctio hunc effectum producit, sed per se, quia instituta est ad hoc, ut tollat omne id, quo homo ab assecutione beatitudinis impeditur. Nam et apostolus Iacobus ait: «Si in peccatis sit, remittentur ei», et in forma sacramenti dicitur: «Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti», et *concilium tridentinum* sess. 14, c. 2 de extr. unct. docet: Effectus huius sacramenti «gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit» (*Denz.* n. 909; cf. n. 927). Consentiunt de hac re theologi, ut *S. Thomas* (Supplem. q. 30, a. 1) et *Suarez* (De extr. unct. disp. 41, sect. 1, n. 15 sqq). Est autem omnino reiciendum, quod *Schell* (Dogmatik III 632 sqq) docuit, etiam hominem non attritum iustificari hoc sacramento. Hoc enim est contra *concilium tridentinum,* quod sess. 14, c. 4 de paenit. docet contritionis motum omni peccatori ad impetrandam veniam esse necessarium (*Denz.* n. 897).

Itaque supposito, quod extrema unctio aut gratiam primam aut secundam confert, quaeritur, quae sit specialis gratia hoc sacramento conferenda. Ad hoc respondemus distinguentes alterum effectum absolutum, i. e. qui dignam susceptionem sacramenti semper sequitur; alterum condicionatum, qui non semper sequitur. Absolutus effectus

respicit salutem animae, condicionatus effectus salutem corporis. In hac thesi non tam agitur de probanda doctrina quam de explicatione doctrinae definitae.

285. ***Prob. pars I.*** *Effectus absolutus sacramenti extremae unctionis est deletio reliquiarum peccati et confortatio animi.* Ita docet *concilium tridentinum* sess. 14, c. 2: Effectus est «gratia Spiritus Sancti, cuius unctio . . . peccati reliquias abstergit et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit» (*Denz.* n. 909; cf. n. 927). Gratia igitur sacramentalis huius sacramenti est gratia sanctificans, quatenus dat ius ad auxilia actualia, quibus animus confortatur. Gratia sanctificans statim datur, auxilia autem actualia successive, quando requiruntur.

Haec doctrina de deletione «reliquiarum peccati» semper a theologis tradebatur. Ita *S. Thomas* ait: «Principalis effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati» (Supplem. q. 30, a. 1). Sed *quid sunt reliquiae peccati?* Multi dixerunt esse peccata venialia, ita ut extrema unctio principaliter esset instituta ad delenda peccata venialia. Hoc non videtur admittendum, quia ad peccata remittenda institutum est sacramentum paenitentiae; ergo non requiritur sacramentum specialiter institutum ad delenda peccata venialia. *S. Thomas* ait: «Nec extrema unctio nec aliquod sacramentum novae legis est principaliter institutum contra peccata venialia, licet per ea peccata venialia remittantur; sed est instituta extrema unctio ad reliquias peccatorum tollendas» (De malo q. 7, a. 11 ad 14).

Idem fere valet de deletione poenae temporalis; nam etiam ad hanc delendam alia remedia instituta sunt, ut sacramentum paenitentiae et indulgentiae. Generatim si hoc sacramentum principaliter institutum esset ad aliquid tollendum, quod aeque invenitur in sanis et in aegrotis, tam sani quam aegroti illud recipere possent, quod non est verum. Ergo secundario quidem extrema unctio delet et peccatum veniale et poenam temporalem, sed primarius eius effectus est aliquid, quod soli aegroto convenit. Aegroto autem convenit sanatio infirmitatis, qua laborat. Quae infirmitas relicta est ex peccato originali et actuali.

Infirmitas spiritualis aegroti est diffidentia propter peccata praeterita, pusillanimitas propter aerumnas praesentes, trepidatio propter instantem cum hoste luctam. Hae sunt reliquiae peccati, quibus aegrotus premitur, et ad quas auferendas extrema unctio ex primaria intentione est instituta. Scilicet contra diffidentiam auget fiduciam, contra pusillanimitatem affert hilaritatem, contra trepidationem dat alacritatem. Itaque sub hoc respectu deletio reliquiarum peccati realiter coincidit cum alleviatione et confortatione animi aegrotantis, sed distinguitur a remissione peccatorum (cf. supra n. 278). Potest confortatio animi

vocari *res et sacramentum*, quia sacramento producitur et gratiam significat.

Haec est doctrina communiter recepta, quam *S. Thomas* sic explicat: «Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum per modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum institutum est ad sanandam infirmitatem peccati.... Sicut autem corporalis medicatio supponit vitam corporalem in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae; et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali; et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum» (Supplem. q. 30, a. 1).

286. **Prob. pars II.** *Effectus condicionatus sacramenti extremae unctionis est restitutio sanitatis corporalis.* Hunc effectum indicari in fontibus theologicis supra (n. 278 sqq) iam vidimus, ubi etiam additur hunc effectum esse condicionatum, «si saluti animae expedierit» (*Denz.* n. 700 909). *S. Thomas* ait: «Extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae sed ex virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis» (l. c. a. 2).

Hunc effectum Deus plerumque non miraculose producit, etsi hoc non excluditur, sed providebit, ut vires naturales et remedia naturalia sanitatem restituant. Quare theologi recte monent non esse hoc sacramentum differendum usque ad talem condicionem aegroti, ut iam sine aperto miraculo sanatio fieri non possit; nam ad illud recipiendum non requiritur articulus mortis sed periculum mortis.

287. *Obi. I.* Saepe recepta extrema unctione aegroti nullo modo ostendunt se esse spiritualiter confortatos, sed non minus inquieti sunt quam antea. Atqui sacramenta infallibiliter effectum suum producunt. Ergo spiritualis confortatio non est effectus extremae unctionis.

Resp. Nego suppositum argumentationis. Scilicet de interna operatione gratiae non possumus cum certitudine ex signis externis iudicare. Plerumque

sine dubio homines, qui devote hoc sacramentum receperunt, etiam extrinsecus animi tranquillitatem manifestant. Sed etsi forte vi febris vel dolorum vel etiam tentationum inquieti fiunt, possunt tamen intus iuvari gratiae motibus propter sacramentum concessis, quibus utique pro arbitrii libertate possunt uti aut non uti. Ergo si interdum aegroti non multum videntur proficere ex susceptione huius sacramenti, non possumus inde concludere, quid in eorum animis gratia effecerit. Si quis vero indigne vel invalide suscepit sacramentum, effectus eius non obtinet. Neque de hac re ex solis indiciis iudicandum est.

288. *Obi. II.* Interdum homines, qui suscepta extrema unctione sanitatem recuperant, ea postea abutuntur ad peccandum. Ergo sanitas corporis non solum hoc sacramento restituitur, si expedierit saluti animae.

Resp. *Etiam huius argumenti suppositum negandum est.* Nam possunt aegroti sanitatem recuperare non vi sacramenti tantum sed etiam ex aliis causis. Ceterum potest etiam sacramentum efficere sanitatem, quia revera homo recuperata sanitate proxime bonum fructum spiritualem inde habebit, licet hunc fructum postea culpa sua perdat. Nam posteriora male facta nullum nexum habent cum sacramento. Eiusmodi res providentiae Dei relinquendae sunt.

289. *Obi. III.* Si extrema unctio interdum delet peccatum mortale, verum non est peccata mortalia post baptismum commissa non posse remitti independenter a sacramento paenitentiae. Atqui haec consequentia admitti non potest. Ergo extrema unctio numquam delet peccatum mortale.

Resp. *Neg. mai.* Nam qui extrema unctione liberatur a peccato, fuit saltem vere attritus; vera autem attritio includit voluntatem servandi praeceptum divinum de necessitate confessionis peccatorum mortalium; et sic aliquo modo adest votum confessionis. Ergo si homo ille reconvalescit et postea peccati sui recordatur, debet illud confiteri (cf. supra n. 232).

PARS III.

DE MINISTRO ET SUBIECTO SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Prop. XXXIII. Minister extremae unctionis est sacerdos, subiectum vero homo baptizatus, adultus, periculose aegrotans.

290. ***Stat. quaest.*** Quaestio de ministro et de subiecto extremae unctionis soluta videri potest in praecedentibus; sed propter quasdam dubitationes adiacentes pauca hic addenda sunt. De fide est solum sacerdotem posse esse ministrum huius sacramenti, et solum aegrotum adultum et baptizatum posse esse eius subiectum.

291. ***Prob. pars I.*** *Minister extremae unctionis est sacerdos.* Nam S. Iacobus (5, 14) docet aegrotos ungendos esse a presbyteris. Quem locum *concilium tridentinum* sess. 14, c. 3 sic explicat: «Ostenditur illic

proprios huius sacramenti ministros esse ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intellegendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab iis rite ordinati per impositionem manus presbyterii» (*Denz.* n. 910); can. 4: «S. q. d. presbyteros ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, A. S.» (*Denz.* n. 929).

Idem docuerunt SS. Patres. *Origenes* ait in hoc sacramento peccatorem quaerere a sacerdote medicinam (In Lev. hom. 2, n. 4). *S. Ioannes Chrysost.* praedicat potestatem sacerdotum, qui hoc sacramento remittant peccata (De sacerd. l. 3, n. 5). *Isaac Antiochenus* (Opera I, ed. *Bickell,* 187 sq) vituperat eos, qui in aegritudine nolint sacerdotalem unctionem recipere, sed ad suspectos monachos recurrant. *Innocentius I* docet tam episcopos quam presbyteros esse ministros huius sacramenti (*Denz.* n. 99). *S. Petrus Damiani:* «Videsne, qualiter sacerdotalis manus corpus infirmantis alleviet et illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget unctione» (Sermo 1 de dedic. eccl.). *Concilium cabillonense* (a. 813) can. 48: Infirmi «a presbyteris ungi debent». *Decretum pro armenis:* «Minister huius sacramenti est sacerdos» (*Denz.* n. 700).

Non necessario extrema unctio a pluribus sacerdotibus administranda est. Nam quod S. Iacobus ait: «Inducat presbyteros», apte explicatur: «Inducat aliquem ex ordine presbyterorum» (cf. Lc 17, 14). *Alexander III* statuit: «Sacerdos uno praesente clerico et etiam solus potest infirmum ungere» (Decret. l. 5, tit. 40, c. 14). Constans praxis et doctrina ecclesiae ostendit *unum sacerdotem sufficere* ad administrandam extremam unctionem.

Potest tamen sacramentum a pluribus sacerdotibus administrari, sicut apud orientales fieri solet, non quidem ita, ut unus sacerdos materiam applicet, alter vero formam pronuntiet, quod omnes fere theologi invalidum declarant (cf. *Suarez,* De extr. unct. disp. 43, sect. 2, n. 3); sed ita, ut aut omnes simul aut omnes successive integrum ritum adhibeant, aut ut unus unam unctionem faciat cum sua forma, alius aliam unctionem cum sua forma. Si primus sacerdos iam integrum ritum adhibet, perfectum est sacramentum, et sequentes unctiones et orationes considerandae sunt ut caerimoniae sacrae. Si singuli sacerdotes administrant unctiones et formas partiales, integrum sacramentum adest finita ultima unctione et forma, sicut integrum est sacrificium missae, si unus sacerdos panem, alter vinum consecrat. Si omnes sacerdotes simul ungunt et formam pronuntiant, omnes simul unum sacramentum efficiunt, sicut si multi sacerdotes simul easdem hostias consecrant (cf. *Kern,* De extr. unctione 251 sqq).

Tandem ex constitutione ecclesiae solus pastor animarum suis subditis hoc sacramentum licite administrare potest, alii autem sacerdotes ex eius delegatione tantum.

292. **Prob. pars II.** *Subiectum extremae unctionis est homo baptizatus, adultus, periculose aegrotans.* Non-baptizati non possunt ullum aliud sacramentum recipere. Infantibus autem subeunda non est pugna spiritualis, ad quam confortari possint; quare ipsis numquam hoc sacramentum dari consuevit. Numquid necessario supponitur adultum commisisse peccata actualia? *S. Thomas* affirmat, quia hoc sacramentum «non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae» (Supplem. q. 32, a. 4 ad 2). Alii theologi negant, ut *Suarez* (De extr. unct. disp. 42, sect. 2, n. 8), cum principalis effectus huius sacramenti sit contra infirmitatem spiritualem, quae omnibus hominibus inest ex peccato originali. Secundum hanc sententiam sensus formulae est: Indulgeat tibi Deus, i. e. conferat tibi gratiam sacramenti delentem peccatum, si adsit, et confortantem animum contra reliquias peccati. Practice haec disputatio finita est responso *s. congregationis de propaganda fide* a. 1821, die 26 Sept., quae decrevit ungendum esse paganum adultum graviter decumbentem immediate post baptismum. Relinquenda est opinio *S. Thomae* extremam unctionem dandam non esse iis, «qui non possunt recognoscere et cum devotione suscipere hoc sacramentum» (Supplem. q. 32, a. 3). Potius hoc sacramentum dandum est omnibus fidelibus, qui umquam usum rationis habuerunt, etiamsi nunc eo plane destituti sunt. Ita omnes theologi nunc docent. *Rituale rom.:* «Infirmis, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud [sacramentum] petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signum contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur» (De extr. unct. c. 1, n. 6).

Subiectum huius sacramenti esse solum periculose aegrotantem, i. e. hominem tali morbo affectum, ex quo prudenter iudicatur mors imminere, satis patet ex iis, quae dicta sunt. S. Iacobus loquitur de homine graviter decumbente, qui non potest ire ad presbyteros, sed ad quem presbyteri vocandi sunt. Verbum ἀσθενεῖν in Novo Testamento semper significat gravem morbum (Mc 6, 56. Lc 7, 2 10. Io 4, 46 sq; 11, 1 sq etc). *Decretum pro armenis:* «Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet» (*Denz.* n. 700). *Concilium tridentinum* sess. 14, c. 3: «Declaratur etiam hanc unctionem esse infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur» (*Denz.* n. 910).

Si periculum mortis abit et postea redit, *sacramentum repeti potest,* ut ibidem dicitur: «Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.» Ergo quoties novus status periculosus redit vel prudenter censetur rediisse, toties sacramentum repeti potest, quia hoc sacramento homo praeparatur ad bene moriendum. Ergo gratia sacramentalis tamdiu perdurat, quamdiu periculum mortis perdurat, non ultra.

Extrema *unctio non ita ad salutem necessaria est necessitate medii,* ut nullus adultus sine ea salutem consequi possit. Solum tum, cum peccator, qui antea attritus erat, sed nunc sensibus destitutus aliud sacramentum suscipere nequit, potest extrema unctio esse unicum salutis medium. Plerique theologi censent *ne necessitate quidem praecepti divini, quod sub gravi obliget,* fideles teneri ad suscipiendum hoc sacramentum, quia tale praeceptum neque ex Scriptura neque ex traditione probari potest. Ita *S. Thomas* (In 4, dist. 23, q. 1, a. 1, sol. 3 ad 1) et *Suarez* (De extr. unct. disp. 44, sect. 1, n. 2). Solus contemptus huius sacramenti grave peccatum est. Neque vero eo ipso, quod aliquis sacrum ritum omittit, eum contemnit, sed solum si habet eum ut rem vilem et nullius utilitatis.

293. *Obi. I. Innocentius I* ait: Oleo extremae unctionis «ab episcopo confecto non solum sacerdotibus sed omnibus uti christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo» (*Denz.* n. 99). Ergo non soli sacerdotes, sed omnes christiani possunt esse ministri huius sacramenti.

Resp. Conc. antec. Neg. conseq. et consequentiam. Nam verba Innocentii non ita interpretanda sunt, ut et sibi et toti traditioni contradicat. Ipse enim diserte dicit Iacobum locutum esse de presbyteris ut ministris huius sacramenti, et idem docent Patres et concilia. Ergo quod ait omnibus christianis licere uti sacra unctione inungendo, aut intellegitur de susceptione sacramenti: omnes christiani possunt in necessitate infirmitatis recipere hoc sacramentum, exceptis publice paenitentibus; aut intellegitur de usu sacri olei per modum alicuius sacramentalis, qui usus secundum *Goar* (Euchology. 412) etiam apud graecos exsistit. Sed talis usus in ecclesia latina non iam licitus est.

294. *Obi. II. In Sacramentario Gregoriano* post expositum ritum viatici et extremae unctionis uterque ritus dicitur per septem dies repetendus. (*M* PL 78 235.) Ergo in eodem mortis periculo sacramentum saepius repeti potest.

Resp. Repetitio unctionis censetur fuisse sacramentale quoddam. Ita *Menardus* (ib. 525). Alii putant potuisse et posse extremam unctionem saepius repeti in eodem mortis periculo. Ita *Kern* (De extr. unct. 338 sqq). Hoc certe nunc non licet secundum Rituale romanum. Quare *A. Straub* illam opinionem vehementer impugnat (De ecclesia Christi II, n. 921 sqq), sed fatendum est modum, quo explicat difficultates obiectas (n. 928 sqq), non esse valde aptum ad persuadendum.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 34 sqq; *Bellarminus,* De sacramento ordinis; *Vazquez,* In 3, disp. 235 sqq; *I. Morinus,* Commentarius hist. ac dogm. de sacris ordinationibus; *Fr. Hallier,* De sacris electionibus et ordinationibus, apud *Migne,* Curs. theol. XXIV; *P. Gasparri,* Tractatus canonicus de sacra ordinatione, Parisiis 1893; *Sasse,* De sacramentis ecclesiae II 273 sqq; *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique VIII 61 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5], 599 sqq.

PARS I.

DE EXSISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. XXXIV. Ordo est sacramentum, quo traditur potestas spiritualis ad sanctificandos homines per confectionem et administrationem sacramentorum.

295. ***Stat. quaest.*** Consideratis iis sacramentis, quae proxime ad bonum spirituale singulorum fidelium referuntur, consideranda sunt ea sacramenta, quae ex principali suo fine bonum commune societatis christianae respiciunt, quorum primum est sacramentum ordinis.

Diximus (I, 206 220) Christum apostolis et eorum successoribus dedisse potestatem ordinis, i. e. potestatem conficiendi et administrandi sacramenta. Vidimus etiam in praecedentibus tractatibus de sacramentis munus esse episcoporum vel presbyterorum baptizare, confirmare, eucharistiam consecrare et administrare, peccatores paenitentes absolvere, infirmos ungere. Haec autem ipsa potestas confertur aliquo sacramento, quod ideo vocatur sacramentum ordinis. Quod quidem sacramentum habet varios gradus, de quibus singulis dicendum erit. Sed prius in genere probamus exsistere sacramentum ordinis. *Definitur:* Ordo est sacramentum, quo datur spiritualis potestas ad munia ecclesiastica rite obeunda.

Sacramentum ordinis negat *Lutherus* in libro De captivitate babylonica. *Melanchthon* in posterioribus editionibus «Locorum» ordinem sacramentum esse concedit. Similiter *Calvinus* (Inst. l. 4, c. 14, n. 20). Recentes autem protestantes omnes hoc sacramentum reiciunt exceptis quibusdam anglicanis, qui ritualistae vocantur, quorum tamen ordinationes invalidas esse declaravit *Leo XIII* (*Denz.* n. 1963 sqq).

Agitur in thesi non de *statu* ordinatorum, qui etiam vocatur ordo seu hierarchia ordinis vel clerus, sed de *ritu,* quo quis ordinatur, seu de ordinatione, et dicimus exsistere talem ritum, qui sit sacramentum. Thesis est de fide.

296. *Arg. 1.* **Ex S. Scriptura.**

Sacramentum est signum sensibile efficax gratiae. Atqui secundum S. Scripturam ordinatio ad munia sacra administranda est signum sensibile efficax gratiae. Ergo secundum S. Scripturam exsistit sacramentum ordinis.

S. Paulus ad Timotheum, quem constituerat ministrum Christi ad docendam et regendam ecclesiam (1 Tim 4, 6 sqq), haec scribit: «Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis» (2 Tim 1, 6 sq). «Noli neglegere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii» (1 Tim 4, 14). Ergo per impositionem manuum Pauli et presbyterii Timotheus acceperat gratiam sanctificantem ad exercendas virtutes dilectionis, fortitudinis, temperantiae. Agitur de gratia permanente, cuius usus pendet e libera voluntate hominis. Quare apostolus monet: Resuscita gratiam, quae in te est, exercitio virtutum. Itaque ordinatio est signum sensibile efficax gratiae seu sacramentum.

Etiam aliis locis dicitur impositione manuum et oratione conferri munus ecclesiasticum (Act 6, 6; 13, 3; 14, 22, ubi conferendus est textus graecus); et S. Paulus monet Timotheum: «Manus cito nemini imposueris» (1 Tim 5, 22). Ergo agitur de ritu etiam in futurum adhibendo in constituendis presbyteris. Quod Timotheus per «prophetiam» electus erat (1 Tim 1, 18), speciale charisma erat, quod non pertinet ad ordinarium ritum.

297. *Arg. 2.* **Ex traditione.**

Quia de ritu ordinationis postea dicendum erit, hic sufficit ostendere a SS. Patribus ordinationi tribui vim sanctificandi sicut aliis sacramentis. *S. Gregorius Nyss.,* postquam dixit de consecratione eucharistiae et sacri olei, ita pergit: «Eadem item verbi vis etiam sacerdotem sanctum, augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. . . . Quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens» (Orat. in bapt. Christi; *M* PG 46, 582). *S. Ioannes Chrysost.:* «Nisi nunc etiam esset arrhabo Spiritus, neque baptisma adhibitum esset . . . neque sacerdotes habuissemus; neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile» (Hom. de resurr. mort. n. 8; *M* PG 50, 432). *S. Augustinus* comparat baptismum et ordinem: «Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica

utrumque non licet iterari» (Contra ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 28). *S. Gregorius M.:* «Sacrorum ordinum sacramenta ab ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur» (In 1 Reg. l. 4, c. 5, n. 23). Haec interim sufficiant, plura postea audiemus.

Cum ecclesia catholica in hac re omnes orientales consentiunt (cf. *Schelstrate,* Acta orient. eccl. I 201 274 sqq; *Denzinger,* Ritus orient. I 129). Theologi catholici cum *Petro Lombardo* (Sent. l. 4, dist. 24) unanimiter semper ut dogma fidei proposuerunt ordinem esse sacramentum.

298. *Arg. 3.* **Ex constitutionibus ecclesiae.**

Vetera concilia practica potius decreta de hoc sacramento fecerunt, sicut *concilium chalcedonense* (a. 451) can. 2 statuit deponendum esse episcopum, qui pro pecunia vendat «gratiam non venalem» huius sacramenti (*Hardouin,* Collect. conc. II 601). Ordo inter sacramenta numeratur in *concilio lugdunensi II* (*Denz.* n. 465) et in *decreto pro armenis* (*Denz.* n. 701). *Concilium tridentinum* sess. 23, c. 3: «Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem ecclesiae sacramentis; inquit enim apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam . . .»; can. 3: «S. q. d. ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S.» (*Denz.* n. 959 963).

Decretum «Lamentabili» damnat has propositiones modernistarum, 49: «Cena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente hi, qui cenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt»; 50: «Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam» (*Denz.* n. 2049 sq).

299. *Obi. I.* S. Paulus donum, quod Timotheus ordinatione acceperat, vocat χάρισμα (2 Tim 1, 6). Atqui χάρισμα est gratia gratis data, non gratia sanctificans. Ergo ordinatio illa non erat signum efficax gratiae sanctificantis.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Vox charismatis saepe significat gratiam gratis datam, *conc. min.;* numquam significat gratiam sanctificantem, *neg. min.* E. g. Rom 5, 15 sq; 6, 23 χάρισμα significat donum gratiae sanctificantis. De tali autem dono, non de sola gratia gratis data apostolum loqui ad Timotheum ostendit contextus.

300. *Obi. II.* De institutione sacramenti ordinis nihil in evangeliis narratur. Atqui sacramentum oportet esse a Christo institutum. Ergo ordo non est sacramentum.

Resp. *Neg. mai.* Nam Christus apostolis dedit potestatem consecrandi eucharistiam, et iussit eos hoc facere in sui commemorationem (supra n. 103). Dedit etiam ipsis potestatem remittendi peccata (supra n. 186). Atqui in his duabus potestatibus praecipue consistit potestas ordinis. Si dein videmus apostolos conferentes aliis potestatem, quam ipsi a Christo acceperant, per impositionem manuum et orationem, supponendum est eos mandatum ita agendi a Christo accepisse. Ergo Christus hoc sacramentum instituit partim ante passionem, partim post resurrectionem suam, quando apostolis multa dixit de regno Dei (Act 1, 3).

301. *Obi. III.* Ad hoc, ut quis sacramenta administret, non requiritur in ministro gratia sanctificans, ut supra (n. 39 sqq) dictum est. Ergo per ordinationem confertur sola potestas, non vero gratia sanctificans.

Resp. *Dist. antec.:* Ad valide tantum administranda sacramenta non requiritur in ministro status gratiae, *conc. antec.;* ad digne et licite administranda sacramenta non requiritur status gratiae, *neg. antec.* Immo quia homo ex se plane impar est muneri dispensatoris mysteriorum Dei (1 Cor 4, 1), omnino convenit, ut ei, cui hoc munus datur, etiam specialis gratia sacramentalis conferatur, qua munere digne fungatur. Cum enim membra et milites Christi specialibus sacramentis consecrentur, a fortiori convenit, ut duces exercitus et pastores speciali sacramento consecrentur. Cum Christus, principalis sacerdos, sit essentialiter sanctus, convenit, ut sacerdotes ministri eius conformentur sanctitati eius.

Prop. XXXV. Quidam ordines clericales sunt sacramentum, quidam non sunt sacramentum.

302. ***Stat. quaest.*** Status clericorum complectitur varios gradus, quos *S. Cornelius* papa a. 251, loquens de ecclesia urbis Romae, sic enumerat: In ecclesia sunt episcopus, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistae, lectores, ostiarii (*Denz.* n. 45). Iidem ordines etiam nunc sunt in ecclesia latina. Episcopatus et presbyteratus simul comprehenduntur nomine sacerdotii, ut numerentur septem ordines, ex quibus sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus vocantur *ordines maiores,* ceteri quattuor vocantur *ordines minores.*

Ordinem sacerdotalem esse sacramentum omnes catholici docent. Similiter omnes fere semper docuerunt diaconatum esse sacramentum. Sed de ceteris ordinibus multum disputatum est; neque hucusque ecclesia de hac quaestione quidquam definivit. Iuvat igitur breviter videre, quid dicendum sit de singulis ordinibus.

1. De ordinibus minoribus et subdiaconatu.

303. *Ordines minores et subdiaconatum esse sacramentum* docuerunt multi et magni theologi in 4 Sent. dist. 24, ut *S. Bonaventura, Scotus,* alii ex veteribus scholasticis; e posterioribus *Bellarminus* (De ord.

c. 8), multi thomistae, alii non pauci. *S. Thomas* varia dicit. De charactere, qui sacramento ordinis imprimitur, ait: «Cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus [ordinibus] character imprimatur, cuius etiam signum est, quod perpetuo manent et numquam iterantur. Et haec est tertia opinio, quae communior est» (Supplem. q. 35, a. 2). Ad obiectionem non fuisse ab initio ordines minores neque subdiaconatum, respondet: «In primitiva ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur. . . . Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis» (ib. q. 37, a. 2 ad 2). In opusculo contra Guilelmum a S. Amore (Pars II, c. 4, concl. 6) probat ecclesiam posse instituere ordinem ad praedicandum, quem Christus non instituerit, «sicut etiam in primitiva ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri: presbyteri et diaconi, et tamen postea ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister in sententia dicit». Similia dicit in 1 Tim. c. 3, lect. 2. Ad quae *Benedictus XIV* annotat: «Ex quo intellegitur dubiam saltem fuisse hac in re angelici praeceptoris mentem» (De syn. l. 8, c. 9, n. 11). Generatim veteres scholastici in hac re doctrinam suam non ut certam sententiam, sed ut disputabilem opinionem proponebant.

Argumenta affirmantis sententiae apud posteriores theologos sunt haec: *Decretum pro armenis* ait: «Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus . . . diaconatus . . . subdiaconatus . . . et similiter de aliis. . . . Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister» (*Denz.* n. 701). Ergo hoc decretum nomine sacramenti comprehendit omnes ordines, et omnibus attribuit effectum gratiae. — Qui nituntur hoc argumento, concedere debent illo decreto quaestionem non esse definitam, et verba pontificis etiam in negante sententia retinere bonum sensum. Secus ecclesia non permisisset, ut post hoc decretum sententia negans fieret tam communis.

Idem valet de *concilio tridentino*, ex quo sic argumentantur: Sess. 23, can. 2 concilium docet in ecclesia catholicâ praeter sacerdotium esse ordines maiores et minores; et can. 3 ait: «S. q. d. ordinem vel sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, A. S.» (*Denz.* n. 963.) Ergo, inquiunt, secundum mentem concilii etiam ordines minores et subdiaconatus sunt sacramentum. — Sed alii hoc negant, quia verba concilii vera manent, etsi soli tres supremi ordines sunt sacramentum. Immo hoc melius concordat cum verbis concilii, quod can. 4 ait: «S. q. d. per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum . . . A. S.» (*Denz.* n. 964.) Atqui in solis tribus supremis ordinibus haec verba dicuntur. Ergo hi soli comprehenduntur a concilio verbo ordinationis sacrae. Ceterum omnes

concedunt quaestionem de indole sacramentali ordinum minorum non esse a concilio definitam, sed adhuc libere disputari.

Si ordines minores non sunt sacramentum, gratia per ea non datur ex opere operato, sed tamquam per sacramentalia; neque character imprimitur, nisi quis characterem vult dicere deputationem ad officium ecclesiasticum. Ideo qui susceperunt ordines minores, si volunt, possunt redire ad statum laicalem. Olim idem valebat de subdiaconis, quibus usque ad saeculum V licebat matrimonio uti, et lex caelibatus iis saeculo VI demum in universa ecclesia latina praecepta est (cf. Decret. *Gratiani* l. 1, dist. 31, c. 1).

304. *Ordines minores et subdiaconatum non esse sacramentum docent Hugo Victorinus* (De sacram. l. 2, Pars 3, c. 12), *Petrus Lombardus* (Sent. l. 4, dist. 24), *Durandus* (In 4, dist. 24, q. 1, n. 2; q. 2, n. 6 sq), *Gratianus* (Decr. P. I, dist. 27) et cum eo plurimi canonistae, quidam thomistae, ut *Caietanus* et *Dom. Sotus* (In 4, dist. 24, q. 1, a. 4, concl. 7), qui censet S. Thomam, si in Summa quaestionem tractasset, correcturum fuisse sententiam, quam in commentario in Magistrum proposuit. Item *Vazquez* (disp. 237, c. 2), qui tamen cum Soto censet subdiaconatum probabilius esse sacramentum. Post *Morinum* (Comment. de sacr. ordin. P. III, exercit. 11, c. 1) et *Benedictum XIV* (De syn. l. 8, c. 9, n. 3 sq) sententia negans ordines infra diaconatum esse sacramentum facta est multo communior, quam non soli theologi dogmatici docent ut probabiliorem, e. g. *Perrone* (De ord. n. 81), sed etiam moralistae, ut *Lehmkuhl* (Theol. mor. II[11], n. 731 733, et in notis ad *Sasse*, De sacramentis II 304 sqq), et canonistae, ut *Fr. X. Wernz* (Ius decret. II[2] 39 sqq) et *Gasparri*, qui ait: «Longe probabilius, ne dicamus certum, et apud recentiores passim receptum est alias ordinationes infra diaconatum non esse verum sacramentum» (De sacra ordinat. I, n. 41).

Argumentum negantis sententiae est hoc: Sacramentum est ritus a Christo perenniter institutus. Atqui ordines infra diaconatum diu omnino non erant in ecclesia, postea ab ecclesia instituti sunt, alii autem aliis locis, mutati sunt, in desuetudinem abierunt, iterum restituti sunt. Ergo hi ordines non sunt sacramenta.

Vetustissimi scriptores, enumerantes omnes gradus clericorum, tres tantum indicant. Ita secundum *S. Ignatium M.* munera in ecclesia gerunt episcopi, presbyteri, diaconi (Magn. 6, 1, et sic ubique). Eodem modo loquuntur *Clemens Alex.* (Paedag. l. 3, c. 12), *Origenes* (De orat. n. 28), alii. Saeculo III modo hi modo illi ordines minores incipiunt apparere. Ecclesia graeca solum subdiaconatum et lectoratum retinuit. Ut ex epistulis *S. Cypriani* (29 38 39, ed. *Hartel*) constat, non necessario singuli hi ordines percurrendi erant ab ordinandis, sed poterant etiam quidam ordines omitti; et sic decursu saeculorum magna diversitas in hac re orta erat. Quare *concilium tridentinum* sess. 23,

c. 17 de reform. statuit, «ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur».

Ad haec quidem defensores affirmantis sententiae respondent Christum dedisse ecclesiae potestatem dividendi sacramentum diaconatus in varios ordines sacramentales et modo hos modo illos ordines instituendi, abrogandi, restituendi. Quod responsum est tam improbabile, ut eo ipso fere conficiant sententiam suam. Nam ecclesia, quae tam manifeste docet se non habere potestatem in substantiam sacramentorum, secundum hos theologos potest integros ritus instituere, qui sint efficaces ex opere operato, et eos iterum hac efficacia privare. Non ita ecclesia tractat sacramenta.

Certe ministeria, ad quae clerici minores deputantur, non ea sunt, quae specialem gratiam sacramentalem postulent; et ecclesia iam per saecula permittit, ut laici eorum officiis fungantur.

Quod *subdiaconatum* attinet, iste ordo inde a fine saeculi XII inter ordines sacros relatus est. Id testatur a. 1197 *Petrus Cantor:* «Prima manus impositio debetur diaconibus ordinandis; de novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem» («Verbum abbreviatum» c. 60; *M* PL 205 184). Anno 1091 *Urbanus II* statuit: «Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus apostoli» (*Denz.* n. 356). «In quibus verbis», ut ait *Innocentius III*, «innuitur, quod Urbanus, ad statum primitivae ecclesiae se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur, instituit, ut de subdiacono . . . non posset electio celebrari. Verum cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur . . .» (Decret. l. 1, tit. 19, c. 9). Hinc patet de subdiaconatu eodem modo iudicandum esse atque de ordinibus minoribus. In omnibus his ordinibus non adhibetur manus impositio, quae ex doctrina ecclesiae est saltem pars essentialis materiae sacramenti ordinis.

II. De diaconatu.

305. *Diaconatum esse sacramentum* omnes fere theologi semper docuerunt. *Vazquez* dicit hoc esse de fide (disp. 238, c. 2, n. 12); *Tanner* censet prope de fide esse (De ord. disp. 7, c. 2, dub. 2, n. 39); *Bellarminus* hanc sententiam vocat probabiliorem (De ord. c. 6). Videtur esse sententia certa.

Diaconi ut adiutores episcoporum vel presbyterorum in muneribus sacris iam commemorantur in S. Scriptura (Phil 1, 1; 1 Tim 3, 8 sqq). Eorum institutio refertur Act 6, 1 sqq; nam etsi ibi nomen diaconi non legatur, et electi ad ministerium mensae pro graecis deputentur, tamen ex iis, quae de Stephano et Philippo narrantur (Act 6, 8 sqq;

8, 5 sqq), efficitur eos praedicandi et baptizandi munus exercuisse. Quare tota traditio semper intellexit ibi narrari institutionem diaconorum.

Iam in scriptis primorum Patrum, ut *S. Clementis Rom., S. Ignatii M., S. Iustini M.,* sermo est de diaconis ut membris hierarchiae et ministris sacerdotum in sacra liturgia. *S. Ioannes Chrysost.* de illa institutione diaconorum in Act. apost. ait: «Vide, quam non superflue scriptor loquatur; non enim dicit, quomodo sed impliciter quod ordinati sint impositione manuum et prece. Haec enim est ordinatio. Manus viri superimponitur, totum vero Deus operatur, eiusque manus est, quae tangit caput ordinati, si, quemadmodum oportet, ordinetur» (In Act. hom. 14, n. 3). Similiter ordinationem sacramentalem diaconorum efferunt *S. Hieronymus* (Adv. Vigilant. n. 2), *S. Augustinus* (Ep. 21); *S. Ambrosius* (De offic. l. 1, c. 50), alii.

In omnibus libris ritualibus, ut in Euchologio graec., in Sacramentario Gregorii M., in Pontificali rom., diaconus dicitur ordinandus per impositionem manus episcopi et orationem, qua rogatur Deus, ut det ei gratiam Spiritus Sancti ad munus suum rite exercendum. Ex hoc autem ritu concludit *concilium tridentinum* sess. 23, can. 4 per ordinationem vere dari Spiritum Sanctum, seu ritum esse efficacem gratiae; et can. 6 docet hierarchiam ecclesiasticam, divina ordinatione institutam constare ex episcopis, presbyteris et ministris (*Denz.* n. 964 966). Voce autem ministrorum saltem designantur diaconi. Ergo diaconatus est sacramentum.

III. De presbyteratu.

306. *Presbyteratum esse sacramentum est de fide.* Nam *concilium tridentinum* sess. 23, c. 3 sq docet: «Dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem ecclesiae sacramentis. . . . Quoniam vero in sacramento ordinis character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse» (*Denz.* n. 959 sq). Ergo ordo sacerdotii est sacramentum, quo imprimitur character. Hoc etiam patet ex ritu, qui consistit in impositione manus cum oratione, qua super ordinandum invocatur gratia Spiritus Sancti.

Sacerdotes seu presbyteri novi testamenti praedicti erant per prophetas (Is 66, 21. Mal 3, 3). Sub episcopo praesunt ecclesiae, laborant in verbo et doctrina (1 Tim 5, 17), sunt pastores gregis Christi (1 Petr 5, 1 sqq). Quia in vetere ecclesia episcopi solebant vocari sacerdotes simpliciter, presbyteri vocabuntur sacerdotes secundi ordinis (*S. Leo M.,* Serm. 48, n. 1), secundi sacerdotes (*Innoc. I,* ep. 1 ad Decent. c. 3), presbyteri in secundo sacerdotio constituti (*Optat. Mil.,* Contra schisma Donat. l. 1, c. 13), sacerdotes minoris ordinis (*S. Gregor. M.,* In Ez. l. 2, hom. 10, n. 13); sed ab omnibus Patribus agnoscuntur veri sacerdotes, quibus competat sacrificium eucharistiae offerre

et hominibus peccata remittere (cf. supra n. 152 260 sqq). *S. Hieronymus* ait: «Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?» (Ep. 146; cf. I, n. 273). *S. Cyprianus:* Presbyteri sunt «cum episcopo sacerdotali honore coniuncti» (Ep. 61, n. 3; ed. *Hartel*). Sacerdotium autem conferri sacramento iam SS. Patres docentes audivimus (supra n. 297). «Hinc omnes theologi inferunt fide divina tenendum saltem ordinationem sacerdotum esse verum et proprium sacramentum» (*Bened. XIV.*, De syn. l. 8, c. 9, n. 2).

IV. De episcopatu.

307. Episcopos presbyteris superiores a Christo esse institutos probatum est in tomo I, n. 213 270 sqq. De fide est solos episcopos vi muneris habere potestatem confirmandi et ordinandi (*Denz.* n. 967). Episcopi potestatem ordinis episcopalis accipiunt consecratione. Num haec consecratio sit sacramentum, non una est theologorum opinio. Olim plurimi negabant, ut *S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus,* alii in Sent. l. 4, dist. 24. Solent argumentari ex eo, quod omnis potestas ordinis refertur ad eucharistiam; circa hanc autem episcopus non habet maiorem potestatem quam simplex sacerdos; ergo per consecrationem episcopus non accipit maiorem potestatem ordinis. Ita e. g. *S. Thomas* (Supplem. q. 40, a. 5). Quae vis sit in hoc argumento, non apparet. Nam episcopus certe potest aliquid circa eucharistiam, quod nemo infra eum potest, scilicet potest conferre potestatem consecrandi eucharistiam, quod est infinite plus, quam quod clerici minores possunt respectu eucharistiae; et tamen propter hunc respectum dicunt ordines minores esse sacramentum. Sed quidquid id est, contraria sententia est certa, et nunc communiter admittitur.

Ordinem episcopatus esse sacramentum docent ex veteribus theologis *Guilelmus Altissiodorensis* (Sum. l. 4, tract. 8), *Durandus* (In 4, dist. 24, q. 6, n. 8), *Petrus Paludanus* (In 4, dist. 24, q. 6, a. 3), *Navarrus, Gabriel Biel, Maior,* alii. De posterioribus theologis scribit *Hallier:* «Affirmantem sententiam *Bellarminus* certissimam, *Petrus Soto* certa fide tenendam censent; *Michael de Medina* contrariam huic sententiae esse periculosam, *Vazquez* similiter quod huic sententiae contrarium sit, sine gravi nota non posse teneri arbitrantur» (De sacr. elect. et ord. P. II, sect. 2, c. 1, a. 2, § 2). Nostra aetate videtur ferme esse consensus, si excipias quaestionem, utrum per consecrationem episcopalem character sacerdotalis amplietur, an novus character addatur. Si quis concedit cum ampliatione characteris esse coniunctam infusionem gratiae ex opere operato, docet ordinem episcopatus esse sacramentum.

Sacramentum ordinis a Patribus, theologis, conciliis probatur ex verbis Pauli ad Timotheum (1, 4, 14 et 2, 1, 6). Atqui ibi sermo est de ordinatione episcopali. Ergo haec est sacramentum. Ita *concilium tridentinum* sess. 23, c. 3 ait: «Cum Scripturae testimonio . . .

perspicuum sit per sacram ordinationem . . . gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem ecclesiae sacramentis; inquit enim apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam» (*Denz.* n. 959). Ipse etiam S. Thomas de illis verbis apostoli ait: «A quo scilicet ordinatus erat episcopus, in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti» (In 2 Tim. 1, lect. 3). *S. Augustinus* de episcopis donatistis ait: «Baptismus non est ipsorum sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati. Non eum suscipio episcopum, si quando est ordinatus, super caput eius Donatus est invocatus. In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris sed imperatoris» (Sermo ad caesariensis eccl. plebem n. 2; *M* PL 43 691). *S. Leo M.:* «Eos rectores ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus praeparavit, ut in populo adoptionis Dei . . . dignatio caelestis gratiae gignat antistitem» (Sermo 3, n. 1).

Idem efficitur ex ritu ordinationis, quo et apud orientales et apud occidentales episcopus consecrando imponit manus et invocat super eum adventum Spiritus Sancti. Si presbyteri, qui constituuntur ad gignendos filios spirituales, sacramento consecrantur, convenit, ut sacramento consecrentur episcopi, qui constituuntur ad sacramentaliter generandos patres et pastores spirituales. Si episcopus non sacramento acciperet potestatem ordinis episcopalis, eam externa iniunctione acciperet; et summus pontifex, qui eam daret, posset eam auferre. Atqui hoc nemo concedit; immo certum est etiam ab episcopo suspenso, haeretico, schismatico, dummodo ritum praescriptum servet et intentionem habeat ordinandi, vere conferri sacramentum ordinis. His autem luculenter efficitur ordinationem episcopalem esse verum sacramentum (cf. *A. Kurz,* Der Episcopat, Wien 1877).

Schol. De numero ordinum.

308. Caput 2 sessionis 23 *concilii tridentini* inscribitur «De septem ordinibus» (*Denz.* n. 958). Attamen hae inscriptiones non ab ipso concilio factae sed postea additae sunt. Immo cum concilium c. 4 episcopos ut summum ordinem reliquis inferioribus ordinibus opponat, revera octo ordines numerat; et ita multi canonistae et quidam alii, ut *Maldonatus* (De sacram. ord. q. 4), plus quam septem ordines esse dicunt. Plerique tamen numerum septenarium retinent, quia negant tonsuram esse ordinem, et supremum ordinem dicunt esse sacerdotium, bipartitum in episcopatum et presbyteratum.

Nihilominus unum est sacramentum ordinis, quia inferiores ordines ad episcopatum se habent ut imperfectum ad perfectum, seu ut partes ad totum potestativum, «cuius est haec natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in alio autem est aliqua participatio ipsius» (*S. Thomas,* Supplem. q. 37, a. 1 ad 2; cf. 1, q. 77, a. 1 ad 1).

PARS II.
DE ESSENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. XXXVI. **Materia sacramenti ordinis est impositio manuum, forma vero oratio, quae cum hac impositione iungitur.**

309. **Stat. quaest.** Non agitur de materia et forma ordinum infra diaconatum, quia non sunt sacramenta. Conferuntur autem traditione instrumentorum ad usum singulorum ordinum pertinentium cum verbis, quibus significatur collatio potestatis exercendi illum ordinem (cf. *Denz.* n. 150 sqq). Supponimus praeterea ecclesiam non posse substantialiter mutare ritus sacramentales (cf. supra n. 32 sqq).

His suppositis *triplex est theologorum sententia de materia et forma sacramenti ordinis. Prima sententia,* nunc multo communior, est solam manuum impositionem esse materiam, et correspondentem orationem esse formam sacramenti. Ita *S. Bonaventura* (In 4, dist. 24, P. 2, a. 1, q. 4), *Petrus Sotus* (De instit. sacerd. lect. 5), generatim recentiores theologi plurimi, ut *Perrone, Palmieri* (De rom. pontif. proleg. § 15, schol. n. III), *Sasse* (De sacram. II 315), item editores librorum liturgicorum, ut *Menardus, Martène, Goar,* item moralistae, ut *S. Alphonsus, Lehmkuhl,* alii, item canonistae, ut *Wernz* et alii, qui omnes hanc sententiam saltem ut probabiliorem defendunt.

Secunda sententia est solam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem. Ita *Gregorius de Valentia* (De ord. disp. 9, q. 1, punct. 5) et quidam thomistae. Quae sententia prorsus obsolevit.

Tertia sententia est et impositionem manuum et traditionem instrumentorum esse materiam essentialem. Ita *Bellarminus, De Lugo* (De sacram. in gen. disp. 2, sect. 5, n. 98), *Vazquez, Wirceburgenses,* alii, etiam quidam nostra aetate, ut *Billot* (De sacram. thes. 30, § 1).

Defendimus primam sententiam ut multo probabiliorem.

310. **Prob. pars I.** *Materia sacramenti ordinis est impositio manuum.*

a) *S. Scriptura,* ubi loquitur de sacramento ordinis, indicat ritum impositionis manuum, eumque solum. Quando apostoli ordinabant diaconos, «orantes imposuerunt iis manus» (Act 6, 6). Similiter presbyteri constituuntur *χειροτονίᾳ* cum oratione (Act 14, 22). S. Paulus ad Timotheum scribit: Gratia «data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii». «Manus cito nemini imposueris.» «Resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum» (1 Tim 4, 14; 5, 22. 2 Tim 1, 6). Alio loco, ubi secundum plurimorum exegetarum sententiam sermo est de consecratione episcopali Pauli et Barnabae, dicuntur ordinasse eos «orantes imponentesque iis manus» (Act 13, 3). Certe tunc episcopis ordinandis nondum imponebatur codex evangelii, qui nondum exsistebat, neque tradebatur baculus pastoralis neque vestimenta sacra neque alia insignia muneris pastoralis,

quae multo post introducta sunt. Ni fallor, nunc omnes concedunt aetate apostolorum ordinationes factas esse per solam impositionem manuum; ergo haec sola est materia essentialis.

b) SS. Patres numquam aliam materiam ordinationis indicant nisi impositionem manuum. Secundum *S. Cornelium* papam impositione manuum episcopatus traditur (*Euseb.* H. E. l. 6, c. 43). Secundum *S. Cyprianum* ad consecrandum episcopum manus ei imponitur (Ep. 67, n. 5; ed. *Hartel*). *S. Basilius* de episcopis ait: «Ordinationem a patribus habebant, et per manuum eorum impositionem habebant donum spirituale» (Ep. 1 can. ad Amphil. can. 1). *S. Epiphanius:* «Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat?» (Haer. 75, n. 4). Secundum *S. Hieronymum* ordinatio clericorum «non solum ad imprecationem vocis sed ad impositionem impletur manus» (In Is. l. 16, c. 58). Secundum *S. Leonem M.* manus imponere (1 Tim 5, 22) est «sacerdotalem honorem tribuere» (Ep. 12, c. 2). Sic potes percurrere ceterorum Patrum de ha re dicta, semper invenies sermonem de impositione manuum, altum silentium de tradendis instrumentis in sacris ordinibus. Ergo aetate SS. Patrum materia essentialis et unica sacramenti ordinis habebatur impositio manuum.

c) Exstat magnus numerus librorum ritualium ecclesiarum occidentalium, quos ediderunt *Menardus, Martène, Morinus,* alii. In nullo ex his libris, qui scriptus est ante annum 900, praescribitur traditio instrumentorum sed sola impositio manuum, excepta impositione codicis evangeliorum, quae inde a fine saeculi IV incipit praescribi in consecratione episcopi. Praeterea plures scriptores medii aevi, ut *S. Isidorus Hispalensis* (De eccl. officiis l. 2) et *Amalarius* (De eccl. officiis l. 2, c. 12), qui singulos ritus ordinationum describunt, nihil dicunt de traditione instrumentorum, sed solam manuum impositionem ut materiam indicant. Cum vero iam introducta esset traditio instrumentorum, theologi non statim dixerunt per eam tradi potestatem, sed potius significari potestatem iam traditam. Ita *Hugo Victorinus:* «Accipiunt et calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse cognoscant placabiles Deo hostias offerendi» (De sacram. l. 2, P. 3, c. 12). Idem dicunt *Petrus Lombardus* (Sent. l. 4, dis. 24, n. 9) et *Innocentius III* (De sacro altaris myst. l. 1, c. 9).

In ecclesiis autem orientalibus numquam introductus est usus traditionis instrumentorum. *Clemens VIII* iussit, ut Romae semper esset episcopus graecus, qui graecos alumnos more eorum, i. e. per solam manuum impositionem, consecraret, idque confirmavit *Urbanus VIII. Benedictus XIV* pro italo-graecis eundem ritum praescripsit, et vetuit ullam innovationem fieri. Eius Constitutionem *Leo XIII* confirmavit (cf. *Denz.* n. 701 nota). Est autem plane improbabile in vetere ecclesia valuisse et in ecclesiis orientalibus adhuc valere ritus sacramentales

essentialiter alios atque in posteriore ecclesia latina. Ergo etiam nunc in ecclesia latina essentialis est sola manuum impositio, ceteri ritus sunt accidentales, distinctioris significationis gratia additi. *Concilium tridentinum* nihil quidem de hac re definivit, sed effectum sacrae ordinationis pluries adscribit impositioni manuum, numquam traditioni instrumentorum. Ita sess. 14, c. 3 de extr. unct. dicit secundum S. Iacobum ministros sacramenti esse presbyteros, «quo nomine eo loco ... veniunt aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii» (*Denz.* n. 910). Sess. 23, c. 2 ait in S. Scriptura gravissimis verbis doceri, quae in ordinatione sacerdotum et diaconorum observanda sint (*Denz.* n. 958). In S. Scriptura autem non indicatur materia nisi manuum impositio. Et ex eo quod secundum S. Paulum per manuum impositionem datur gratia, concilium sess. 23, c. 3 probat ordinem esse vere et proprie sacramentum (*Denz.* n. 959).

Hisce igitur sufficienter explicatur, cur plurimis theologis certo aut multo probabilius videatur impositio manuum esse unica essentialis materia sacramenti ordinis. Practice sine dubio integer ritus praescriptus servandus est. De hac re nulla est disputatio.

311. **Prob. pars II.** *Forma sacramenti ordinis est oratio, quae cum impositione manuum coniungitur.* Haec pars sua sponte fluit ex praecedente. Nam sicut ii, qui materiam reponunt saltem partialiter in traditione instrumentorum, necessario dicunt formam esse verba concomitantia, ita ii, qui impositionem manuum unicam materiam essentialem habent, consequenter dicunt formam esse verba cum hac materia iuncta.

Nihilominus quaedam de hac forma sunt annotanda. Nam in ordinatione diaconorum, presbyterorum, episcoporum occurrunt et verba imperativa: «Accipe Spiritum Sanctum», et verba deprecativa, quibus Deus rogatur, ut super ordinandum effundat gratiam muneris respectivi. Attamen forma imperativa est recentioris originis, et ultra mille annos in usu ecclesiae latinae non fuit, cuius rei testes sunt codices rituales omnes veteres; neque nunc apud orientales in usu est. Ergo forma ordinationis sunt longiores illae preces, quae cum impositione manuum iunguntur. Quod vero *concilium tridentinum* docet sess. 23, can. 4, non frustra episcopos dicere in ordinatione: «Accipe Spiritum Sanctum» (*Denz.* n. 964), verum manet, etiamsi haec verba non sunt forma, quia, quod significant, per ordinationem verificatur.

Cum vero in longioribus illis orationibus plura verba dicantur, quae per se possint sufficere ad significandum effectum sacramenti, potest quaeri, quae praecise ex illis verbis censenda sint forma. Sed haec quaestio cum certitudine decidi non potest; neque multum refert, quia omnia verba dicenda sunt (cf. *Sasse,* De sacram. II 318 sqq).

312. **Obi. I.** *Decretum pro armenis haec* habet: «Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut

presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, diaconatus vero per libri evangeliorum donationem» (*Denz.* n. 701). Atqui auctoritate huius decreti disputatio finita est in favorem sententiae docentis traditionem instrumentorum esse materiam sacramenti ordinis. Ergo haec sententia est simpliciter admittenda.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Minor ob duplicem rationem neganda est. Nam a) certum est ab *Eugenio IV datam non esse novam definitionem de materia et forma sacramentorum,* quia plurimi theologi tacente ecclesia negant talem definitionem esse factam, sive conciliarem sive pontificiam ex cathedra. Ergo definitio saltem est dubia, dubia autem definitio nulla est. Ad summum igitur Eugenius IV sententiam suam de hac re manifestat, quae utique auctoritate non caret, non tamen obligat ad eam amplectendam.

Ceterum decretum est collectio variorum documentorum ad armenos transmissorum, ut hi scirent, quomodo in doctrina et praxi se conformarent ecclesiae romanae. Ad hunc finem pontifex iis transmittit varia symbola, definitiones plurium conciliorum, decretum de festis celebrandis. Quare ipsum decretum in fine distinguit capitula, declarationes, definitiones, traditiones, praecepta, statuta, doctrinam, quae in ipso contineantur. Inter alia summus pontifex ex opusculo S. Thomae «De fidei articulis et septem sacramentis» excerpsit instructionem de sacramentis. Ergo decretum nullo modo prae se fert indolem novae definitionis; et si ante decretum nihil definitum erat de materia sacramenti ordinis, neque per decretum quidquam definitum est. Talem definitionem esse factam eo magis improbabile est, quod pontifex dando decretum pro armenis certe noluit dare novam legem pro latinis, nullo verbo significans se velle facere novam definitionem de quaestione antea libere disputata. Quare mirum non est nunc a longe plurimis theologis negari instructionem Eugenii IV esse definitionem.

b) In *decreto pro armenis ut materia indicatur sola traditio instrumentorum.* Si de hac re definitio esset facta, debuit accurate indicari integra materia, ad quam omnibus fere fatentibus pertinet impositio manuum. Recte igitur concludimus Eugenium IV in hac parte instructionis voluisse armenis dicere, quid ad ritum essentialem ab iis iam adhibitum deberent addere, si se vellent plene conformare ecclesiae romanae. De qua re ait *Benedictus XIV:* «Necesse est igitur fateri Eugenium locutum de materia et forma integrante et accessoria, quam optavit ab armenis superaddi manuum impositioni iam diu ab illis adhibitae, ut ecclesiae latinae moribus se accommodarent ac rituum uniformitate firmius ei adhaererent» (De syn. l. 8, c. 10, n. 8). Sic intellegitur, cur Eugenius IV in concilio florentino a graecis non postulaverit, ut ipsi quoque hunc ritum reciperent.

313. *Obi. II.* Interdum a congregatione s. officii praecepta est repetitio ordinationis, in qua tactus sufficiens instrumentorum factus non erat. Ergo traditio instrumentorum censenda est essentialis.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Ergo practice servanda est traditio instrumentorum, *conc. conseq.;* ergo theoretice probatur essentialis, *neg. conseq.* Nam in quaestione de valore alicuius sacramenti necessarii et initerabilis tutiora sunt sequenda. *Benedictus XIV* ait: «Quia nonnulli non infimi theologi dixerunt impositionem manuum praeambulam porrectioni instrumentorum simul cum hac in unam coalescere materiam, . . . sacra congregatio, . . . ut

etiam huius opinionis in re tanti momenti rationem aliquam haberet, totam ordinationem sub condicione iterandam rescripsit» (De syn. l. 8, c. 10, n. 13).

Schol. De effectu sacramenti ordinis.

314. a) Sacramento ordinis *imprimi characterem* est de fide (*Denz.* n. 852 964). Quomodo tres characteres diaconatus, presbyteratus, episcopatus inter se habeant, disputatur inter theologos. Illi qui negant episcopatum esse ordinem distinctum a sacerdotio, dicunt plerumque consecratione episcopali ampliari characterem sacerdotalem. Idem alii admittunt. Ita e. g. *Petrus Paludanus:* «Potest dici, quod per episcopatum ampliatur character sacerdotalis, ut sit unus et idem; et ideo non imprimit characterem, sed impressum extendit ad aliud.... Potest igitur probabiliter dici, quod episcopatus est ordo, sed non distinctus a sacerdotio; et est sacramentum, sed non distinctum a sacramento ordinis [presbyteratus]; et imprimit characterem, sed non alium» (In 4, dist. 24, q. 7, a. 4).

Communior sententia est qualibet ordinatione imprimi novum characterem, quia datur potestas ad officia nova et diversa. Ita e. g. *Bellarminus* (De ord. c. 5), *Gregorius de Valentia* (De ord. disp. 9, q. 1, punct. 4 et q. 2), alii.

b) *Cum charactere datur potestas ordinis,* quae in sacerdote est potestas consecrandi et peccata remittendi (*Denz.* n. 961), in episcopo autem est potestas confirmandi et ordinandi (*Denz.* n. 967). Diaconi in ordinatione non accipiunt potestatem ordinis, quae ad actum valide ponendum requiratur, sed eam tantum, qua possint actus sui ordinis rite ponere. Ut enim sacrificium eucharistiae sollemni modo celebretur, requiruntur ministri, qui sacerdoti in consecranda eucharistia serviant. Hi sunt diaconi.

c) *Sacramento ordinis infunditur gratia sanctificans,* et quidem augmentum gratiae, quia ordo est sacramentum vivorum. Si quis sacramentum suscipit cum obice, postea remoto obice sacramentum reviviscit. Nam, ut ait card. *de Lugo:* Deus «per sacramentum ordinis voluit subvenire hominibus remedio suavi et efficaci, ut sancte et digne ministrarent in domo Dei. Ergo sicut remedium baptismi, impeditum obice, retinet suam efficaciam ad praestandos suos effectus, etiam non necessarios ad salutem, quando aufertur obex, non est cur id negemus de ordine» (De sacram. in gen. disp. 9, sect. 6, n. 103; cf. supra n. 53 *b* 69). Si peccator attritus, non habens conscientiam peccati sui mortalis, suscipit sacramentum ordinis, probabiliter iustificatur, ut supra (n. 87) dictum est de confirmatione.

Cum gratia habituali *simul datur ius ad recipienda auxilia actualia,* ut functiones ordinis rite fiant. Id iam innuitur in S. Scriptura (2 Tim 1, 6 sq). *S. Thomas* ait: «Cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quae exsecutio illius potentiae possit

congrue fieri» (Supplem. q. 35, a. 1). Ergo quia sacramento ordinis datur permanens potestas spiritualis, datur etiam gratia sacramentalis ad debitam huius potestatis exsecutionem.

PARS III.

DE MINISTRO ET SUBIECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Prop. XXXVII. Minister sacramenti ordinis est episcopus.

315. *Stat. quaest.* Loquimur de solis ordinibus sacramentalibus, quia ecclesia eorum ordinum, quos ipsa instituit, potest facere ministros, quos vult. Communiter quidem etiam hi ordines ab episcopis conferuntur. Nihilominus ex delegatione interdum simplices presbyteri eos administrant. *Gelasius* papa ad episcopos Lucaniae de presbytero scribit: «Nec sibi meminerit ulla ratione concedi sine summo pontifice subdiaconum aut acolythum ius habere faciendi» (Ep. 6, c. 6). *Alexander III* de ordinibus usque ad subdiaconatum ait: «Huiusmodi ordines quandoque a non-episcopis conferuntur» (Decret. l. 1, tit. 13, c. 1). *Concilium tridentinum* sess. 23, c. 10 de reform.: «Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre». Ergo sunt abbates, qui suis subditis hos ordines conferre possunt. Ceterum theologi omnes hoc ita esse concedunt.

Sed quoad ordinationes sacramentales, praecipue quoad presbyteratum et episcopatum, est unanimis fere sententia theologorum hos ordines conferri non posse nisi ab episcopo.

316. *Arg. 1.* Ex doctrina traditionis.

SS. Patres saepe efferunt solos episcopos habere potestatem ordinandi. *S. Hieronymus:* «Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?» (Ep. 146, n. 1). Cum *Aërius* dixisset etiam presbyteros posse ordinare, *S. Epiphanius* ait: Hoc Aërii dogma «stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit, velut cum episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres [sacerdotes] praecipue pertinet. Huius enim est patrum in ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat?» (Haer. 75, n. 4). *S. Athanasius:* «Unde presbyter Ischyras? quo ordinante? num Colutho? Id enim solum restat. Atqui Coluthum presbyterum obiisse ambasque eius

manus sine auctoritate fuisse, ac omnes, qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt, ad laicorum status redactos ita conventibus interesse, omnibus notum ac nulli dubium est» (Apolog. contra arian. n. 12; cf. n. 75). *S. Ioannes Chrysost.:* Episcopi «sola ordinatione superiores sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.» (In 1 Tim. hom. 11). Similiter alii Patres.

In libris ritualibus omnium ecclesiarum et omnium temporum semper episcopus assignatur minister sacramenti ordinis. Cum accedat unanimis fere theologorum consensus, habetur firmum traditionis argumentum.

317. ***Arg. 2.*** **Ex constitutionibus ecclesiae.**

Vetera concilia non tam docent episcopum esse ministrum sacramenti ordinis, quam hoc supposito statuunt, cui episcopo conveniat clericos ordinare. Ita *concilium nicaenum I* can. 4 dicit episcopum esse ordinandum ab omnibus provinciae episcopis vel saltem a tribus (*Kirch,* Enchir. n. 364). *Concilium antiochenum* a. 341 statuit chorepiscopum [episcopum ruralem] non debere ordinare neque presbyteros neque diaconos praeter civitatis episcopum (ib. n. 443). Alia similia in aliis synodis leguntur, ex quibus patet persuasio ecclesiae solos episcopos esse ministros sacramenti ordinis (cf. *Denz.* n. 150 sqq). Tandem *concilium tridentinum* sess. 23, can. 7 definivit: «S. q. d. episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, A. S.» (*Denz.* n. 967). Idem concilium sess. 23, c. 8 de reform etiam confirmat veterem legem ecclesiasticam, secundum quam nemo licite ordinatur nisi a proprio episcopo: «Unusquisque a proprio episcopo ordinetur.... Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.» Licet tamen episcopo delegare alium episcopum ad suos subditos ordinandos. Episcopus est proprius alicuius ratione originis, domicilii, beneficii, famulatus. De hac et aliis quaestionibus huc pertinentibus agitur in iure canonico vel in theologia morali.

318. *Obi. I.* Timotheo data est ordinatio «cum impositione manuum presbyterii» (1 Tim 4, 14). Ergo presbyteri possunt esse ministri ordinationis.

Resp. *Dist. antec.:* Si presbyterium ibi intelleguntur simplices presbyteri, hi fuerunt ministri ordinationis, *neg. antec.;* tunc solus Paulus apostolus fuit minister ordinationis, *conc. antec.;* ipse enim testatur Timotheum a se esse ordinatum (2 Tim 1, 6). Et *neg. conseq.*

319. *Obi. II. Morinus* (De sacra ordinat. P. 3, exerc. 4, c. 4) dicit interdum presbyteris datam esse facultatem ordinandi presbyteros. Ergo saltem non semper fuit persuasio in ecclesia solius episcopi esse ordinare.

Resp. Est *error Morini,* qui putat chorepiscopos, qui interdum dicuntur ordinasse, fuisse simplices presbyteros. Sed constat quosdam chorepiscopos

fuisse vere episcopos. E. g. *concilium antiochenum* a. 341 can. 10 ait: «Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint et ut episcopi consecrati sint. . . .» (*Kirch*, Ench. n. 443). Alia vide apud *Fr. Gillmann*, Das Institut der Chorbischoefe im Orient, Muenchen 1903, 50 sqq. Plures obiectiones de presbyterorum ordinatione apud *Wirceburgenses* (De ord. n. 137 sqq).

320. *Obi. III.* Anno 1489 ab *Innocentio VIII* quibusdam abbatibus cisterciensibus hoc privilegium concessum est, ut subditis suis possent diaconatus sacramentum conferre. Ergo presbyteri saltem possunt esse ministri ordinis diaconatus.

Resp. *Dist. antec.:* Hoc narratur quidem a quibusdam, ut a *Vazquez* (disp. 243, c. 4, n. 39), et *Ph. Panhoelzel* O. Cist. ipsum textum bullae pontificiae refert (Studien u. Mitteilungen aus dem Benediktiner- und dem Cisterċienserorden, a. V, t. I, 441 sqq), *conc. antec.*; de genuinitate privilegii certo constat, *neg. antec.* De qua re *Gasparri:* «Dum multi de bullae genuinitate dubitant, mihi facta inspectione in archivio vaticano, relatum est bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse» (De sacra ord. II, n. 798). Ergo ex hoc privilegio nihil concludi potest. Quia vero neque antea neque postea ab ullo summo pontifice tale privilegium concessum est, multo probabilior est sententia simplicem presbyterum ne ex delegatione quidem posse conferre ordinem diaconatus (cf. *Suarez*, De relig. tract. 8, l. 2, c. 29, n. 3).

Schol. De ordinationibus factis ab episcopis haereticis vel schismaticis.

321. Ii, qui olim errarunt de valore baptismi ab haeretico collati (supra n. 40), similiter errarunt de valore ordinum haereticorum vel schismaticorum. Quoad baptismum error mox correctus est ab auctoritate ecclesiastica, et consequenter eodem modo iudicandum est de ordinationibus, ut ait *S. Augustinus:* «Sicut baptismus in iis, ita ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa sunt» (Contra ep. Parmen. l. 2, c. 13, n. 28). Quae *concilium nicaenum I* can. 8 statuit de catharis vel novatianis recipiendis (*Denz.* n. 55), a graecis ita intellecta sunt, ut validae essent haereticorum ordinationes. Ita *concilium nicaenum II* (a. 787), in quo *S. Tarasius* patriarcha multis documentis hoc comprobavit (*Mansi*, Collect. conc. XII, 1022 1038 1042). *Anastasius II* papa ad imperatorem Anastasium de Acacio schismatico scribit: «Secundum ecclesiae catholicae consuetudinem sacratissimum serenitatis tuae pectus agnoscat, quod nullum de his, quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla ex nomine Acacii portio laesionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. . . . Male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suae

virtutis obtinuit» (Ep. 1, c. 7 sq). Idem docent *S. Leo M.* (Ep. 12 et 18; cf. Gratiani Decret. Pars II, causa 1, q. 7, can. 19 sqq), *S. Gregorius M.* (Ep. l. 2, ep. 32; l. 11, ep. 67), alii pontifices. Iam *concilium carthaginense* a. 397 can. 38 statuerat: «Non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes et translationes episcoporum».

Medio aevo multa quidem de hac re dicta vel facta sunt, quae approbari nequeunt, de quibus conferri potest *L. Saltet* (Les réordinations, Paris 1907). Privatos quosdam doctores in hac re errasse est concedendum. Ullum summum pontificem de hac re falsam doctrinam tradidisse nullo probabili argumento ostendi potest. Ordinationes quidem illegitime factae vocantur interdum «irritae», non quod attinet characterem sacramentalem, sed quod attinet legitimum usum ordinis, honorem, iurisdictionem, alia, quae non a sacramento sed a voluntate summi pontificis pendent. Haec omnia postulant speciales inquisitiones, quae hoc loco institui non possunt. Quaedam vide apud *Wirceburgenses* (De ord. n. 147 sqq). Leo XIII ordinationes anglicanas irritas declaravit, non propter haeresim episcoporum, sed propter defectum formae et intentionis (*Denz.* n. 1963 sqq).

Prop. XXXVIII. **Subiectum capax diaconatus et presbyteratus est omnis et solus mas baptizatus, subiectum autem ordinis episcopatus est sacerdos.**

322. ***Stat. quaest.*** In quibusdam sectis antiquis et recentibus mulieres quoque admittebantur et admittuntur ad munera sacra exercenda. Sed quia hae sectae plerumque non agnoscunt sacramentum ordinis, error eorum potius respicit hierarchiam et disciplinam ecclesiasticam. In ecclesia catholica de hac re numquam fuit disputatio. Requiri baptismum ante susceptionem ordinis patet, quia baptismus est condicio necessaria omnium ceterorum sacramentorum. Posse etiam infantem baptizatum valide ordinari non quidem definitum est ab ecclesia, sed est tamen certum. Neque definitum attamen certum est requiri presbyteratum ante episcopatum. Paucissimi theologi hoc negarunt.

323. ***Prob. pars I.*** *Solus mas baptizatus est capax ordinis sacri.* Nam teste *S. Scriptura* mulieres in ecclesia neque docere neque praeesse debent. «Mulieres in ecclesia taceant; non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse» (1 Cor 14, 34 sq). «Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio (1 Tim 2, 12). Idem constat ex praxi ecclesiae. *S. Epiphanius:* «Episcoporum ac presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutae; nec inter illos tamen mulier ulla cooptata esse legitur» (Haer. 79, n. 2). *Tertullianus* catholicus de quibusdam haereticis scribit: «Ipsae mulieres haereticae quam procaces, quae audeant docere, contendere, exorcismos

agere, curationes repromittere, forsitan et tingere» (De praescr. c. 41). Theologi omnes consentiunt. E. g. *S. Thomas*: Mulier «ordinem non suscipit, quia, cum sacramentum sit signum, in iis, quae in sacramento aguntur, requiritur non solum res sed significatio rei. . . . Cum igitur in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet, ideo non potest ordinis sacramentum suscipere» (Supplem. q. 39, a. 1). Idem docent canonistae, ut *Wernz* (Ius decret. II, n. 80).

324. **Prob. pars II.** *Omnis mas baptizatus potest valide ordinari diaconus et sacerdos,* etiam infans. Nam sicut infans valide confirmatur (supra n. 93), etsi gratia confirmationis uti nequit in infantili aetate, ita etiam fieri potest diaconus et sacerdos, etsi non potest fungi his muneribus nisi adultus. De qua re loquitur *Benedictus XIV* in instructione «Inter sollicitas», die 4 Maii 1745 de ritibus copticis data, ubi § 20 de episcopo, qui sacros ordines infanti contulerat, ait: «Concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est validam sed illicitam censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in episcopo ordinante, non obstante contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae supremis tribunalibus et congregationibus urbis numquam arrisit.» Qua aetate *licite* quis ad sacros ordines promoveri possit, constituit *concilium tridentinum* sess. 23, c. 12 de reform. Ut adultus valide ordinetur, requiritur eius consensus (cf. supra 53 a; *Wernz,* Ius decret. II, n. 82 sq).

325. **Prob. pars III.** *Subiectum capax ordinis episcopatus est solus sacerdos.* «Omnes sentiunt ordinationem episcopi esse invalidam, nisi praecesserit sacerdotium», inquit *Gregorius de Valentia* (De ord. disp. 9, q. 1, punct. 4). Sunt quidem pauci dissentientes, ut *Bosco* (De sacram. ord. disp. 10, sect. 1, concl. 9, n. 200) et *Gasparri,* qui oppositam sententiam censet esse probabilem, etsi fateri debet usum ecclesiae stare ex parte sententiae communis (De sacra ord. c. 1, n. 22 sqq). Ergo quia ecclesia numquam agnovit validitatem ordinis episcopalis collati ei, qui non erat sacerdos, hoc iam sufficit ad probandam sententiam communem. Alia ratio est, quod non potest fieri summus sacerdos, qui non est sacerdos; nam consecratione episcopali non traditur potestas consecrandi eucharistiam, quia in forma dicitur: «Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam.» Qui vero non habet potestatem in corpus Christi reale in eucharistia, non potest accipere potestatem ordinis in corpus Christi mysticum, quod praecipue nutriendum est corpore Christi reali.

326. **Obi. I.** Olim in ecclesia non diaconi tantum, sed etiam diaconissae ordinabantur. Ergo etiam mulier est subiectum capax sacrae ordinationis.

Resp. *Dist. antec.:* Olim diaconissae ordinabantur benedictione, quae non erat sacramentum (sicut nunc abbatissae), *conc. antec.;* benedictione,

quae erat sacramentum, *neg. antec.* Constituebantur enim diaconissae, ut iuvarent sacerdotes in cura feminarum. *S. Epiphanius:* «Quamquam diaconissarum in ecclesia ordo est, non tamen ad sacerdotii functionem aut ullam huiusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur» (Haer. 79, c. 3). *Concilium arausicanum I* can. 26 statuit, ne diaconissae in futurum ordinarentur. Similiter alia concilia provincialia. Inde a saeculo VIII totum institutum in ecclesia occidentali abrogatum est. Posterioribus temporibus interdum praepositae monialium vocantur diaconissae vel archidiaconissae.

Presbyterae vel presbyterissae interdum vocantur uxores presbyterorum orientalium, qui ad caelibatum non obligantur, in ecclesia vero latina interdum illae mulieres, quas uxores duxerant ii, qui postea sacros ordines susceperunt (cf. e. g. *S. Gregor. M.,* Dial. l. 4, c. 11).

327. **Obi. II.** Olim graeci latinis obiecerunt, quod apud eos diaconi non suscepto presbyteratu fierent episcopi, ut testatur *Nicolaus I* in Ep. ad Hincmarum (*M* PL 119, 1155). Et revera *Martène* exempla quaedam affert, quibus id probatur (De antiq. eccles. ritib. l. 1, c. 8, a. 3). Ergo videtur diaconus immediate posse fieri episcopus.

Resp. Graecorum obiectio a latinis reiecta est ut calumnia, ut a *Ratramno:* «Criminantur falso . . . quod arguunt levitas episcopos fieri presbyterii gradu non prius suscepto; non reputantes, quod in ceteris sibi demant auctoritatem fidei, quandoquidem in istis tam evidenter mentiuntur» (Contra graecorum opposita romanam ecclesiam infamantium l. 4, c. 8). Quae vero *Martène* narrat, partim sunt obscura, partim aliter explicari possunt, partim solum quorundam ignorantiam probant (cf. *Morinus,* De sacra ord. P. 3, exercit. 11, c. 2; *Sasse,* De sacram. II, 335 sqq).

TRACTATUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 41 sqq; *Bellarminus,* De matrimonii sacramento; *Thomas Sanchez,* Disputationes de sancto matrimonii sacramento, Genuae 1602; *I. Carrière,* Praelect. dogm. de matrimonio, Parisiis 1837; *I. B. Perrone,* De matrimonio christiano, Romae 1861; *M. Rosset,* De sacramento matrimonii, Friburgi 1896; *D. Palmieri,* De matrimonio christiano, Prati 1897; *I. P. Martin,* De matrimonio et potestate ipsum dirimendi, Lugduni 1844; *Sasse,* De sacramentis II 350 sqq; *J. Souben,* Nouvelle théologie dogmatique VIII 97 sqq; *Pohle,* Lehrbuch der Dogmatik III[5] 642 sqq.

PRAENOTANDA.

328. a) Septimum et ultimum sacramentum est matrimonium, quo providetur debitae propagationi societatis naturalis, sicut sacramento ordinis bono communitatis spiritualis a Christo institutae. Sed eo ipso, quod matrimonium pertinet ad societatem naturalem, consequens est eius differentia a ceteris sacramentis. Neque enim Christus simpliciter matrimonium instituit, sed solum effecit, ut contractus matrimonialis, qui per se est institutum naturale, inter baptizatos sit simul signum efficax gratiae.

b) *Matrimonium considerari potest aut in fieri aut in facto esse,* seu in quantum duo ineunt matrimonium, et in quantum ex inito matrimonio inter eos oritur stabilis vitae societas. Matrimonium in fieri seu contractus matrimonialis solet etiam vocari matrimonium active sumptum; status vero, qui hoc contractu producitur, matrimonium passive sumptum.

Matrimonium passive sumptum solet definiri: «Viri et mulieris coniunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens« (*Petr. Lomb.,* Sent. l. 4, dist. 27, n. 2). Intellegitur coniunctio ex libero consensu orta, qua duo fiunt principium proxime aptum ad generandam prolem, seu quo fiunt mariti, ideo dicitur «maritalis». Talis coniunctio fieri solum potest inter personas aptas, i. e. quae neque ex iure naturali neque ex iure positivo ineptae sunt ad matrimonium ineundum; ideo dicitur «inter personas legitimas». Illud autem «individuam vitae consuetudinem retinens» significat proprietatem essentialem matrimonii, i. e. stabilem vitae communionem inter coniuges.

Hinc patet, quid sit *matrimonium active sumptum;* scilicet est contractus, quo vir et mulier modo legitimo sibi mutuo tradunt ius actuum necessariorum ad generandam et educandam prolem, et se obligant ad individuam vitae societatem. Talis contractus est quidem liber

quoad exercitium, non vero quoad specificationem. Nam libere quidem initur; sed si initur, essentialis finis et obiectum ex natura rei et legibus positivis sunt determinata. De contractu matrimoniali seu de matrimonio active sumpto loquuntur theologi, quando dicunt matrimonium esse sacramentum.

Obiectum proximum huius contractus est ius in corpus alterius coniugis ad generandam prolem, quod solet vocari ius exigendi et reddendi debitum. «Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir, similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier» (1 Cor 7, 3 sq). Ius utendi matrimonio Deus et lege naturali et lege positiva dedit hominibus: «Crescite et multiplicamini» (Gen 1, 28). «Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet» (Mt 19, 4 sqq; cf. 1 Cor 7, 1 sqq; Eph 5, 22 sqq; 1 Tim 4, 3; Hebr 13, 4).

c) *Triplex bonum matrimonii* assignari solet, quo onera matrimonialia compensantur:

1. *Bonum prolis,* quatenus generatione et bona educatione filiorum propagatur natio cultorum Dei (cf. 1 Tim 2, 15; 5, 8 10 14; *Catech. Rom.* Pars 2, c. 8, n. 23). Exempla huius rei sunt Iob, Tobias, alii, quorum historia legitur in S. Scriptura. Hic finis tam sublimis est, ut ob eum matrimonium inter opera maxime meritoria censendum sit, sed simul tam difficilis, ut, nisi aliae rationes simul impellerent, pauci tantum homines matrimonium inituri essent.

2. *Bonum fidelitatis,* quo vir et mulier fidem sibi promissam servant, sancto amore inter se fovent, in omnibus vitae necessitatibus auxilium sibi praestant, ut dies tranquille, honeste, pie transigere et varia incommoda occurrentia facilius ferre possint (cf. Gn. 2, 18; Eph 5, 25; Col 3, 18 sq; Prv 31, 10 sqq).

3. *Bonum remedii concupiscentiae,* quia, dum desiderio naturali honesta ratione satisfit, cavetur, ne immoderate diffluat in illicita. Nam appetitus naturalis, qui ratione moderatur, eo ipso impeditur, ne imperio rationis se subtrahat (cf. 1 Cor 7, 9; *S. Thomas,* Supplem. q. 42, a. 3 ad 4). Ad matrimonium christianorum praeter tria illa bona naturalia accedit *bonum sacramenti,* quo coniuges gratias accipiunt ad digne officia status sui implenda. De hoc bono est in specie dicendum.

PARS I.

DE ESSENTIA ET EXSISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

Prop. XXXIX. Matrimonium est verum novae legis sacramentum.

329. ***Stat. quaest.*** Actio illa, qua vir et mulier fiunt coniuges, seu matrimonium active sumptum a Christo Domino factum est signum

sacramentale. Itaque in quantum matrimonium est contractus naturalis, non fit nomine Christi, sed in quantum est signum efficax gratiae, hoc signum applicatur nomine Christi; et sic sacramentum matrimonii est signum efficiens et sanctificans maritalem viri et mulieris coniunctionem.

Quidam veteres haeretici, ut *Manichaei* et *Priscillianistae*, docebant matrimonium esse inventum diaboli (cf. *Denz.* n. 36 241). Novatores saeculi XVI agnoscebant quidem matrimonium esse licitum, sed sacramentum esse negabant. Ita *Lutherus* in libro De captivitate babyl., *Calvinus* (Instit. l. 4, c. 19, n. 34), alii (cf. *Bellarm.*, De matrim. c. 1), item protestantes nostrae aetatis. *Modernistarum* error hic est (prop. 51): «Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat, ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio» (*Denz.* n. 2051).

330. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

S. Paulus docet matrimonium esse signum gratiae sanctificantis, qua christiani iunguntur cum Christo. Atqui secundum eundem apostolum signum gratiae in nova lege est efficax gratiae. Ergo matrimonium est signum efficax gratiae seu sacramentum.

Prob. mai. Matrimonium est signum gratiae sanctificantis. S. Paulus ait: «Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam. . . . Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia» (Eph 5, 25 sqq). Haec ultima verba graece sic sunt: *τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν,* i. e. relate ad coniunctionem Christi cum ecclesia maritalis coniunctio, qua vir relictis patre et matre adhaeret uxori suae, est magnum mysterium, quia repraesentat unionem Christi cum ecclesia. Haec unio fit per gratiam, qua Christus sibi sanctificavit ecclesiam, ut apostolus ibidem exponit. Singula autem membra ecclesiae hanc gratiam recipiunt; Christus enim fovet ecclesiam, «quia membra sumus corporis eius». Ergo quando duo matrimonium ineunt, ponunt signum gratiae, qua ipsi uniuntur cum Christo; et sic contractus matrimonialis est signum gratiae sanctificantis.

Prob. min. Signa gratiae sanctificantis adhibenda a christianis simul sunt efficacia gratiae. Nam nisi essent efficacia gratiae, essent nuda signa. Atqui signa divinitus instituta, quae solum significant gratiam, sed eam non efficiunt, sunt exclusive propria veteris testamenti. Agitur de signis non naturalibus, sed quibus vim significandi Deus indidit. De sacris signis veteris testamenti ait apostolus: «Hoc significante Spiritu Sancto nondum propalatam esse sanctorum viam,

adhuc priore tabernaculo habente statum. Quae parabola est temporis instantis, iuxta quam munera et hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis et in potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis [i. e. caerimoniis pure externis], usque ad tempus correctionis [i. e. novi testamenti] impositis» (Hebr 9, 8 sqq). Ideo monet galatas christianis abstinendum esse a talibus ritibus inefficacibus. «Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?» (Gal 4, 9). Ergo si christiani ex institutione divina certis ritibus significant gratiam, hi ritus non sunt infirma et egena elementa, sed efficiunt, quod significant. Tale autem signum est matrimonium; ergo matrimonium est efficax gratiae, seu est sacramentum. Christus igitur instituit matrimonium, quatenus voluit, ut matrimonium, quod iam antea erat non contractus tantum naturalis sed etiam signum sacrum (cf. Gn 2, 24; Mt 19, 4 sqq), in ecclesia etiam efficeret gratiam, quam significat.

Hinc intellegitur doctrina *concilii tridentini* sess. 24: «Gratiam, quae naturalem illum amorem [maritalem] perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras... [Eph. 5, 25 32]. Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus conubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis sacramenta annumerandum» (*Denz.* n. 969 sq). Matrimonium veteris legis gratiam in futurum dandam significabat, matrimonium novae legis gratiam praesentem significat; ideo matrimonium israelitarum erat nudum signum, matrimonium christianorum est efficax gratiae (cf. *S. Thomas,* Supplem. q. 42, a. 3).

331. *Arg. 2.* Ex traditione.

Cum non ipse contractus matrimonialis a Christo institutus sit, sed hic contractus sanctificatus et gratia auctus sit, solum quaeritur, num SS. Patres hanc specialem sanctificationem matrimonii docuerint. Atqui hoc ita est. *S. Cyrillus Alex.:* Christus ivit ad nuptias (Io 2, 1 sqq), «ut generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut, qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiret, sed et iis quoque, qui postea nascituri erant, gratiam praestrueret et eorum ortum sanctum efficeret» (In Ioan. 2, 1, c. 2; *M* PG 73, 223). Christum, sicut baptizatus in Iordane aquam consecraverit, ita praesentia sua in nuptiis consecrasse matrimonium docent etiam *S. Epiphanius* (Haer. 51, n. 30), *S. Augustinus* (In Ioan. tract. 9, n. 2), *S. Maximus Taur.* (Hom. 23, n. 7), *S. Ioannes Damasc.* (De fide l. 4, c. 24), alii.

Matrimonium, quod inter christianos fit secundum Dei voluntatem, gratiam annexam habet. *Origenes:* «Quoniam coniunctionis auctor est

Deus, propterea iis inest gratia, qui a Deo coniuncti sunt, quod non ignorans Paulus conubium verbo Deo consentaneum gratiam esse pronuntiat.... Viri, diligite uxores vestras...» (In Matth. tom. 14, n. 16). *S. Ambrosius:* «Discite, qui ad gratiam baptismatis tenditis veluti quidam fidei candidati, continentiae disciplinam sobriam.... Cognoscimus velut praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti caelestis amittit consortium» (De Abraham l. 1, c. 7). *S. Innocentius I:* «Statuimus fide catholica suffragante illud esse coniugium, quod est primitus divina gratia fundatum» (Ep. 36 ad Probum). *S. Augustinus:* Bonum prolis et bonum fidei potest esse etiam in matrimonio infidelium, sed in matrimonio christianorum praeterea est bonum sacramenti christiani. «Quoniam sane non tantum fecunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, unde dicit apostolus: Viri, diligite uxores vestras.... Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre . . . sicut apostatae anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit» (De nupt. et concup. c. 10, n. 11). «Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius vivit.... Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis» (De bono coniug. c. 24, n. 32).

Ideo ecclesia matrimonium specialibus caerimoniis circumdedit, quae eius sanctitatem efferant. *Tertullianus:* «Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet» (Ad uxor. l. 2, c. 9). *S. Ambrosius* ait «ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari» (Ep. 19, n. 7). *S. Siricius* papa: «Illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur» (Ep. 1 ad Himer. Tarrac. c. 4). Saepe vetera monumenta et picturae Christum exhibent coniungentem et benedicentem nubentes (cf. *Garrucci,* Storia dell' arte crist. III, tav. 196 sqq et p. 179 sqq).

Accedit consensus omnium theologorum, quorum nullus est, qui non agnoscat matrimonium esse unum ex septem sacramentis novae legis (cf. Sent. l. 4, dist. 2, n. 1 et dist. 26; Sum. 3, q. 65, a. 1; Supplem. q. 42, a. 1).

Accedit etiam consensus orientalium, qui omnes docent matrimonium esse sacramentum (cf. *Perrone,* De matrim. I 1 sqq).

332. *Arg. 3.* Ex constitutionibus ecclesiae.

Lucius III in concilio veronensi a. 1164: «Universos, qui ... de matrimonio vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta romana ecclesia praedicat et observat ... vinculo perpetuo anathematis innodamus» (*Denz.* n. 402). Etiam in *concilio lugdunensi II et florentino* proposita est doctrina de sacramento matrimonii (*Denz.* n. 465 702). *Concilium tridentinum* sess. 24, can. 1: «S. q. d. matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in ecclesia inventum, neque gratiam conferre, A. S.» (*Denz.* n. 791). *Leo XIII:* «Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae Patres nostri, concilia et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt: nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium, simulque effecisse, ut coniuges caelesti gratia, quam merita eius pepererunt, septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur; atque in eo ad exemplar mystici conubii sui cum ecclesia conformato, et amorem, qui est naturae consentaneus, perfecisse, et viri ac mulieris societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse» (*Denz.* n. 1853).

333. Obi. I. *Petrus Lombardus* et *Durandus* negant matrimonio conferri gratiam; item quidam canonistae, ut *Gaufridus, Henricus Ostiensis, Bernardus Papiensis,* et glossa in c. «Quidquid» (101, causa 1, q. 1). Atqui si matrimonium non est efficax gratiae, non est sacramentum. Ergo illa aetate matrimonium non habebatur sacramentum.

Resp. *Dist. mai.:* Quidam veteres canonistae in hac re errarunt, et illi duo theologi non satis distincte locuti sunt, *conc. mai.;* horum paucorum errore vel obscuritate tollitur consensus theologorum, *neg. mai. Conc. min. Dist. conseq.:* Aderat error communis, *neg. conseq.;* aderat quorundam error vel obscuritas, *conc. conseq.*

Scilicet et Petrus Lombardus et Durandus (In 4, dist. 26, q. 3, n. 5) expresse docent matrimonium esse sacramentum. Sed Petrus Lombardus ait (Sent. l. 4, dist. 2, n. 1) quaedam sacramenta dare gratiam adiutricem, quaedam dare gratiam et virtutem, matrimonium autem esse «in remedium tantum». Hisce vult explicare diversitatem gratiarum sacramentalium, et sic recte statuit matrimonium esse in remedium; haec autem ratio remedii non excludit sed includit gratiam; propterea statim pergit haec sacramenta gratiae non fuisse instituenda ante Christum, qui gratiam attulit (n. 2). Durandus vero solummodo non vult damnare ut «erroneam vel contrariam determinationi ecclesiae» doctrinam quorundam iuristarum, «quod in sacramento matrimonii non confertur gratia», ipse vero tenet conferri gratiam.

Illi pauci canonistae dicebant, si matrimonio conferretur gratia, non liceret pro matrimonio pecuniam dare, quod permittitur. Ad quam rationem *S. Thomas* respondet: «Dicunt quidam, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est usquequaque verum. Et ideo aliter dicendum est, quod matrimonium non solum est ecclesiae sacramentum, sed etiam naturae officium. Et ideo dare pecuniam pro matri-

monio, in quantum est naturae officium, licitum est; in quantum vero est ecclesiae sacramentum, illicitum» (2, 2, q. 100, a. 2 ad 6). Alibi ait: «Quia sacramenta efficiunt, quod figurant, credendum est, quod nubentibus per hoc sacramentum gratia conferatur, per quam ad unionem Christi et ecclesiae pertineant» (Contra gent. l. 4, c. 78). Ceterum etiam plerique canonistae paucorum opinionem contrariam ut falsam reiciunt, ut *Covarruvias,* qui iam ante concilium tridentinum dicit, quod pauci illi docuerint, esse «falsum et erroneum» (De matrim. Pars 2, c. 1, § 1, n. 3).

334. *Obi. II.* Non convenit speciali gratia sacramentali honestari actum, quo quis maius bonum relinquit et eligit minus bonum. Atqui contractu matrimoniali relinquitur maius bonum virginitatis et praefertur minus bonum coniugii. Ergo non convenit hunc contractum esse sacramentum.

Resp. *Dist. mai.:* Non convenit gratia honestari actum, quo quis eligit minus bonum sine rationabili causa, *conc. mai.;* quo quis eligit statum, humano generi necessarium, eumque ex rationabili causa praefert bono in se maiori virginitatis, *neg. mai. Trans. min. Neg. conseq.* sub data distinctione.

Oportet esse homines, qui ineant matrimonium ad propagandum genus humanum usque ad tempus a Deo praefinitum. Hic autem status matrimonialis gravissima officia et onera annexa habet. Ergo omnino convenit iis, qui hunc statum ineunt, conferri gratiam sacramentalem ad onera status facilius sustinenda et officia fideliter implenda. Neque tamen ideo illi, qui ex motivo virtutis virginitatem servant, sunt peioris condicionis; nam ceteris paribus maius meritum habebunt et maiorem gloriam caelestem acquirent.

335. *Obi. III.* Omne sacramentum est a Christo institutum. Atqui probari nequit matrimonium ut ritum sacrum novae legis esse a Christo institutum. Ergo probari nequit matrimonium esse sacramentum.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Directe probari nequit sacramentum matrimonii esse a Christo institutum, *conc. min.;* indirecte probari nequit, *neg. min.*

Scilicet S. Scriptura non narrat, quando Christus contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti evexerit; sed eodem modo, quo probatur matrimonium esse sacramentum, etiam probatur institutio a Christo facta, quia alius non potuit efficere, ut contractus matrimonialis esset instrumentum gratiae conferendae. Alii dicunt Christum instituisse hoc sacramentum, quando interfuerit nuptiis in Cana Galilaeae; alii, quando habuerit instructionem de matrimonio (Mt 19, 3 sqq), alii, post resurrectionem.

Prop. XL. Sacramentum matrimonii est ipse contractus matrimonialis christianorum, qui perficitur per verba de praesenti; quare in his verbis consistit materia et forma sacramenti.

336. ***Stat. quaest.*** a) Quando christiani matrimonium ineunt, duae res fieri solent: altera est ipse *contractus matrimonialis,* altera est *benedictio sacerdotalis,* quae nubentibus datur. Quaeritur, utrum una ex his rebus an utraque res constituat sacramentum matrimonii. Olim de hac re multum disputatum est. Quidam canonistae aulici vel rega-

listae dicebant contractum matrimonialem nullo modo pertinere ad rationem sacramenti, sed esse rem pure naturalem, soli potestati civili subiectam. Ita post alios saeculo XIX *Io. Nep. Nuytz,* cuius propositiones damnavit *Pius IX* (cf. *Denz.* n. 1766 1773 sq). Quidam theologi putabant contractum esse materiam, benedictionem sacerdotalem esse formam sacramenti matrimonii. Ita *Canus* (De loc. theol. l. 8, c. 5), *Sylvius, Estius,* alii. Plerique theologi docent ipsum contractum matrimonialem christianorum esse totum sacramentum. Ita *S. Thomas* (Supplem. q. 42, a. 1 ad 1), *S. Bonaventura* (In 4, dist. 26, a. 2, q. 2; dist. 28, a. 1, q. 5), *Scotus* (In 4, dist. 26, q. 1, concl. 3). Haec sententia post varias summorum pontificum declarationes necessario tenenda est, et ita quidem, ut dicendus sit inter christianos contractus inseparabilis a sacramento, contra quosdam, qui censebant contrahentes christianos posse intentione sua efficere, ut contractus exsisteret sine sacramento. Ita e. g. *Wirceburgenses* (De matrim. n. 300).

b) Si constat sacramentum consistere in ipso contractu, quaeritur *num solo contractu, verbis vel aequivalentibus signis expresso, matrimonium sit essentialiter perfectum,* an praeter verba requiratur aliud ad essentiam matrimonii. Olim quidam canonistae censebant contractum verbis expressum nondum esse matrimonium, sed esse sponsalia tantum seu promissionem futuri concubitus, et solo actuali concubitu contrahi verum matrimonium. Haec sententia conciliari nequit cum doctrina ecclesiae, et ab omnibus catholicis relicta est. Itaque omnino tenendum est solo contractu de praesenti matrimonium esse essentialiter perfectum, et consummationem ad eius essentiam non pertinere. Dicitur «de praesenti», quia requiritur, ut contrahentes sibi actu dent mutuum ius in corpora ad generandam prolem; nam si sibi solum promittunt se velle in futurum sibi hoc ius dare, haec promissio non efficit matrimonium sed sponsalia. Contractus autem matrimonialis generatim quidem fit per verba, potest tamen, sicut alii contractus, fieri per litteras, nutus vel alia signa aequivalentia, nisi obstant leges positivae. Ergo haec omnia signa comprehendimus, dicentes matrimonium perfici per verba de praesenti.

c) Si sacramentum matrimonii consistit in contractu, explicandum est, *quomodo in hoc contractu inveniatur materia et forma sacramenti,* de qua quaestione ecclesia nihil definivit, et sunt diversae opiniones theologorum.

337. **Prob. pars I.** *Sacramentum matrimonii est ipse contractus matrimonialis christianorum,* non benedictio sacerdotalis.

a) Secundum S. Paulum ibi est sacramentum magnum inter christianos, ubi verificatur illud: «Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una» (Eph 5, 31). Atqui hoc verificatur in ipso contractu matrimoniali sine ulla benedictione sacerdotali. Ergo ipse contractus est sacramentum. Con-

sequenter si christiani ineunt matrimonium, volunt id, quod a Christo evectum est ad dignitatem sacramenti, neque possunt velle efficaciter unum sine altero.

b) Idem patet ex declarationibus summorum pontificum. *Innocentius III:* «Cum ad matrimonium sufficiat solus consensus illorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur . . .» (*Denz.* n. 404). *Eugenius IV:* «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus» (*Denz.* n. 702). *Pius IX:* Haereticum est dicere matrimonium esse civilem tantum contractum, «cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis, a Christo Domino institutum; ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum . . . ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse» (*Denz.* n. 1641). Ex propositione 73 Syllabi patet «aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur» (*Denz.* n. 1773). *Leo XIII:* «Neque quemquam moveat illa tantopere a regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. Etenim non potest huiusmodi distinctio seu verius distractio probari, cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo factus sit iure. . . . Itaque apparet . . . nihil magis abhorrere a veritate quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat» (*Denz.* n. 1854).

Idem efficitur ex doctrina *concilii tridentini* sess. 24, c. 1 de reform. matr.: «Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, qui ea vera et rata esse negant». . . . Matrimonia clandestina ea dicuntur, quae facta non sunt coram parocho et testibus, ergo etiam sine benedictione sacerdotali. Haec igitur per se sunt vera et rata. Ratum vocatur matrimonium, quod est simul sacramentum. Concilium autem statuit, ut in futurum essent invalida matrimonia, quae non fierent coram parocho; et de parocho ait: «Parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris . . ., vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.» Si haec verba essent forma sacramenti, non ita relinquerentur hominum arbitrio vel consuetudini. Ceterum, ut testatur *Martène,* haec verba: ego vos coniungo . . .

in antiquis ritualibus numquam inveniuntur, sed sunt recentioris originis (De antiq. eccl. rit. l. 1, c. 9, a. 3, n. 6).

338. **Prob. pars II.** *Matrimonium perficitur per verba de praesenti,* non per actum coniugalem. Hoc satis quidem patet ex praecedentibus, sed etiam aliis argumentis probatur. Nam teste S. Scriptura b. virgo Maria non obstante virginitate vero matrimonio iuncta erat cum S. Ioseph (Mt 1, 16 20). Nec obstat, quod vocatur «desponsata uxor» (Lc 2, 5); nam in vetere testamento desponsatio erat verus contractus matrimonialis (Dt 22, 23 sqq). Verum matrimonium fuisse inter Mariam et Ioseph SS. Patres saepe dicunt, qui ea occasione efferunt matrimonium constitui contractu, non consummatione. *S. Ambrosius:* «Cum initiatur coniugium, tum coniugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur» (De inst. virg. c. 6, n. 42). *S. Augustinus:* «Quibus placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos vinculum coniugale rumpatur; immo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide desponsationis; nec perierat nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio» (De nupt. et concup. l. 1, n. 12). Similiter alii Patres.

Idem efficitur ex declarationibus summorum pontificum. *Nicolaus I:* Ad matrimonium sufficit «eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Ioanne Chrysostomo, magno doctore, testante, qui ait: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas» (*Mansi,* Collect. conc. XV 403; cf. *Denz.* n. 334). *Alexander III:* «Si inter virum et mulierem legitimus consensus . . . interveniat de praesenti, ita quidem, ut unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: Ego te accipio in meam, et ego te accipio in meum, sive sit iuramentum interpositum sive non, non licet mulieri alii nubere. Et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli» (*Denz.* n. 397).

Idem concluditur ex doctrina *Concilii tridentini* sess. 24, can. 4: «S. q. d. matrimonium ratum, non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.» (*Denz.* n. 976). Ergo sacramentum matrimonii exsistit ante consummationem; nam matrimonium ratum est sacramentum matrimonii, ut ait *Innocentius III:* «Etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum exsistit, quia sacramentum fidei

[baptisma], quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum» (*Denz.* n. 406).

Inter theologos scholasticos de hac re est perfectus consensus, ut ait *Bellarminus:* Theologi catholici «omnes in eo conveniunt, quod copula non sit pars essentialis, et propterea matrimonium totum et plenum quantum ad partes essentiales inveniatur in contractu per verba de praesenti» (De matrim. c. 5).

339. **Prob. pars III.** *Materia et forma sacramenti matrimonii consistit in verbis, quibus consensus exprimitur.* Haec pars sua sponte fluit ex duabus prioribus partibus. Nam ipsum matrimonium evectum est ad dignitatem sacramenti; matrimonium autem est ipse contractus; ergo contractus matrimonialis in se continet materiam et formam, quibus perficitur sacramentum. Sed quaeritur, quomodo in contractu matrimoniali inveniatur materia et forma.

Vazquez ait: Materia sunt corpora contrahentium, verba autem consensus sunt forma (De matrim. disp. 3, c. 5, n. 53). Attamen corpora contrahentium sunt quidem *materia, circa quam* fit contractus, non autem sunt *materia ex qua* constituitur contractus et sacramentum. Nam in nullo contractu res externa, de qua fit contractus, intrinsecus constituit contractum, sicut e. g. ager non intrinsecus constituit contractum venditionis.

Catharinus censet naturalem contractum esse materiam, formam vero consistere in verbo Dei, quo sanctificatus sit hic contractus: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem . . . (De matrim. q. 1). Attamen in sacramentis forma consistit in verbis, quae a ministris humanis proferuntur, non in verbis, quibus Deus olim instituit rem sacramentalem.

Navarrus (Azpilcueta) vult internum consensum esse materiam, verba quibus consensus exprimitur esse formam (Manuale confessar. c. 22, n. 20). Attamen consensus internus est aliquid insensibile, materia autem debet esse res sensibilis; neque consensus per verba determinatur, ut materia per formam, sed solum manifestatur. Neque vice versa potest consensus internus dici forma, qua determinentur verba ut materia; neque enim forma sacramenti potest esse res insensibilis.

Communior sententia haec est: In matrimonio ut in omni contractu distinguitur oblatio et acceptatio, ut oblatio sit res determinabilis, acceptatio autem res determinans; oblatione contractus incohatur, acceptatione perficitur. In qua distinctione non temporis sed significationis differentia respicienda est. Itaque etsi ambo contrahentes simul verba pronuntiarent, tamen distinctio oblationis et acceptationis maneret. Et uterque quidem et offert alteri ius in corpus suum, et acceptat ius in corpus alterius, ab eo oblatum. Ita docent *Suarez* (De sacram. in gen. disp. 2, sect. 1), *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 5, n. 5), alii multi. *Benedictus XIV* in brevi «Paucis abhinc hebdomadis» die 19 Martii 1758 ait: «Legitimus contractus materia insimul et forma est sacra-

menti matrimonii, mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio forma.»

340. *Obi. I.* Sacramentum est signum gratiae. Atqui verba: Ego te accipio in meam; ego te accipio in meum, quibus contractus matrimonialis perficitur, non significant gratiam. Ergo contractus matrimonialis non est sacramentum, neque illa verba sunt materia et forma.

Resp. *Dist. mai.:* Sacramentum est signum naturale gratiae, *neg. mai.;* est signum ex institutione, *conc. mai. Dist. min.:* Illa verba naturaliter non significant gratiam, *conc. min.;* ex institutione divina, qua evecta sunt in signum sacrum, non significant gratiam, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Itaque Deus vult, ut verba contractus matrimonialis significent unionem Christi cum ecclesia, quae unio fit per gratiam; et sic significant gratiam.

341. *Obi. II.* Matrimonium est indissolubile. Atqui consensus matrimonialis, ad quem non accessit copula, potest dissolvi. Ergo consensus non est perfectum matrimonium.

Resp. *Dist. mai.:* Matrimonium est intrinsecus indissolubile, i. e. contrahentes non possunt rescindere contractum matrimonialem semel factum, *conc. mai.;* omne matrimonium est etiam extrinsecus indissolubile, ut per auctoritatem a Deo concessam non possit umquam dissolvi, *neg. mai.* De qua re postea. *Dist. min.:* Matrimonium non consummatum intrinsecus est dissolubile, *neg. min.;* est in certis condicionibus per externam auctoritatem dissolubile, *conc. min.* Et *neg. conseq.,* nisi quis velit illud tantum matrimonium vocare perfectum, quod nulla ratione solvi potest; sed hic modus loquendi est ambiguus et inusitatus.

342. *Obi. III.* Matrimonium consistit in eo, quod per consensum promittitur. Atqui promittitur copula. Ergo matrimonium consistit in copula.

Resp. *Negandum est totum,* etsi hoc argumentum a quibusdam canonistis propositum est. Nam matrimonium non consistit in eo, quod contrahentes aliquid in futurum promittunt, sed in eo, quod sibi in praesenti dant ius ad copulam. Hoc ius manet, etsi eo nolunt uti. Immo etiamsi coniuges voto firmarent propositum non utendi hoc iure, maneret tamen ius, et si eo uterentur, non esset fornicatio sed peccatum contra religionem. Quod interdum dicunt scholastici contractum matrimonialem esse consensum in copulam implicite, non explicite, nihil aliud est nisi esse consensum in ius, non necessario in usum iuris, ut explicat *S. Thomas* (Supplem. q. 48, a. 1).

Schol. Quae matrimonia sint sacramentum.

343. a) Varia sunt matrimonia, de quibus dubitari potest, utrum habeant rationem sacramenti necne. Imprimis constat quidem *matrimonium inter eos, qui non sunt baptizati, non esse sacramentum stricte dictum,* quia soli baptizati possunt recipere alia sacramenta. Num vero illud matrimonium sit saltem *sacramentum late dictum,* i. e. signum sacrum pure theoreticum, non convenit inter theologos. Multi negant

cum *S. Thoma* (1, 2, q. 102, a. 5 ad 3; Supplem. q. 42, a. 2). Alii affirmant, ut *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 8). Affirmanti sententiae favent plures summi pontifices. *Innocentius III:* «Cum sacramentum matrimonii apud fideles et infideles exsistat . . .» (*Denz.* n. 407). *Honorius III:* «Coniugii sacramentum, quod cum non solum apud latinos et graecos sed etiam apud fideles et infideles exsistat . . .» (Decret. l. 1, tit. 36, c. 11). Provocans ad utrumque Leo XIII in encycl. «Arcanum divinae sapientiae» die 10 Febr. 1880: «Cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventicium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum sed natura insitum. Quocirca Innocentius III et Honorius III, decessores nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt apud fideles et infideles exsistere sacramentum coniugii». Idem iam dixerat *S. Leo M.:* «Societas nuptiarum ita ab initio constituta est, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et ecclesiae sacramentum» (Ep. 167 ad Rust. Narb. inquis. 4). Itaque affirmans sententia meliore auctoritate fulcitur.

b) *Num matrimonium infidelium fiat sacramentum stricte dictum, si baptizantur.* Quidam theologi absolute negant, ut *Vazquez* (De sacram. in gen. disp. 138, c. 5; De matrim. disp. 2, c. 10) et multi thomistae, quia contractus praeteritus, qui non fuit sacramentum, non videtur postea fieri posse sacramentum, cum illud signum sensibile non iam exsistat. Quare alii dixerunt tale matrimonium fieri sacramentum, quando coniuges post baptismum renovent consensum. Ita *Capreolus* (In 4, dist. 26, q. 1, a. 3 ad 5) et alii thomistae, quia, inquiunt, renovatione consensus matrimonium fit plane indissolubile et perfecte repraesentat unionem Christi cum ecclesia. Alii autem dicunt renovationem consensus non requiri, sed matrimonium fieri sacramentum eo ipso, quod coniuges baptizentur. Ita *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 9, n. 5) et alii multi. Haec sententia videtur praeferenda. Nam inter ephesios, ad quos Paulus scribens laudat dignitatem matrimonii christianorum, erant sine dubio plurima matrimonia olim a gentilibus contracta. Praeterea ecclesia non novit matrimonium christianorum, quod non sit sacramentum. Neque probabile est Deum velle denegare gratiam sacramentalem coniugibus ad fidem conversis. Novus autem consensus non requiritur, quia ab ecclesia non postulatur, sed gentiles, quando baptismum recipiunt, eo ipso ostendunt se velle in futurum esse coniuges christianos; et sic per ipsum baptismum eorum matrimonium, quia fit plane indissolubile, accipit perfectam significationem unionis Christi cum ecclesia. Ergo quia non in contractu infidelium aliquid deerat, quin esset sacramentum, sed deerat ontologica condicio, i. e. character baptismalis, hac condicione posita consensus moraliter perseverans induit rationem sacramenti.

c) *Matrimonium baptizati cum non baptizata vel baptizatae cum non baptizato esse in baptizato vel baptizata sacramentum* negant multi

theologi, ut *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 8), quia contractus matrimonialis est unus numero; ergo si unus contrahentium est inhabilis ad contrahendum sacramentaliter, etiam alter est inhabilis ad taliter contrahendum. Nihilominus alii theologi affirmant, ut *Perrone* (De matrim. II, 306 sqq). Haec sententia videtur probabilior, quia si in uno contrahente adest obiectiva condicio, quae requiritur ad sacramentum, in altero autem deest, potest unus idemque contractus in uno habere effectum, quem in altero non habet, sicut etiam in matrimonio fidelium effectus gratiae in uno coniugum numero diversus est a gratia alterius coniugis; immo in uno potest adesse, in altero deesse.

d) *Matrimonium, quod inter fideles per litteras vel procuratores valide contrahitur, est etiam sacramentum.* Ita communissime docent theologi contra paucos dissentientes. Ratio est, quia inter christianos sacramentum non potest separari a contractu matrimoniali, ut vidimus. Quidquid igitur non repugnat validitati contractus, neque repugnat validitati sacramenti, quia sacramentum est ipse contractus (cf. Sexti Decret. l. 1, tit. 19, c. 9). Plura apud *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 11, n. 26).

PARS II.
DE VINCULO MATRIMONIALI.

Prop. XLI. Sacramentum matrimonii efficit vinculum inter coniuges intrinsecus plane indissolubile, quod ipsi ne ob adulterium quidem alterutrius coniugis solvere possunt.

344. ***Stat. quaest.*** Quatenus matrimonium est signum efficax gratiae, auget gratiam sanctificantem, quia est sacramentum vivorum. Si adest obex, sacramentum reviviscit obice remoto, quia sacramentum repeti non potest, et ex altera parte supponendum est Deum nolle coniuges privare gratia sacramentali, quando sunt bene dispositi. Quaestio, num hoc sacramentum per accidens primam gratiam dare possit, probabiliter affirmanda est, ut supra (n. 87) dictum est de confirmatione. Gratiae autem actuales huic sacramento annexae iuvant ad matrimonio honeste utendum, ad prolem bene educandam, ad fidelitatem coniugalem servandam, ad mutuum amorem fovendum, ut ex iis, quae hactenus dicta sunt, patet.

Praeter id, quod in matrimonio est sacramentum tantum, scilicet contractus, et id, quod est res tantum, scilicet gratia, tertium est, quod est *res et sacramentum,* scilicet vinculum coniugale, quod significatur per sacramentum et significat gratiam. De hoc igitur vinculo loquimur, et dicimus illud esse indissolubile, et ita quidem, ut coniuges ne ob adulterium quidem alterutrius contractum rescindere possint.

Protestantes docent matrimonium, etiam consummatum, ob adulterium solvi posse. Ita *Calvinus* (Instit. l. 4, c. 19, n. 37), *Lutherus,* alii, qui praeterea varias alias causas excogitaverunt, ob quas matri-

monium solvi possit. Item graeci et alii orientales docent solvi posse matrimonium ob adulterium (cf. *Bellarm.* de matrim. c. 15). Ecclesia vero catholica docet matrimonium ratum esse intrinsecus, matrimonium autem consummatum etiam extrinsecus prorsus indissolubile.

345. *Arg. 1.* Ex S. Scriptura.

S. Paulus docet: «Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego sed Dominus uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat» (1 Cor 7, 10). Ergo lege Christi matrimonium non potest solvi, quia, si coniuges illud solvere possent, etiam novum matrimonium inire possent. «Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. . . . Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro» (Rom 7, 2 sq).

Quando Dominus dedit illam legem? Quando pharisaei obiciebant ei Moysen dedisse permissionem dimittendi uxorem per libellum repudii. «Quibus respondens Iesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud. . . . Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur» (Mc 10, 2 sqq). Quia eadem doctrina aeque absolute proponitur apud Lucam (16, 18) et locis citatis S. Pauli, nulla exceptio debet admitti. Apud Matthaeum (19, 9; cf. 5, 32) quidem additur: «quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur». Ex illis verbis «nisi ob fornicationem» concludunt graeci non solum posse in casu adulterii dimitti mulierem, quod est verum, sed etiam posse solvi matrimonium, quod in textu non dicitur. Immo quia aliis locis dissolutio matrimonii absolute excluditur, etiam hic dimissio non potest exponi de solutione vinculi, sed de sola cessatione cohabitationis. Christus simpliciter aufert licentiam a Moyse propter duritiam cordis hebraeorum concessam, et indissolubilitatem matrimonii reducit ad primitivum statum paradisi. Verba igitur «nisi ob fornicationem» referuntur ad praecedentia: «Quicumque dimiserit uxorem suam», non ad sequentia «et aliam duxerit», ut ait *S. Hieronymus* in hunc locum: «Sic priorem iubetur dimittere uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.» Similiter plurimi alii Patres docent, graeci et latini.

346. *Arg. 2.* Ex doctrina SS. Patrum.

Hermas: «Quid . . . si uxor permanserit in libidine? Dimittat illam, inquit, et vir maneat secum; sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit» (Mand. 4, 6). *S. Iustinus M.:* «Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur» (Apol. I, n. 15). *Clemens Alex.:* Christus «legem statuit: Non dimittes uxorem praeterquam propter

fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separatis» (Strom. l. 2, c. 23). *Origenes:* «Quemadmodum adultera est uxor [propter fornicationem dimissa], etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamtum vivo, etiam et virum, repudiatam duxisse visum, non tam ipsius maritum quam adulterum esse a servatore nostro demonstratum est» (In Matth. tom. 14, n. 23). *S. Basilius:* «Non licet viro, uxore dimissa, aliam ducere; nec fas est repudiatam a marito ab alio duci uxorem» (Reg. 73, c. 2). *S. Ioannes Chrysost.:* «Mulier, inquit, alligata est legi. Oportet igitur, ut minime separetur vivente viro neque alium superinducat maritum neque secundas nuptias adeat.... Atque adeo, etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est» (Sermo de libello repudii; *M* PG 51, 218). Idem testantur scriptores latini incipiendo a *Tertulliano* (De monog. c. 9; De patientia c. 12; contra Marc. c. 4, n. 34). *S. Hieronymus* ait: «Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet» (Ep. 55, n. 3). *S. Augustinus:* «Quemadmodum igitur si dixerimus: Quicumque mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam duxerit, moechatur, procul dubio verum dicimus. Nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos esse minime dubitamus.... Sed si hoc evangelista Matthaeus, quia expressa una specie alteram tacuit, facit ad intellegendum difficile, numquid non alii generaliter id ipsum ita complexi sunt, ut de utroque posset intellegi? . . . Qui ergo nos sumus, ut dicamus: Est qui moechatur, uxore sua dimissa alteram ducens; et est qui hoc faciens non moechatur, cum evangelium dicat omnem moechari, qui hoc facit?» (De adult. coniug. l. 1, c. 9). Multa alia apud *Perrone* (De matrim. III, 243 sqq).

347. *Arg. 3.* **Ex constitutionibus ecclesiae.**

Concilium eliberitanum (a. 300) c. 9 statuit mulierem, quae adulterum maritum reliquerit, prohibendam esse sub poena negatae communionis, ne alterum ducat. *Concilium milevitanum II* (a. 416) can. 17 (potius *conc. carthag.* a. 407, can. 8): «Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.» Similiter alia concilia provincilia.

Nicolaus I ad quaestionem, num liceat ei, qui uxorem propter malum nomen impositum dimiserit, aliam ducere aut concubinam habere, i. e. mulierem inferioris condicionis neque omnibus iuribus matrimonialibus praeditam, respondet: «Quibus nos, apostolica auctoritate fulti, secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus, et nec alius uxoris copulam iis, qui talia agunt, dimissa superstite habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus» (*Mansi*, Collect.

conc. XV 343). *Innocentius III:* «Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. . . . Per hanc responsionem quorundam malitiae obviatur, qui in odium coniugum, vel quando sibi invicem displicerent, simularent haeresim, ut ab ipsa nubentibus coniugibus resilirent» (Decret. l. 4, tit. 19, c. 7). *Decretum pro armenis:* «Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit» (*Denz.* n. 702). *Concilium tridentinum* sess. 24, can. 5: «S. q. d. propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum, A. S.»; can. 7: «S. q. d. ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupsit, A. S.» (*Denz.* n. 975 977; cf. n. 1470).

Ecclesia quidem sibi adscribit ius solvendi in quibusdam casibus matrimonium ratum, non consummatum; at haec est dissolubilitas externa, non ex coniugum arbitrio pendens sed a Deo ecclesiae auctoritati commissa. Matrimonia autem rata et consummata ex nulla causa solvi possunt, ut constans ecclesiae doctrina et praxis testatur. Ita in cap. 1 2 et multis aliis locis libri tertii Decretalium, tit. 32 (cf. *Palmieri*, De matrim. 202 sqq).

348. *Arg. 4.* **Explicatio ex ratione theologica.**

a) *Matrimonium legitimum* est contractus, cuius essentiales proprietates lex naturalis determinavit. Atqui inter has qualitates est interna matrimonii indissolubilitas. Nam natura intendit talem contractum, vi cuius vir et mulier fiant principium aptum non simpliciter ad generandam prolem sed etiam ad educandam prolem et ad constituendam familiam, quae sit vehiculum transferendorum bonorum externorum, intellectualium, moralium in futuras generationes. Atqui si liceret matrimonium ex arbitrio coniugum solvere, haec intentio naturae aut totaliter aut saltem partialiter cassa fieret. Ergo matrimonium est naturaliter indissolubile. Quanta enim mala ex dissolutione matrimoniorum erumpant, ad oculos demonstratur in iis regionibus, in quibus leges civiles contra ius naturae divortia permiserunt. De qua re ait *Leo XIII* in encycl. «Arcanum divinae sapientiae»: «Simulac iter divortiis tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere, et tanta est vivendi turpitudo secuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti paenituerit. . . . Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere causas

ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset, coniunctionis maritalis vinculum, idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quam primum dari omnes iudicaverint oportere.« Itaque merito *Pius IX* damnavit hanc (67) propositionem Syllabi: «Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest» (*Denz.* n. 1767).

b) *Matrimonium ratum est magis indissolubile quam matrimonium legitimum tantum,* quia, etsi omne matrimonium est signum unionis Christi cum ecclesia, tamen haec unio perfectius repraesentatur per matrimonium ratum, quod est signum efficax gratiae, qua Christus unitur cum ecclesia et cum singulis iustis. Ideo potestas solvendi matrimonium, quam Deus in vetere lege concesserat, in nova lege plane sublata est.

c) *Etiam perfectior est indissolubilitas matrimonii, quod non est ratum tantum sed etiam consummatum,* quia hoc matrimonio non solum repraesentatur unio Christi cum iustis per gratiam, quae unio absolute solvi potest, sed etiam unio absolute indissolubilis Verbi divini cum humana natura. Haec unio repraesentatur per matrimonium consummatum, quo fideles coniuges non solum secundum ius sed etiam secundum actum fiunt una caro.

Ideo matrimonium legitimum tantum solvi potest per transitum alterius coniugis ad fidem, si alter manet in infidelitate. Matrimonium legitimum et ratum solvi potest per transitum ad professionem religiosam et ob alias causas ex auctoritate summi pontificis. Matrimonium legitimum, ratum, consummatum sola morte alterutrius coniugis solvitur. Haec postea accuratius exponenda et probanda sunt.

349. **Obi. I.** Finis naturalis matrimonii est, ut proles gignatur, ut coniuges sibi mutuum auxilium ferant, ut concupiscentia sedetur. Atqui hic finis interdum non obtinetur, ut, si uxor est sterilis, vel si alter coniux perpetuo morbo laborat. Ergo in his et similibus casibus matrimonium, ut est institutum naturale, solvi potest.

Resp. *De hac re est duplex theologorum sententia.* Quidam censent revera lege naturali assignari quasdam speciales rationes, ob quas matrimonium pure naturale solvi possit. Ita *Bellarminus* (De matrim. c. 4) et alii, qui indissolubilitatem in illis condicionibus repetunt solum ex mystica significatione matrimonio a Deo indita. Alii tamen theologi communius docent matrimonium etiam naturaliter esse indissolubile. Ita *S. Thomas* (Supplem. q. 67, a. 1; Contra gent. l. 3, c. 123), *Tanner* (De matrim. disp. 8, q. 5, dub. 1, n. 1), alii. Ratio est, quia bonum commune praefertur bono individuorum. Atqui bonum commune postulat, ut matrimonium sit in omni condicione intrinsecus indissolubile. Nam si in hac gravissima re libidini hominum aliqualis libertas permissa esset, pessima inde incommoda manarent, quia sagacitati libidinosae non deessent viae detegendi vel adducendi eas circumstantias, in quibus matrimonii solutio rationabilis esse videretur.

350. *Obi. II.* Deus legibus positivis non dispensat in lege naturali. Atqui Deus in vetere lege dispensavit ab indissolubilitate matrimonii concedendo libellum repudii (Dt 24, 1 sqq). Ergo indissolubilitas matrimonii non est praeceptum legis naturalis.

Resp. Dist. mai.: Deus non dispensat in praeceptis primariis legis naturalis, *conc. mai.;* non potest dispensare in praeceptis secundariis, *neg. mai. Conc. min. Dist. conseq.:* Indissolubilitas in certis quibusdam condicionibus non est primarium praeceptum legis naturalis, *conc. conseq.;* non est secundarium praeceptum legis naturalis, in quo Deus dispensare potest, *neg. conseq.*

Primaria praecepta legis naturalis sunt ea, quorum contrarium essentialiter et in omni condicione habet innatam turpitudinem. Tale praeceptum est amandi Deum, quare Deus sub nulla condicione permittere potest, ut aliquis homo Deum odio habeat. Similiter praeceptum primarium legis naturalis est, quo interdicitur, ne coniuges sine speciali ratione pro suo arbitrio matrimonium solvant, quia hoc maxime noceret bono communi, et esset permissio vagi concubinatus.

Secundaria praecepta sunt, quorum contrarium ita inhonestum est, ut sub certis condicionibus haec inhonestas possit removeri saltem per auctoritatem Dei. Ita inhonestum est bona aliena auferre, quia bonum commune perturbaretur, si hoc generatim liceret. Si tamen Deus in speciali casu daret licentiam id faciendi, cessaret inhonestas, quia omnia bona sunt Dei, de quibus ipse potest disponere pro sapientia sua.

Similiter secundarium praeceptum legis naturalis est non licere coniugibus, ne ob speciales quidem rationes, matrimonium solvere, quia hoc obstat bono communi. Sed si Deus permittit ob speciales rationes solutionem matrimonii, cessat inhonestas, quia Deus potest providere, ne ex hac permissione bonum commune detrimentum capiat (cf. *S. Thomas* 1, 2, q. 100, a. 8). Talem igitur permissionem dedit Deus in vetere lege. Sunt quidem theologi, qui hoc negant, ut *S. Bonaventura* et alii, qui censent solum concessam fuisse immunitatem a poena legis, etsi fuerit peccatum. Sed quia Christus diserte dicit: «Moyses permisit dimittere uxores» (Mt 19, 8), et quia hebraei verba legis sic intellegebant et aliter intellegere non poterant, cum *S. Thoma* (Supplem. q. 67, a. 3) et aliis dicendum videtur vere datam fuisse permissionem sub quibusdam condicionibus solvendi matrimonium. Fuit quidem «duritia cordis» ratio dandi permissionem, sed permissione a Deo data cessabat ratio peccati. Hebraei iam antea coeperant dimittere uxores. Deus igitur, ne haec agendi ratio in effrenatam licentiam degeneraret, lege modum apposuit et rem difficiliorem reddidit. S. Scriptura non indicat, quae formalitates servandae fuerint in dando libello repudii. Si posterioribus iudaeis fidem habere licet, erant satis molestae et intricatae (cf. *Calmet,* In Deut. 24, 3).

351. *Obi. III.* Olim episcopi quidam permiserunt soluto coniugio, etsi forte non mulieri, saltem viro, novum matrimonium inire (cf. *Perrone,* De matrim. III, 359 sqq). Ergo doctrina de indissolubilitate matrimonii non semper erat in ecclesia.

Resp. Dist. antec.: Ita quidam episcopi egerunt, coniventes legibus civilibus, *conc. antec.;* servantes doctrinam ecclesiae, *neg. antec.*

Origenes: «Contra Scripturae legem vivente viro nubere quidam ecclesiae rectores permiserunt. . . . Non omnino tamen permiserunt sine ratione; haec enim contra legem ab initio latam et scriptam ad vitanda peiora, alieno arbitrio morem gerentes, eos permisisse verisimile est» (In Matth. tom. 14, n. 23). *S. Ioannes Chrysost.:* «Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit» (Sermo de lib. repud.; *M* PG 51, 219). *S. Gregorius Naz.* vocat legem illam civilem «iniquam nec sibi constantem. Quid enim causae fuit, cur mulierem coercerent, marito contra indulgerent eumque liberum relinquerent. . . . Hanc legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minime laudo. Viri erant, qui hanc legem sanxerunt, ac propterea adversus mulieres lata est» (Orat. 37, n. 6; *M* PG 36, 290). *S. Hieronymus:* «Aliae sunt leges caesarum et aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit. . . . Apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari condicione censetur» (Ep. 77, n. 3). Haec et alia in thesi allata satis ostendunt, quae sit doctrina ecclesiae.

Prop. XLII. Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, quando altero coniuge manente in infidelitate alter ad fidem convertitur.

352. ***Stat. quaest.*** Agendum est de dissolubilitate matrimonii externa, quae lege divina positiva immediate vel mediate statuta est. Imprimis igitur in favorem fidei a Deo concessum est privilegium, quod, quia per S. Paulum promulgatum est, vocari solet *privilegium paulinum.* Consistit autem in hoc, quod, si ex duobus coniugibus infidelibus alter convertitur, hic potest inire novum matrimonium, si pars infidelis aut omnino non iam vult cohabitare aut non «sine iniuria creatoris», sed solum ita, ut pars fidelis exponatur periculo perversionis. Haec res docetur quidem a S. Paulo; sed quomodo verba apostoli intellegenda sint, praecipue patet ex doctrina et praxi ecclesiae.

353. ***Arg.*** *1.* **Ex S. Scriptura.**

S. Paulus haec scribit: «Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quodsi discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. . . . Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus» (1 Cor 7, 10 sqq). Atqui hac ultima sententia apostolus docet licere coniugi fideli solvere matrimonium cum parte infideli, quae non vult cohabitare, et inire novum matrimonium.

Prob. min. Nam tres casus distinguit apostolus: 1) Fideles coniuges non possunt matrimonium suum solvere, quia obstat praeceptum divinum.

Si nolunt cohabitare, debent caelibem vitam agere. 2) Si altera pars facta est fidelis, altera mansit infidelis, sed vult cohabitare cum parte fideli, apostolus dicit se non habere de hac re praeceptum divinum, sed se dare consilium, ut pars fidelis maneat cum infideli. Quia est consilium, potest quidem pars fidelis relinquere infidelem, sed non potest inire novum matrimonium. Ita haec verba explicant *S. Augustinus* (De adult. coniug. l. 1, c. 13; c. 25, n. 31), *Petrus Lombardus* (Sent. l. 4, dist. 39, n. 7), *S. Thomas* (Supplem. q. 59, a. 5), alii. Quidam putant etiam in hoc casu licere fideli novum matrimonium inire, ut *Bellarminus* (De matrim. c. 12) et alii; sed hoc melius negatur fieri posse vi solius privilegii paulini, quia apostolus hoc solum videtur concedere in casu discessionis partis infidelis. 3) Si infidelis non vult cohabitare, apostolus dicit: «discedat»; i. e. per hoc nihil nocet fideli; «non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus». Aliis verbis: In hoc casu pars fidelis habet privilegium rumpendi ligamen matrimonii, quod est in tali condicione servitus quaedam, cui Deus fideles non subiecit. Hoc privilegium non consistit in separatione a cohabitatione, quia haec supponitur iam effecta ab infideli, et hanc separationem apostolus etiam permittit in secundo casu. Ergo intellegitur de solutione vinculi matrimonialis. Ratio solvendi matrimonium est, quia infidelis non vult cohabitare; hoc autem fieri potest aut physice, si infidelis discedit, aut moraliter, si impia sua agendi ratione reddit cohabitationem impossibilem. In neutro causu fidelis servituti subicitur, sed liber est et pace fruitur.

354. *Arg. 2.* **Ex legislatione ecclesiae.**

Innocentius III: «Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vero nullo modo vel saltem non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intellegimus, quod ait apostolus: Si infidelis discedit. . . . Et canonem etiam, in quo dicitur: Quod contumelia creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur» (*Denz.* n. 405). Canon, qui citatur, est in Decreti Parte II, causa 28, q. 28, can. 2; et sumptus est ex *Ambrosiastro* in 1 Cor 7, 15: «Contumelia enim creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. . . . Itaque non est ei fides servanda coniugii, qui propterea recessit, ne audiret auctorem esse christianorum Deum coniugii» (*M* PL 17, 219).

Hoc privilegium concessum esse iure divino docet *congregatio s. officii* die 11 Iulii 1886: «Supra scripta postulata intellegi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per apostolum Paulum 1 Cor 7, 12 sqq promulgato. Hoc divinum privilegium in eo consistere. . . .» Eadem congregatio die 5 Aug. 1759 declaravit privilegium etiam tum valere, cum pars infidelis prius pacifice cohabitaverit, sed dein non iam velit ita cohabitare.

Quia apostolus loquitur de infideli, qui non vult cohabitare, mens infidelis de hac re exquirenda seu *interpellanda est pars infidelis,* ut pluries declaravit *s. congregatio de propaganda fide,* e. g. die 5 Martii 1816 ad dubium: «Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum et ab apostolo promulgatum interpellatio partis in infidelitate permanentis sit de iure divino atque adeo necessaria, ut ea neglecta nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus? . . .» Responsum est: «Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti in casu, de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta legitimis ex causis super interpellatione apostolica dispensatione.» *Gregorius XIII* die 25 Ian. 1585 episcopis, parochis, missionariis in Angola, Aethiopia, Brasilia degentibus dedit facultatem dispensandi ab hac interpellatione et permittendi fidelibus, ut responso infidelis minime exspectato novum matrimonium cum fideli inirent.

Itaque ex his et aliis decretis constat ex mente ecclesiae privilegium paulinum ita intellegendum esse, ut pars fidelis possit inire novum matrimonium, si pars infidelis nolit pacifice cohabitare. Neque igitur per baptismum alterutrius partis prius matrimonium solvitur, sed per novum matrimonium, quod pars fidelis init cum fideli; cum, ut ait *Innocentius III,* «per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur» (*Denz.* n. 407). Nihilominus sola fides non sufficit, ut quis privilegii particeps fiat, sed requiritur baptismus, ut declaravit s. congregatio de prop. fide (*Perrone,* De matrim. II 319). Baptismus autem validus semper sufficit, ut quis privilegii particeps fiat, etiamsi suscipitur in secta haeretica. Ita docent *Ballerini* (Opus morale VI, n. 718 sqq), *Palmieri* (De matrim. thes. 27), *Lehmkuhl* (Theol. mor. II[11], n. 925 nota), alii, etsi quidam theologi contradicunt. Ratio est, quia inter omnes baptizatos matrimonium maiorem firmitatem habet, quam matrimonium legitimum tantum; ergo infirmius vinculum cedit firmiori vinculo.

355. *Obi. I.* Si ex verbis Pauli colligitur privilegium in favorem fidei, etiam colligitur privilegium in favorem infidelitatis; nam soluto priore matrimonio potest etiam infidelis novum matrimonium inire. Atqui hoc non est admittendum. Ergo verba Pauli non possunt ita explicari.

Resp. *Neg. mai.* Nam etsi soluto priore matrimonio etiam infidelis potest novum matrimonium inire, tamen ei privilegium concessum non est, neque ab eius voluntate pendet, ut possit novum matrimonium inire; sed totum concessum est in favorem fidei, ne quis respectu prioris matrimonii retrahatur a fide suscipienda. Itaque privilegium est penes fidelem. Si hic non vult novum matrimonium inire, neque infidelis novum matrimonium valide inire potest; si vero fidelis vult prius matrimonium solvere, consequenter etiam infidelis est solutus.

356. *Obi. II.* Summi pontifices saepius practice ostenderunt se habere potestatem solvendi matrimonium legitimum, si alterutra pars ad fidem

convertitur. Ita *Urbanus VIII* die 20 Oct. 1626 et 17 Sept. 1627 declaravit: «Huiusmodi infidelium matrimonia non ita firma censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint.» Et revera plura facta pontificia nisi supposita tali potestate explicari non possunt (cf. Praelect. dogm. VII, n. 794 sqq; *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[11], n. 929 sqq). Atqui si summus pontifex habet talem potestatem, privilegium paulinum superfluum est. Ergo non est admittendum.

Resp. *Conc. mai. Neg. min.* Nam pro impetranda dispensatione recurrendum est ad summum pontificem, quod saepe difficile et taediosum est. Si vero adest privilegium divinum, fidelis potest sine ulteriore dispensatione ab infideli recedere et novum matrimonium inire, quando infidelis non vult pacifice cohabitare.

357. *Obi. III.* Si privilegium illud concessum est in favorem fidei, possunt etiam coniuges baptizati matrimonium solvere, si alterutra pars fit infidelis et non iam vult pacifice cohabitare. Atqui sic plurima matrimonia solvi possent, quod non videtur concedendum. Ergo in favorem fidei matrimonia numquam solvi possunt.

Resp. *Nego maiorem et paritatem.* Quaestionem iam solvit *Innocentius III,* qui post verba supra (n. 354) citata pergit: «Si vero alter fidelium coniugum vel labatur in haeresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia creatoris. Nam etsi matrimonium verum quidem inter infideles exsistat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum quidem et ratum exsistit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret» (*Denz.* n. 406).

Prop. XLIII. Matrimonium ratum non consummatum per professionem religiosam alterutrius coniugis solvitur; et etiam ex aliis iustis causis auctoritate summi pontificis solvi potest.

358. ***Stat. quaest.*** Prior pars thesis definita est ab ecclesia. Sensus est: Statim si coniux valide emittit professionem religiosam seu vota sollemnia in instituto religioso ab ecclesia approbato, solvitur matrimonium ratum, licet forte alter coniux sit invitus et repugnet. Haec doctrina per multa saecula practice tantum viguit in ecclesia; et solum cum saeculo XVI orta esset oppositio contra eam, ab ecclesia definita est.

Altera pars olim a quibusdam theologis negabatur, ut a *Dom. Soto* (In 4, dist. 27, q. 1, a. 4), a *Sylvio, Tournely,* aliis. Nunc ab omnibus theologis ut certa admittitur propter constantem praxim sedis apostolicae.

359. **Prob. pars I.** *Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem religiosam.* SS. Patres laudant S. Theclam, quod nuptiis initis sponsum reliquit, ut virginitatem suam Deo voveret. Ita *S. Ambrosius:* «Thecla doceat immolari, quae copulam fugiens

nuptialem et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit» (De virg. l. 2, c. 3, n. 19). Similiter dicit *S. Epiphanius* (Haer. 78, n. 16). Idem de duobus aulicis testatur *S. Augustinus* (Conf. l. 8, c. 6, n. 15), de S. Leobardo *Gregorius Turonensis* (De vitis Patrum c. 20), de Edildrida regina *S. Beda* (Hist. Angl. l. 4, c. 19). Haec facta et modus, quo Patres de iis loquuntur, ostendunt in ecclesia fuisse persuasionem matrimonium solvi inito statu religioso.

Idem postea summi pontifices statuerunt. *Alexander III:* «Post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire, quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere» (*Denz.* n. 396). *Innocentius III:* «Nos nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum reliquo etiam inconsulto ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ipsum tibi consulimus observandum» (*Denz.* n. 409).

Concilium tridentinum sess. 24, can. 6 definivit: «S. q. d. matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.» (*Denz.* n. 976). Ex hoc canone difficultas oritur, quod ex una parte concilium videtur statuere immutabile ius divinum, ex altera parte certum est sollemnitatem professionis esse ex sola constitutione ecclesiae, ut declaraverunt *Bonifatius VIII* (Sexti decret. tit. 15) et *Gregorius XIII* in bulla «Ascendente Domino». Haec difficultas sic solvenda videtur: Deus vult, ut in ecclesia sit status religiosus perfectus, et ut professio religiosa in tali statu solvat matrimonium ratum. Sed quid requiratur, ut sit status religiosus perfectus, et ut professio sit sollemnis, Deus reliquit determinationi ecclesiae. Hinc fieri potest, ut aliis temporibus alia requirantur ad sollemnem professionem. Ut igitur certa quaedam professio religiosa solvat matrimonium ratum, est proxime ex iure ecclesiastico, ultimatim ex iure divino. Sunt tamen de hac re variae sententiae theologorum. Ita *S. Thomas* (Supplem. q. 53, a. 2; q. 61, a. 2), *Bellarminus, Sylvius,* alii docent iure naturali solvi matrimonium per professionem religiosam, *Sanchez* (De matrim. l. 2, disp. 19, n. 3) et alii docent solvi iure divino positivo; *Suarez* (De relig. l. 9, c. 33, n. 20) et alii multi proponunt explicationem supra datam. Professio religiosa non absolute pugnat cum matrimonio; nam potest aliquis consentiente coniuge post matrimonium consummatum facere professionem religiosam, ut sit simul matrimonio iunctus et religiosus. Potest etiam summus pontifex ex iusta causa dispensare, ut quis post professionem religiosam

ineat matrimonium. Ergo tota haec res non est plane independens a potestate summi pontificis. Sic etiam facile explicatur, cur sacri ordines et vota simplicia non solvant matrimonium, quod solverent, si ecclesia ita statueret.

360. **Prob. pars II.** *Matrimonium ratum ex iustis causis auctoritate summi pontificis solvi potest.* Haec potestas fundatur verbis Christi ad Petrum: «Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis» (Mt 16, 19). His enim verbis data est omnis potestas, quae conveniens est fini ecclesiae. Saepe quidem a priori determinari nequit cum certitudine, utrum fini ecclesiae conveniat haec vel illa potestas necne. Sed hoc dubium tollitur, si ecclesia suo agendi modo ostendit talem potestatem sibi convenire; id quod fecit in re, de qua agitur. Probatur igitur thesis hoc modo: Romani pontifices habent eam potestatem, quam multis factis ostenderunt se habere. Atqui saepe romani pontifices solverunt matrimonium ratum. Ergo hanc potestatem habent.

Prob. min. Martinus V et *Eugenius IV* hac potestate usi sunt teste *S. Antonino* (Summa theol. Pars 3, tit. 1, c. 21), *Paulus III* et *Pius IV* teste *Navarro* (Enchir. confess. c. 22), *Clemens VIII, Urbanus VIII, Gregorius XIII* teste *Benedicto XIV,* qui hanc conclusionem facit: «Nullam de potestate summi pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo, quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas et in praxi recepta, uti notorium est» (Quaest. can. q. 479; cf. q. 108 et q. 546, n. 36). *Perrone* ait: «Ego quoque certo novi plures eiusmodi dispensationes factas fuisse ab insequentibus pontificibus, *Pio VII, Gregorio XVI, Pio IX,* ut omittam non paucas resolutiones congregationum concilii et s. inquisitionis de petenda a pontifice dispensatione illis in causis, in quibus casus iste agitatus est» (De matrim. III 509).

361. **Obi. I.** *S. Gregorius M.* ait: «Si dicunt religionis causa coniugia debere dissolvi, sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, divina tamen prohibuit» (Ep. l. 11, ep. 45; *M* PL 77, 1161). Idem docet *Alexander III* (Decret. l. 3, tit. 32, c. 1). Ergo professione religiosa matrimonium non solvitur.

Resp. *Conc. antec. Dist. conseq.:* Professione religiosa non solvitur matrimonium ratum, *neg. conseq.;* non solvitur matrimonium consummatum, *conc. conseq.* Uterque pontifex loquitur diserte de matrimonio, quo coniuges una caro facti sunt, seu de matrimonio consummato. Alexander III l. c. c. 2 docet matrimonium ratum solvi professione religiosa, ut supra (n. 359) audivimus.

362. **Obi. II.** Christus de matrimonio dixit: «Quod Deus coniunxit, homo non separet» (Mt 19, 6). Ergo potestas solvendi Petro data (Mt 16, 19) ad matrimonium non extenditur. Secus posset ecclesia etiam matrimonia consummata solvere.

Resp. *Dist. antec.:* Sensus verborum Christi est, non posse homines privata sua auctoritate solvere matrimonium, *conc. antec.;* Christus illis verbis vult quidquam statuere de potestate, quam ecclesiae daturus est, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Ecclesia eam potestatem habet, quam ostendit se habere; ostendit autem se habere potestatem solvendi matrimonium ratum, non vero consummatum.

363. **Obi. III.** Supra (n. 348*a*) dictum est ex solubilitate matrimonii emanare pessimos effectus. Atqui hac thesi statuitur solubilitas matrimonii. Ergo aut una aut altera thesis est falsa.

Resp. *Dist. mai.:* Supra diximus pessimos futuros esse effectus, si homines possent suo arbitrio solvere matrimonia, *conc. mai.;* si Deus statuit auctoritatem, quae potest in certis condicionibus et ex iustis causis matrimonium non consummatum solvere, *neg. mai.* *Dist. min.:* Hic statuimus solubilitatem matrimonii, quam supra reiecimus, *neg. min.;* plane diversam, *conc. min.* Et *neg. conseq.* Nullum periculum matrimonio imminet inde, quod summus pontifex ex iustis causis solvit matrimonium aliquod non consummatum.

364. **Obi. IV.** Ante Martinum V summi pontifices nullo indicio significarunt se posse matrimonium ratum solvere. Ergo haec potestas saeculo XV inventa est.

Resp. *Trans. antec.* *Neg. conseq.* Nam potest esse potestas in ecclesia, cuius usus non apparet nisi posterioribus saeculis, quia disciplina ecclesiastica suas evolutiones pro temporum varietate habet. Ceterum antecedens argumenti minime certum est; nam e. g. *Baronius* ad a. 1074 narrat *Gregorium VII* dispensasse in matrimonio rato. *Alexander III* de muliere, quae post matrimonium ratum alii nupserat et cum eo matrimonium consummaverat, rescripsit quidem eam debere ad priorem virum redire, sed addidit: «quamvis a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliter iudicatum» (Decret. l. 4, tit. 4, c. 3). Ex quibus verbis duas conclusiones facere licet: a) non omnia scripta esse, quae facta sunt a summis pontificibus, quia nescimus, de quibus iudiciis loquatur Alexander III; b) quosdam priores pontifices iudicasse matrimonium ratum posse solvi, certe non ab ipsis coniugibus, ergo auctoritate summi pontificis. Alia vide apud *Perrone,* De matrim. III, 520 sqq.

PARS III.
DE UNITATE MATRIMONII.

Prop. XLIV. Polygamia simultanea lege divina excluditur, polygamia autem successiva permittitur.

365. ***Stat. quaest.*** Alter effectus sacramenti matrimonii est, ut coniuges inhabiles reddat ad matrimonium contrahendum cum aliis personis, quamdiu prius matrimonium perdurat. Unio unius cum pluribus vocatur *polygamia,* quae est *simultanea,* si manente priore vinculo simul alterum matrimonium contrahitur; est autem *successiva,* si soluto priore vinculo novum matrimonium initur. Dicimus igitur secundum

ius divinum, quod Christus docuit, excludi polygamiam simultaneam, permitti polygamiam successivam.

Prior pars thesis nunc ab omnibus fere admittitur, qui christiano nomine gloriantur, etsi *Lutherus* aliter docuit (cf. *Bellarm.,* De matrim. c. 10). Alteram partem thesis olim negabant *montanistae* et *novatiani;* et apud orientales olim saltem tertiae et quartae nuptiae interdicebantur, nostra autem aetate etiam in his dant episcopi orientales dispensationem, si petitur. Utraque pars thesis est certa et prior expresse definita.

366. **Prob. pars I.** *Polygamia simultanea lege divina excluditur.*

a) Christus dixit: «Non legistis, quia qui fecit hominem, masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una? Itaque iam non sunt duo sed una caro» (Mt 19, 4 sqq). Ergo secundum legem, quam Christus docuit, duo, non plures, in matrimonio fiunt una caro. Praeterea dixit: «Dico vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam ... et aliam duxerit, moechatur» (Mt 19, 9; cf. supra n. 345). Ergo ducta prima uxore matrimonium attentatum cum secunda muliere est invalidum; alioquin non committeretur adulterium. Etiam apostolus, de matrimonio loquens, semper unum et unam commemorat (Rom 7, 2. 1 Cor 7, 10 sq. Eph 5, 31).

b) Idem docent SS. Patres. *S. Theophilus Antioch.:* «Apud christianos ... monogamia servatur» (Ad Autol. l. 3, n. 15). *Athenagoras:* «Quicumque dimiserit, inquit, uxorem suam et aliam duxerit, moechatur, nec eam dimitti sinens, cuius virginitati quis finem imposuit, nec aliam insuper ducere» (Legatio pro christ. n. 33). *Clemens Alex.:* «Dominus, dum vetera renovat, non amplius concedit polygamiam ... sed monogamiam» (Strom. l. 3, c. 12). *S. Ambrosius:* «Non licet tibi uxore vivente uxorem ducere; nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, est adulterium» (De Abraham l. 1, c. 7). Similiter alii Patres et theologi omnes, ut *S. Thomas* (Supplem. q. 65, a. 1; cf. Sent. l. 4, dist. 33, n. 4 et commentatores).

c) *Nicolaus I:* «Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae condicionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit» (Ad consulta bulg. c. 51; *M* PL 119, 999). *Innocentius III:* «Pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt coniugalem. ... Verum absonum hoc videtur et inimicum fidei christianae, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa, et Scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; non dixit tres vel plures sed duo, nec dixit uxoribus sed uxori. ... Sane veridica haec sententia probatur etiam de testimonio veritatis, testantis in evangelio: Quicumque dimiserit uxorem. ... Si ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta; per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur, circa matrimonium repro-

bandam» (*Denz.* n. 408). Idem dicitur in *concilio lugdunensi II* (*Denz.* n. 465). *Concilium tridentinum* sess. 24: Matrimonii «vinculo duos tantummodo copulari et coniungi, Christus Dominus apertius docuit» (*Denz.* n. 969); can. 2: «S. q. d. licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.» (*Denz.* n. 972).

367. **Prob. pars II.** *Polygamia successiva licita est.*

a) Hoc docet *S. Scriptura.* «Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro» (Rom 7, 2 sq). Alio loco apostolus dicit non solis innuptis sed etiam viduis: «Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.... Mulier alligata est viro, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino» (1 Cor 7, 8 sq 39).

b) SS. Patres interdum valde dissuadent secundas nuptias, numquam tamen docent eas esse invalidas. *S. Epiphanius:* «Quodsi quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minime id quidem veritatis regula prohibet.» Montanistae quidem «eum, qui secundis nuptiis illigatus fuerit, expellunt ac, ne facere istud audeat, vim ac necessitatem adhibent. Nos autem neque necessitate ulla adstringimus, sed suademus, ... eum vero, qui minus potest, nulla vi cogimus nec a salute prorsus excludimus» (Haer. 48, n. 9). Similiter *Clemens Alex.* (Strom. l. 3, c. 12), *S. Gregorius Naz.* (Orat. 29, n. 18), alii. *S. Hieronymus:* «Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abicimus ab ecclesia digamos? Absit, sed monogamos ad continentiam provocamus» (Ep. 123, n. 9). «Erubescat calumniator meus, dicens me prima damnare matrimonia, quando legit: Non damno digamos et trigamos et, si dici potest, octogamos» (Ep. 48, n. 9). *S. Augustinus:* «De tertiis et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare.... Quis sum, qui putem definiendum, quod nec apostolum video definivisse?» (De bono vid. c. 12).

Eadem est unanimis doctrina theologorum.

c) Idem patet ex constitutionibus ecclesiae. *Concilium nicaenum I* c. 8 postulat a catharis, qui volunt ad ecclesiam redire, ut cum digamis communicent. *Innocentius III* in professione fidei waldensibus praescripta: «Nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus» (*Denz.* n. 424). In professione fidei in *concilio lugdunensi II:* Sancta romana ecclesia «soluto legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit» (*Denz.* n. 465). *Eugenius IV* in decreto pro iacobitis: «Quoniam non-

nullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum apostolum mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta et nubendi, cui vult, habeat potestatem, nec distinguat mortuo primo vel secundo vel tertio, declaramus non solum secundas sed tertias et quartas et ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse» (*Hardouin*, Collect. conc. IX 1028). Idem statuit *Benedictus XIV* duabus constitutionibus «Etsi pastoralis» die 25 Maii 1742 et «Eo quamvis tempore» die 4 Maii 1745 pro ecclesia orientali datis.

368. *Obi. I.* Quod unus vir plures simul uxores habeat, non pugnat cum lege naturali. Atqui Christus non dedit nova praecepta moralia praeter legem naturalem. Ergo etiam in novo testamento matrimonium unius viri cum pluribus simul uxoribus non interdicitur.

Resp. *Dist. mai.:* Coniunctio unius viri cum pluribus uxoribus non repugnat praecepto primario legis naturalis, *conc. mai.;* non repugnat praecepto secundario, *neg. mai.* (cf. supra n. 350.) *Dist. min.:* Christus in integrum restituit totam legem naturalem, *conc. min.;* sola praecepta primaria, *neg. min.* Et *neg. conseq.* Scilicet finis principalis matrimonii non destruitur, si unus vir plures uxores habet, cum etiam in tali matrimonio filii gigni et educari possint. Sed fines secundarii facile detrimentum patiuntur, cum vir non aequaliter amet omnes uxores neque omnibus ad votum possit satisfacere, et ita pax familiae facile perturbatur, et matrimonium desinit esse remedium concupiscentiae. Ob has rationes dicenda est monogamia pertinere ad praecepta secundaria legis naturalis. Ideo invalidum est ex lege naturali matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus, nisi Deus lege positiva ab hoc impedimento dispensat. Talem dispensationem Deus in vetere lege dedit (cf. Dt 21, 15 sqq; 2 Reg 12, 8; Gal 4, 22 sqq), quamdiu velox multiplicatio populi Dei erat necessaria, ut docent *S. Augustinus* (De bono coniug. c. 17 sq) et *S. Thomas* (Supplem. q. 65, a. 2). Cf. *Denz.* n. 408. Nunc vero lege Christi abrogata est dispensatio, et matrimonium revocatum est ad primitivum statum, ut sic coniunctio unius viri cum una uxore sit perfecta repraesentatio coniunctionis Christi cum una ecclesia.

369. *Obi. II.* Non in vetere tantum lege, sed etiam in ecclesia permittebatur viris habere concubinas. Ergo aut licet praeter uxorem etiam habere concubinas, aut licet concubinatu uti sine matrimonio.

Resp. *Nego suppositum argumenti,* scilicet ex sola appellatione concubinae posse quidquam concludi. Itaque in vetere lege praeter uxorem primariam licebat habere alias uxores, quae erant quidem verae coniuges, non semper tamen ad societatem omnium bonorum familiae admittebantur. In nova autem lege numquam licebat habere plures simul uxores, sed licebat pro uxore paris condicionis habere uxorem imparis condicionis, quae olim vocabatur concubina. Quando igitur permittitur «concubina», intellegitur verum matrimonium, in quo tamen uxor et filii non habeant integrum ius hereditarium sed certae tantum cuiusdam dotis antea constitutae; quae matrimonia appellantur «ad legem salicam» vel «ad morganaticam». Sic apud *Gratianum* Decreti Parte I, dist. 34, can. 4 et 5 concubina permittitur, c. 6

interdicitur; scilicet concubina, quae permittitur, est vera uxor; quae autem interdicitur, est illegitima pellex. Ergo attendendum est, quae significatio nomini subsit variis locis.

370. *Obi. III.* Quidam Patres tertias et quartas nuptias valde vituperant, et qui eas ineunt, gravibus paenitentiis puniri volunt, ut *S. Basilius,* Ep. 188, c. 4. Ergo talia matrimonia toleranda non sunt.

Resp. *Dist. antec.:* Dicunt SS. Patres talia matrimonia esse invalida, *neg. antec.;* vident in iis signum magnae incontinentiae, quam paenitentiis coerceri volunt, *conc. antec.* Sed in hac re disciplina ecclesiastica paulatim mitior facta est (cf. *Palmieri,* De matrim. 101 sqq).

Schol. De ministris et de subiectis sacramenti matrimonii.

371. a) Cum sacramentum matrimonii sit ipse contractus matrimonialis, quem vir et mulier faciunt (supra n. 336 sqq), evidens est *ipsos contrahentes esse ministros sacramenti;* et reicienda est eorum sententia, qui volebant sacerdotem esse ministrum ordinarium aut saltem extraordinarium. Ceterum haec sententia nunc ab omnibus relicta est. Ergo matrimonium est sacramentum laicorum, quod mulier viro et vir mulieri administrat. Ergo hoc sacramentum non habet ministros consecratos. Parochus autem (aut alius delegatus sacerdos) est testis ex officio deputatus et per se essentialiter requisitus matrimonii, ut est contractus, et simul est minister sollemnitatis sacramenti quoad ritus ab ecclesia praescriptos (cf. *concil. trid.* sess. 24, c. 1 de reform. matrim.).

b) *Subiectum aptum* ad sacramentum matrimonii valide suscipiendum sunt soli baptizati, et ita quidem, ut nunc inter partem baptizatam et partem non baptizatam matrimonium valide iniri non possit sine dispensatione summi pontificis. Dein ut quis sit subiectum capax matrimonii ineundi, requiritur sufficiens usus rationis ad talem contractum faciendum, ut per se patet, et ex lege ecclesiastica requiritur pubertas. Requiritur etiam sufficiens notitia et libertas, ut sine errore essentiali et sine coactione contractus fiat. Requiritur, ut contrahentes nondum sint ligati matrimonio, de qua re iam diximus. Requiritur, ut contrahentes habiles sint ad copulam matrimonialem inter se habendam, quia sibi non possunt dare ius ad rem, quae fieri nequit. Requiritur demum, ut nulla lege dirimente sive naturali sive positiva inepti sint ad matrimonium ineundum. Sed quia de impedimentis matrimonii agitur in iure canonico vel in theologia morali, hic solum probandum restat ecclesiae competere potestatem statuendi impedimenta matrimonii, de qua re statim dicemus.

c) *Nulli homini per se incumbit obligatio ineundi matrimonium,* quia nulla lex divina obligans adest, si excipimus primos homines, quorum matrimonia erant necessaria ad multiplicandum genus humanum. Nunc autem sufficit ad hunc finem naturalis inclinatio plurimorum sine speciali praecepto. «Natura humana communiter ad diversa officia et actus inclinat, . . . et ex hac diversitate simul cum divina providentia,

quae omnia moderatur, . . . contingit, quod quidam eligant matrimonialem vitam et quidam contemplativam» (*S. Thomas,* Supplem. q. 41, a. 2 ad 4; cf. 2, 2, q. 152, a. 2 ad 1). Quare neque recurrendum est ad praeceptum reipublicae impositum curandi, ut satis multi homines matrimonia ineant. Res aeque bene procedit sine tali praecepto. Diximus «per se» nullum hominem obligari ad matrimonium, quia per accidens potest obligari aliquis respectu boni publici, vel ad implendam promissionem datam, vel ad vitandum periculum incontinentiae, quae obligationes non ex essentia matrimonii sed aliunde oriuntur.

PARS IV.

DE ECCLESIAE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Prop. XLV. Ecclesia a Christo accepit potestatem statuendi pro suis subditis impedimenta matrimonii dirimentia.

372. *Stat. quaest.* Cum ecclesiae sit dispensare mysteria Dei (1 Cor 4, 1), inter quae matrimonium quoque est, dubium nullum est, quin hoc sacramentum pertineat ad obiecta potestatis, quam ecclesia a Christo accepit. Matrimonialis autem contractus re idem est inter baptizatos atque sacramentum matrimonii. Ergo etiam hic contractus pertinet ad obiecta iurisdictionis ecclesiasticae. De natura enim contractuum est, ut secundum normam legibus praescriptam eos fieri necesse sit. Quaeritur in specie, num ecclesia possit statuere impedimenta dirimentia, i. e. ea, quibus efficiatur, ut contractus matrimonialis in certis condicionibus valide fieri non possit.

Negant protestantes, qui non agnoscunt nisi impedimenta, quae in lege mosaica statuuntur, et haec censent esse indispensabilia (cf. *Bellarm.,* De matrim. c. 21 27). Quidam canonistae aulici, ut *Launoy* et alii, dicebant ecclesiam habere quidem talem potestatem sed a principibus civilibus acceptam. De fide est posse ecclesiam iure suo statuere impedimenta dirimentia.

373. *Arg. 1.* Ex factis historicis.

Ecclesia, utpote infallibilis in rebus morum, habet eam potestatem, quam factis ostendit se habere. Atqui ecclesia statuit impedimenta dirimentia. Ergo habet hanc potestatem.

Prob. min. Concilium neocaesariense (a. 314) can. 2 statuit impedimentum affinitatis: «Mulier, si [successive] duobus nupserit fratribus, abiciatur usque ad diem mortis; sed propter humanitatem in extremis suis, si dixerit, quod, si forte sanitatem recuperaverit, matrimonium solvet, ad paenitentiam admittatur.» *Concilium carthaginense* (a. 398) can. 104 statuit impedimentum voti castitatis: «Viduae, quae religiositatem mutaverunt, adulterii crimine notabuntur, si devotionem, quam

Deo sponte, non coactae obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate atque ad secundas nuptias transitum fecerint.» *S. Basilius* ait: «Primum, quod in huiusmodi rebus maximum est: morem nostrum obicere possumus ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae. Mos autem ille est huiusmodi, ut, si quis impuritatis vitio aliquando victus, in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in ecclesiae coetum admittatur, priusquam a se invicem dirimantur» (Ep. 160, n. 2). *S. Gregorius M.* docet quaedam matrimonia permitti per leges civiles, sed nullas declarari ab ecclesia (cf. Ep. l. 7, ep. 1 64 119 etc.) Similia docent multi alii Patres, ut *S. Cyprianus* (Ep. 60 62; ed. *Hartel*), *Innocentius I* (Ep. 2, c. 13), *S. Ioannes Chrysost.* (Ad Theod. lapsum l. 2, n. 3), vulgatus *Ambrosius* (Ad virg. lapsam c. 5). Et similiter per omnia sequentia saecula in ecclesia declarantur quaedam matrimonia invalida, quae per se essent valida (cf. *Palmieri, De matrim.* thes. 29). Hanc autem potestatem non derivari a concessione gubernii civilis, inde efficitur, quod ecclesia non minus principes quam alios christianos legibus suis matrimonialibus ligavit, et quod principes christiani in causis matrimonialibus ad ecclesiam recurrebant (cf. *Perrone,* De matrim. II, 88 sqq).

374. *Arg.* 2. **Ex declarationibus ecclesiae.**

Concilium tridentinum sess. 24, can. 3: «S. q. d. eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, A. S.»; can. 4: «S. q. d. ecclesiam non potuisse statuere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse, A. S.» (*Denz.* n. 973 sq). Cum vero *synodus pistoriensis* (prop. 59) docuisset ius statuendi impedimenta matrimonii per se pertinere ad potestatem civilem et ab hac posse ecclesiae concedi, a *Pio VI* haec doctrina damnata est. Propositio ita intellecta, «quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta statuere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare: canonum 3 4 9 12 sessionis 24 concilii tridentini eversiva, haeretica» (*Denz.* n. 1559). Eandem falsam doctrinam rursum damnavit *Pius IX* in prop. 68 sqq Syllabi (*Denz.* n. 1768 sqq). *Leo XIII* in encyclica «Arcanum divinae sapientiae» doctrinam et praxim catholicam his verbis comprehendit: Ecclesia «potestatem in coniugia christianorum omni cum tempore tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret nec hominum concessu quaesitam sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. . . . Nemo ignorat, quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis,

publicae honestatis in conciliis eliberitano, arelatensi, chalcedonensi, milevitano II aliisque fuerint ab ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatoris sancitis longe saepe distarent. Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus fateri non dubitarunt in iis rebus, quae ad nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere. Et de conubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex ecclesiae permissu atque auctoritate.»

375. *Obi. I.* Impedimenta matrimonii dirimentia partim lege naturali statuuntur, partim a Deo in vetere lege revelata sunt. Ergo non requiritur, ut ecclesia habeat potestatem talia impedimenta statuendi.

Resp. *Dist. antec.* Quaedam impedimenta tam consona sunt principiis rationis, ut ex lege naturali sua sponte fluere recte dicantur, ut e. g. quod parentes non debent inire matrimonium cum filiis, quod impotentes non possunt nubere, et similia, *conc. antec.*; omnia ita lege naturae determinata sunt, ut nihil maneat dubium, nihil maiore determinatione indigeat, *neg. antec.* Lex autem mosaica non obligat christianos. Possunt quidem varia, quae ibi praecepta vel prohibita erant, servire ut apta norma, quam ecclesia in suis legibus sequatur, quemadmodum saepius pontifices in decretis suis efferunt (cf. *Denz.* n. 362), sed ut vim legis inter christianos habeant, requiritur novum statutum ecclesiae (cf. Praelect. dogm. V, n. 464 sqq 506 sqq). Unde *neg. conseq.*

376. *Obi. II.* Potestas civilis ratione prior est quam potestas ecclesiastica, et prius tempore exstitit. Atqui antecedenter ad ecclesiae constitutionem civilis auctoritas habebat potestatem statuendi impedimenta dirimentia. Ergo hanc potestatem etiam nunc habet, et consequenter ecclesia non habet, quia secus orirentur dissidia et perturbationes pessimae.

Resp. *Dist. mai.*: Potestas civilis ita est prior ecclesia, ut Deus non possit ecclesiam instruere iuribus, quae ipsi placent, *neg. mai.*; ita est prior ecclesia, ut, nisi Deus instituisset ordinem supernaturalem, varia pertinerent ad potestatem civilem, quae nunc exclusive sunt potestatis ecclesiasticae, *conc. mai.* *Trans. min.* *Neg. conseq.*, quia sumus in ordine supernaturali.

Quod attinet potestatem, quam gubernium civile nunc habet in matrimonium, haec notentur:

a) Gubernium civile ius habet dandi leges quoad omnes effectus civiles, qui sequuntur vinculum matrimoniale, ut sunt possessiones communes vel separatae coniugum, ius hereditarium, similia. De his nulla est disputatio inter theologos.

b) Causae spectantes ad vinculum matrimoniale inter baptizatos sunt exclusive fori ecclesiastici. Etiam de hac re nunc consentiunt theologi. *Concilium tridentinum* sess. 24, can. 12 docet: «S. q. d. causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, A. S.» (*Denz.* n. 982). Quidam olim volebant hoc ita interpretari, ut non omnes causae matrimoniales ad solos iudices ecclesiasticos spectarent. Sed *Pius VI* litteris die 16 Sept. 1788 ad

episcopum motulensem datis hanc explicationem ut omnino falsam reicit. «Scimus hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis [quod matrimonium est sacramentum] adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. . . . Ita omnes hae causae spectare unice debent ad iudices ecclesiasticos.» Similiter plures alii pontifices statuerunt. Itaque matrimonia secundum solas leges civiles et non secundum leges ecclesiasticas, ad validitatem spectantes, inita, seu *matrimonia civilia,* ut aiunt, sunt invalida. Excipiuntur matrimonia acatholicorum non celebrata secundum formam tridentinam (*Denz.* n. 1944).

c) Num gubernium civile habeat potestatem in vinculum matrimonii relate ad eos, qui non subsunt ecclesiae, i. e. relate ad non baptizatos, disputant theologi. «Est controversia, quae nostris praesertim temporibus inter catholicos libere agitatur», ut ait *Gasparri* (De matrim. I, 168), qui multos theologos allegat pro affirmante sententia. Horum praecipua ratio est, quod matrimonium infidelium est contractus mere civilis, qui subest potestati legislativae principum, sicut omnes alii contractus. Ita e. g. *Schmalzgrueber* (De sponsal. n. 367). Alii theologi negant, ut *Perrone* (De matrim. II, 439 sqq), *Feije, Martin, Zigliara,* quia, inquiunt, omne matrimonium statim ab initio a Deo facta est res sacra ordinis supernaturalis (supra n. 343 a). In tales autem res a Deo positive circa cultum divinum institutas gubernium civile nullam potestatem habet. Ecclesia usque nunc hanc quaestionem non definivit. Citatur interdum instructio quaedam s. congregationis de propag. fide (die 26 Iunii 1820 edita), in qua asseritur illa potestas gubernii civilis (cf. *Sasse,* De sacram. II, 471); attamen haec instructio non est a congregatione facta, sed mense Sept. a. 1821 congregationi a consultore quodam oblata; neque ullum de ea exstat iudicium congregationis (cf. ib. nota a P. *Lehmkuhl* addita p. 469 sqq).

377. **Obi. III.** Ecclesia nullam habet potestatem in substantiam sacramentorum. Atqui si potest facere invalidos contractus matrimoniales per se validos, habet talem potestatem. Ergo non potest.

Resp. *Conc. mai. Neg. min. et conseq.* Nam substantia sacramenti matrimonii in eo est, quod contractus matrimonii inter personas legitimas valide initus est sacramentum; neque in hac re ecclesia quidquam potest mutare. Sed ecclesia potest efficere, ut certae personae sint inhabiles, aut ut certa forma requiratur ad validitatem contractus, quae duae res ratione praecedunt sacramentum, sicut ecclesia denegans sacerdoti iurisdictionem, efficit, ut verba absolutionis ab eo efficaciter proferri nequeant.

APPENDIX.
DE CAELIBATU CLERICORUM.

378. *Status caelibatus* in ecclesia intellegitur stabile vitae genus, quod quis ex amore Dei et virtutis eligit, ut abstinens a coniunctione sexuali, etiam licita, liberius vacet studio spiritualis perfectionis. Itaque non intellegitur simplex absentia vinculi matrimonialis, multo minus caeli-

batus liberioris vitae causa electus; sed intellegitur caelibatus ex proposito vel ex voto vel alio modo ea intentione electus, quae ad exercitium virtutis requiritur. Caelibatus sic intellectus melior est matrimonio, non quasi omnes homines caelibes sint meliores quam matrimonio iuncti, cum possit accidere, ut quidam coniuges sint sanctiores quam alii caelibes, sed quia, si unum vitae genus cum altero comparatur, status caelibatus praestat prae matrimonio.

379. *Statum caelibatus praeferendum esse matrimonio est de fide. Concilium tridentinum* sess. 24, can. 10: «S. q. d. statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu quam iungi matrimonio, A. S.» (*Denz.* n. 981). Haec doctrina sumpta est ex *S. Scriptura.* Nam Christus Dominus ad quaestionem, numquid non magis expediat homini non nubere, respondet: «Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. . . . Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat» (Mt 19, 10 sqq). Ergo propter regnum caelorum abstinere a matrimonio quasi unus ex iis, qui ad matrimonium inepti sunt, est speciale donum Dei. S. Paulus ait: «Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit. . . . Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi. . . . Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit» (1 Cor 7, 27 sqq). His verbis tam clare docetur praestantia caelibatus et exponitur ratio huius praestantiae, ut necesse non sit quidquam addere. Cf. Apoc 14, 1 sqq. SS. Patres summis laudibus praedicant virginitatem, non obiter dictis tantum sed integris libris, ut Tertullianus, Cyprianus, Ioannes Chrysost., Ambrosius, Augustinus, multi alii, quibuscum consentiunt omnes theologi (in 4, dist. 33 vel in 2, 2, q. 152, a. 4).

380. Quia autem praecipue sacerdotum est rerum spiritualium studium tum in se tum in aliis promovere, *in ecclesia latina omnes clerici in maioribus ordinibus constituti ad caelibatum obligantur,* neque valide matrimonium contrahere possunt. *Concilium tridentinum* sess. 24, can. 9: «S. q. d. clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem sollemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et

oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi voverint, habere donum, A. S., cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari» (*Denz.* n. 979 sq).

In ecclesia orientali non tam severa est lex caelibatus, sed servatur statutum *Synodi trullanae* (a. 692), quae episcopis interdicit usum matrimonii, aliis autem clericis permittit vivere cum uxore, quam ante subdiaconatum duxerant, et concedit, ut lectores uxorati ad maiores ordines promoveri possint, modo ne sint bigami et virginem duxerint; post ordinem autem subdiaconatus vetat matrimonium. De qua re *Benedictus XIV* in constitutione «Etsi pastoralis» die 26 Maii 1742 ait: «Etsi optandum quam maxime esset, ut graeci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem non secus ac latini servarent, nihilominus ut eorum clerici, subdiaconi, diaconi et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines virgines, non viduas neque corruptas duxerint, romana non prohibet ecclesia. . . . Matrimonium post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus.»

381. Haec diversitas disciplinae ostendit *legem caelibatus clericorum maiorum non esse divinam sed ecclesiasticam.* Num sit disciplina apostolica, dissentiunt theologi. Affirmant *Gregorius de Valentia, Bellarminus, Vazquez,* alii, ex recentioribus *Phillips, Bickell, Sasse* (De sacram. II, 339 sqq). Negant *Schelstrate, Natalis Alexander, Tillemont, Tournely,* alii, ex recentioribus *Hefele, Probst, Funk.* Ceterum qui negant *legem* apostolicam, non ideo negant inde a temporibus apostolorum *praxim* servandi caelibatum inter sacerdotes fuisse valde communem; et qui affirmant, non ideo dicunt ab apostolis iam latam esse formalem legem, sed solummodo inde ab apostolis viguisse disciplinam caelibatus, quae paulatim vim legis obtinuerit.

Primum documentum, quo in ecclesia latina lex universalis non introducitur, sed in memoriam revocatur et inculcatur, est epistula *S. Siricii* papae ad Himerium, in qua c. 7 ait: «Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset adventu, in evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere. Et ideo ecclesiae, cuius sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare. . . . Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda manicipemus et corpora» (*Denz.* n. 89). Hanc non esse novam legem a. 385 datam tum ipso tenore verborum tum aliis documentis demonstratur. E. g. *concilium eliberitanum* (c. a. 300) can. 33 statuit: «Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur» (*Denz.* n. 3001

in ed. 11). Lex caelibatus iterum inculcata est in *concilio lateranensi I* (*Denz.* n. 360).

Ceterum similis disciplina neque in oriente olim defuit. *S. Epiphanius* ait: Ecclesia «eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut ea sit orbatus; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam» (Haer. 59, n. 4). Ceterum in oriente paulatim laxior, in occidente autem severior praxis praevaluit, pro qua severiore praxi servanda maxime *S. Gregorius VII* viriliter pugnavit.

Cur adeo in clericis maioribus ecclesia occidentalis praeferat caelibatum, satis intellegitur ex sacerdotali dignitate et munere, quia sacerdotes oportet esse quam simillimos Christo summo sacerdoti, virginitatis amatori. *S. Innocentius I* ad Victricium episcopum de munere sacerdotali scribit: «Scriptum est (Lv 11, 44): Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant (Lv 21, 12), sicut de Zacharia legimus . . . quanto magis hi sacerdotes et levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad corinthios scribit (1 Cor 7, 5), dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, et hoc utique laicis praecipit, multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere» (Ep. 2, c. 8, n. 11; *M* PL 20, 476).

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

B.

C.

D.

E.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

X.

Z.

responsabilité franchement acceptée de certaines décisions, toujours informée dans la mise en œuvre des travaux antérieurs et dans l'exacte pondération des autorités invoquées. **Ces qualités se retrouvent à un degré non moindre dans ses Cas de conscience. . . .»** (Polybiblion, Paris.)

«. . . La solidez y aun profundidad y amplitud de la *Theología Moral* se observa también en estos *Casos,* y aun a veces completan algo el texto. Sirva de ejemplo, v. gr., lo que se dice del divorcio. . . .» (Razón y Fe, Madrid.)

Probabilismus vindicatus.

Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. 8⁰ (VI et 126 p.) *M* 1.80 = *Fr* 2.25

«. . . Puede decirse que **en este breve opúsculo se encuentra magistralmente expuesto y reunido cuanto en muchos ni cortos volúmenes se ha escrito sobre tan delicada materia. . . .»** (Razón y Fe, Madrid.)

Neo-confessarius practice instructus.

Auctore P. **Joanne Reuter** S. J. Editio altera ab eodem recognita et aucta cura AUGUSTINI LEHMKUHL S. J. 8⁰ (XIV et 498 p.) Pretium: *M* 4.— = *Fr* 5.—; linteo relig. *M* 4.80 = *Fr* 6.—

«Entre beaucoup de notes et d'additions utiles dont le savant éditeur a enrichi l'ouvrage, signalons spécialement les pages excellentes sur les devoirs des industriels et des commerçants, et un chapitre entier sur les habitudinaires. **Je ne connais aucun ouvrage où ces délicates questions soient traitées avec plus de pénétration et de largeur d'esprit.»** (Études, Paris.)

«Nach dem klassischen Werke des hl. Alfons ‚*Praxis confessarrii*' findet sich in der theologischen Literatur vielleicht keines, welches für die Bildung des Beichtvaters, empfehlenswerter ist als Reuters *Neo-confessarius.*» (Theologische Revue, Münster.)

« . . Lo diciamo senz' ombra alcuna di esagerazione, questo è uno dei libri più utili che possano darsi in regalo ai candidati al sacerdozio nell' occasione di loro sacerdotale ordinazione.» (La Scuola Cattolica, Milano.)

Compendium caeremoniarum

sacerdoti et ministris sacris observandarum in sacro ministerio. Auctore **Melch. Haus-herr** S. J. Editio quarta secundum novissima S. R. C. decreta emendata a P. AUG. LEHMKUHL S. J. 12⁰ (XIV et 180 p.) Pretium: *M* 1.60 = *Fr* 2.—; linteo relig. *M* 2.20 = *Fr* 2.75

«**Voici un petit livre que l'on ne saurait trop recommander aux ecclésiastiques** soucieux d'observer dans leur intégrité les prescriptions de la liturgie, et désireux par conséquent de ne point oublier ce qu'ils en ont appris durant leurs études cléricales.» (L'Université Catholique, Lyon.)

Meditationes de praecipuis fidei nostrae mysteriis

Ven. P. **Ludovici de Ponte** S. J., de Hispanico in Latinum translatae a M. TREVINNIO S. J., de novo editae cura A. LEHMKUHL S. J. Editio altera recognita. Sex partes. 12⁰ (CCVIII et 2582 p.) Pretium: *M* 21.80 = *Fr* 27.30; linteo a dorsis corio relig. *M* 27.80 = *Fr* 34.80

«. . . **C'est à tous égards un des meilleurs manuels de méditations,** et sa diffusion ne peut être que grandement utile aux progrès de l'esprit de religion et de piété dans toutes les classes sociales.» (Dom Paul Piolin dans «Le Monde», Paris.)